R. BIBL. NAZ.
Vitt. Emanuele III.
RACCOLTA
VILLAROSA
A
687
NAPOLI

Digitized by Google

605307

Rac Vill A. 687

ANTONII MATTHÆI

DISPUTATIONES

DE

OBLIGATIONIBUS XLII.
DE CRIMINIBUS VII.
DE SERVITUTIBUS VII.

ET

ALIQUOT MISCELLANEÆ.

Illuſtri Academia Ultrajectina publicè ventilatæ, Defendentibus juris & bonarum literarum Studioſis, quorum nomina ſingulæ diſputationes præferunt.



Biblioteca Nazionale Napoli V. E. III

ULTRAJECTI,
Ex Officinâ JOANNIS à WAESBERGE.

Anno cIↄ Iↄ c LX.

Biblioth. de Rosa Cas. 242.

TH

Digitized by Google

NOBILISSIMIS,
AMPLISSIMIS, GRAVISSIMISQUE VIRIS,

D. JOANNI NELLESTEYN JCto.

D. NICOLAO HAMEL, JCto.

Florentiſsimæ Urbis Ultrajectinæ Conſulibus.

D. HENRICO MOREELSE, JCto.

Olim in Academia patria juris Anteceſſori Celeberrimo, & in Conſeſſu, dicto *la Chambre de demy partie*, Aſſeſſori Conſultiſsimo, nunc autem in Illuſtri & Suprema hujus Provinciæ Curia Senatori Ordinario,

ANTONIUS MATTHÆUS S.

ANnus agitur ſextus, VIRI NOBILISSIMI, ex quo

quo beatæ memoriæ Parens Diſputationes ſuas de Obligationibus in lucem emittere, & earum exemplo quas jampridem publicaverat, adjecto de divortio legum & uſus Auctario locupletare decreverat: *ἀλλὰ μέλλων καὶ ἀναδυόμενος* interim nimis immaturo, proh dolor! obitu è vivis exceſsit, & ex hoc mortalitatis carcere ad ſempiternam felicitatem paulò ante commigravit, quàm animum ad recenſendas & edolandas has Exercitatio-

tiones adjungeret; ideoque *ἀωρὶ τὸν βίον μεταλλάξαντος τοῦ μακαρίτου* rectius viſum fuit ſuperſedere ab earum editione, quæ non eo quo cæteræ, auctario & ornamento conſpicuæ dari poterant. Verum Typographus aſſiduis eorum petitionibus fatigatus, qui harum Diſputationum deſiderabant exemplaria, editionem nihilominus adornandam ratus eſt, conſilioque mecum communicato operam meam qualemcunque haud ingratam

tam ſibi futuram ſignificavit. Cujus deſiderio nihil negandum judicavi, ſed, ut ultro currenti calcar adderem, auctarii vice ad calcem adjunxi de Criminibus diſputationes ſeptem, de Servitutibus totidem, & aliquot Miſcellaneas ad difficiliores leges Codicis habitas. Quas univerſas vobis offero, viri Ampliſsimi, & ad aram benevolentiæ, quâ me complectimini, depono, non ut expungam nomina, quibus æternùm vobis obſtrictus ſum, ſed ad teſtan-

ſtandam quantulamcunque animi mei gratitudinem: leve enim munus eſt, ſi cum immortalibus veſtris beneficiis conferatur, ſed tamen literarium, & quod ita, uti ſpero, accipietis, ſi cogitabitis non eandem mihi, ad remunerandum, quam vobis ad bene de me merendum eſſe facultatem. Valete, Viri Graviſsimi, *καὶ αἰὲν ἀριστεύοντες εὖ πράττετε.*

Ultrajecti, Ibid. Febr.

AD

MANES

V. CL.

ANT. MATTHÆI J.C.

Æternis ingenii monumentis ante exceſſum, & non uno nunc opere poſtumo, redivivi,

INgenii qui clara ſui monumenta relinquunt,
Charta anus hos rapido vult ſupereſſe rogo.
Sic, MATTHÆE, tuis poſt fata renaſcere libris,
Ne meliore tui parte perire queas.
Nec ſat habes, pridem tot cedro digna dediſſe
Scripta, niſi accedat poſtuma charta ſimul.
Hic tua conſpicua eſt nobis viventis imago,
Et velut ex cathedra nos ſacra iura doces.
Fruſtra igitur, velut ereptum, te flemus amici,
Vſque novo fœtu qui redivivus ades.

ANT. ÆMILIUS.

POEMA.

POEMATION

In exactiſsimas Viri Cl.

D. ANTONII MATTÆI

Diſputationes

De OBLIGATIONIBUS &c.

ADſpice Romanas Batavo ſub ſidere leges
Priſcaque ſed Batavo congrua jura foro,
Qui legis hæc Lector, legis hic te forſitan ipſe,
Et duce ſub magno nobile nomen habes.
Invicti ſtetimus, memini, decorataque lauris
Prælia, *Matthæo* pæſide, ludus erant.
Sic & honos & honoris amor dum tempore nobis
Creverat Autoris tempore crevit amor.
Contractuſque ſuis ſuffultaque pacta ſteterunt
Legibus, & tanto vindice firma fides.
Hic itum per mille Patrum reſponſa, modoſque
Juris, & aſſertum fas vetitumque nefas.

Quæ-

Quæque potens rigido ſcelus ac vim vindicatenſe
Hic Aſtræa pari lance verenda viget.
Scilicet hôc potuit virgo Scriptore renaſci,
Qualis priſca ſuo nata Minerva Jove,
Pulſaque Sol veluti poſt nubila luſtrat Olympum,
Prælucet dubio fax ſpecioſa foro.
Roma ſuo quantum Paulo, veterique Sabino
Debet, & ingenio, Papiniane, tuo.
Huic tantum debere viro ſe noſtra fatentur
Secula, voxque eadem poſteritatis erit.
Vix iſti, *Matthæe*, ſed heu! quam fata Lycæi
Triſtia mox fatis juncta fuere tuis!
Umbo Scholæ columenque prius, legumque tot Atlas,
Pulvis, & ah! pallens umbra ciniſque jaces.
Nobile, *Magnifici* munus *Rectoris* obibas:
Nec niſi magnifico nomine Rector obis.
Sceptra gerant Reges: præ te quoque Rege Togato
Vidimus argento fulgida ſceptra geri
Hæc

Hæc tibi Palladii jam nunc inſignia Regni
Reddere, ſi poſſint, Pallas, Apollo, velint.
At tu mœſta modum lacrymis, Academia, pone,
Et ſperare recens incipe læta decus.
Æmula progenies, patrio de ſidere ſidus
Arte pari rem mox reſtituiſſe parat.
Bis prodeſt; orbemque beat poſt funera, quisquis
Doctrinæ heredes procreat ipſe ſuæ.

L. vande POLL, J. C.

Clariſsimo

Clariſſimo & Conſultiſſimo Viro Juveni

D. ANTONIO MATTHÆO J.U.D.

ANT: FILIO, ANT: NEPOTI,

Cum Doctiſſimas Celeberr: Parentis ſui Diſputationes Bono Publico vulgaret.

CAſtalio *ſi plena foret mea vena liquore,*
Conarer fluido depingere carmine cunctas
Matthæi *laudes, quarum ſatis undique magna*
Materies ac ſcena patet, ſi fama Parentis,
Aut Proavi, Generis *Clari, repetatur,* Avique:
Aſt jam, cum mihi non faveant Heliconis *alumnæ,*
Te tacitus Matthæe *colam, memorandaque dona*
Mirabor doctæ mentis, quibus altius ibit
Jamjam Romani *celeberrima gloria Juris;*
Nec mirum, deſcendit enim per pignora virtus,
Doctorumque ſolet genus immortale parentum
In prolem tranſire ſuam, fulvuſque Tonantis
Armiger imbellem producere neſcit olorem.

ABRAHAMUS de WYCKERSLOOT
Rheno Trajectinus.

DISPU-

DISPUTATIO PRIMA
DE
OBLIGATIONIBUS.

Reſp. JOHANNE BUSSCHOFF, *Ultrajectino.*

1. OBligatio eſt juris vinculum, quo neceſſitate adſtringimur, alicujus rei ſolvendæ. *pr. Inſt. de Obligat. l. 3. pr. D. eod.*

2. Eſtque vel naturalis, vel civilis. Naturalis, quæ ſolo æquitatis vinculo conſtat *l. Stichum 95. §. naturalis D. de Solut. & lib.* Quæ quanquam actionem non parit, parit tamen exceptionem *l. 1. & l. 7. §. ſed cum nulla D. de pact. §. præterea Inſt. de except.* impedit condictionem indebiti *l. naturales 10. D. de O. & A. l. ſi non ſortem 26. §. indebitum D. de cond. indeb. l. 9. §. ult. & l. ſeq. D. de SC. Maced.* admittit pignus *l. 5. D. de pign. & hyp.* fidejuſſorem *l. 1 l. Græcè 8. §. & generaliter D. de fidejuſ.* Compenſationem *l. 6. D. de compenſ.* novationem *l. 1. §. 1. D. de novat.* conſtitutum, *l. 1. §. debitum D. de pec. conſtit.* confuſionem *l. heres 21. §. quod ſi ſtipulator D. de fidej.*

3. Civilis eſt, quæ cum naturali æquitate conſtat, tum in conſtituendo jure ita recepta eſt, ut actio ex eâ detur *d. l. naturales D. de*

O. & A. l. ſi ita 126. *§. ſupereſt. D. de V. O. l. cum amplius* 84. *§. is natura D. de R. J.* Quod ſi forte naturali æquitate deſtituatur, etſi ſummo jure actio detur, eliditur tamen ea per exceptionem *l. ſi quis cum* 36. *D. de V. O. l. ſiquidem* 9. *C. eod. l.* 2. *§ circa D. de dol. Mal. & met. except. §.* 1. *& ſeq. Inſt. de Except.*

4. Utriuſque obligationis cauſa vel conventio eſt, vel factum aut delictum *l.* 1. *l.* 25. *§.* 1. *D de O. & A.* Conventio eſt duorum pluriumve in idem placitum conſenſus. *l.* 1 *§. conventionis D. de pact. l.* 3 *D. de pollicit.* Iſque vel expreſſus, vel tacitus *l.* 2. 3. *&* 4. *D. de pact.* Nec tamen qui tacuit, aut paſſus eſt, ſemper conſenſiſſe intelligitur *l.* 8. *§. invitus D. de procur. Dd. in l. qui tacet* 142. *de R. J. & c. qui tacet eod. tit. in* 6. *Morn. in l.* 4. *D. de noxa. act. Peck.* 1. *de teſt. conj.* 43. *n.* 12. *& ſeqq.*

5. Juſſus etiam, mandatum, auctoritas, ratihabitio, conſenſus ſpecies ſunt. Ratihabitio mandato comparatur retroque trahitur, ad tempus negotii geſti, *l. donationes* 25. *C. de donat. int. vir. & ux. l. vero procuratori* 12. *§. ult. D. de ſolut. c. ratihabitionem de R. J. in* 6. Juſſus & mandatum præcedunt: auctoritas in ipſo negotio interponitur, *l. ſi quis mihi* 25. *§. Juſſum D. de adq. vel amit. her. l.* 9. *§. tutor. D. de auct. tut.*

6. *Ex juſſu* vel utilis, vel directa actio adverſus jubentem datur l. 1. *D. Quod. jus. l. ult. D. pro ſoc.* Ex mandato, utilis, non directa, niſi

Oſi cedatur *l. ſi procuratorem* 8. *§. ult. l. ſi man-* *datu* 45. *D. mand. l. Julianus* 13. *§. ſi procu-* *rator D. de act. empt. l. Poſſeſſio* 49. *§. ult. D.* *de adq. vel amit. poſſ. junct. l.* 1. *&* 2. *D. de* *inſtit. act.* Idem de ratihabitione dicendum, quoniam mandato comparatur. *l.* 60. *de R. J.* *arg. l.* 6. *§. ſi paſſus & l.* 18. *ff. mand. Peck. d. c.* 43. *n.* 7. *Hotom. comm. ad d. l.* 60. Ex contractu vero tutoris auctoritate habito, vel minor tutore auctore, vel ipſe tutor, ſed nomine pupilli, & durante duntaxat tutela convenitur *l.* 1. *C. Quand. ex fact. tut. l.* 5. *C. eod. l.* 1 *C.* *ſi ex plur. tut. om. vel un. l.* 1. *&* 2. *C. Qui legit.* *perſ. ſtand. l.* 3. *§. apparet D. de admin. tut.*

7. An ſubſcriptio quoque, vel teſtis præſentia pro conſenſu ſit, quæſitum eſt? Affirmant *l. fidejuſſor* 26. *§.* 1 *D. de pign. & hyp. l.* *Servus* 38. *§.* 1. *de donat. int. vir. & ux. l.* 1. *§.* *ſed etſi ſervi D. Quod jus.* Negant *l. Gajus* 39. *D. de pign. act. l. Titia* 34. *§. Lucia* 2. *D. de leg.* 2. *l. ſi non ſubſcripſiſti* 15. *de admin. tut. l. nec i-* *gnorans* 10. *C. de donat. l. mutuæ* 14. *C. Si cert.* *pet.* Nulla hic antinomia eſt. Vide poſt *gloſ-* *ſographos*, *Coſtal. in d. l. Gajus. Vall. de reb.* *dub. tract.* 10. *Sarm. in d. l.* 34 *§.* 2. *Menoch.* 3. *præſumt.* 66. *Morn. in d. l. Gajus. Sand. de pro-* *hib. rer. alien. part.* 2. *cap.* 8. *n.* 29.

8. Conſenſui contrarius error eſt. Itaque ſive in perſonâ, ſive in re error ſit, conſentio nullius momenti eſt *l. ſi per errorem* 15. *D. de juriſd. l. nihil.* 116. *§. ult. de R. J. l.*

in omnibus 57. *D. de O. & A. l. in venditionibus* 9. *D. de contr. emt. l. ſi id quod* 22. *D. de V.O.* Hoc amplius, error in materiâ vitiat conventiones, non tamen omnes, *d. l.* 9. *in fin. d. l.* 22. *l.* 41. §. 1. *de contr. emt.* Error in qualitate, vix ullos. *l.* 10. *l.* 45. *D. de contr. emt.*

9 Error quoque in cauſâ vitiat conventionem, ut ſi ego mihi vendi, tu te mihi locare exiſtimes. *l. in omnibus* 55. *D. de O. & A. l. ſi ego* 18, *D. de reb. cred.* cui tamen vehementer obſtat, *l. cum in corpus* 36. *D. de adq. rer. dom.* nec video, quâ ratione efficere poſſimus, ne Ulpianus à Juliano diſſenſiſſe videatur. Conf. *l.* 52. *ff. locat. Coſtal: in d. l.* 18. Confer. *poſt. gloſſogr. Alciat. in d. l.* 18. *n.* 5. & 6. *Zaſ. ibid. n.* 7, 8. *Con.* 3. *com.* 7. *n.* 4. *Duar. ad tit. de reb. cred. cap.* 2. *Donel.* 4. *com.* 18. *Pac.* 3. *antin.* 67.

10. Metus etiam contrarius conſenſui eſt, nec tamen ſemper conventionem vitiat. Vitiat, ſi bonæ fidei contractui dederit cauſam: ſin minus, exceptione metus actio elidenda eſt. *l. nihil* 116. *D. de R. J. l. & eleganter* 7. *D. de dol. mal. junct. l. item ſi cum* 14. §. *eum qui D. Quod met. cauſ. l.* 9. §. *ſed quod prætor ait. eod. Duar. ad eund. tit. cap.* 1. & *ad tit. de in lit. jur. n.* 15. *Cujac. ad l.* 36. *D. d. V O. Godd. ad tit. de contr. & com. ſtipul. cap.* 3 *n.* 156. Diſſ. *Robert.* 3. *animad.* 3. *Sarm.* 6. *ſel interpr.* 6. *Gail.* 2. *obſ.* 93. *n.* 4.

11. I

11. Idem juris eſt, ſi dolus dederit cauſam bonæ fidei contractui *d. l. & eleganter D. de dol. l. 3. §. ult. D. pro ſoc. l. in cauſa 16. §. 1. D. de min. Cujac. in d. l. 7. & d. l. 36. Mozz. de cont. tit. Quib. mod. annul. emt. vend. n. 7.* Diſſ. *Coraſ. 2. miſcel. 8. n. 3. Robert. 1. animadverſ. 1. & ſeq. Weſ. par. de dol. mal. n. 1. Coſtal. in d. l. 7. D. de dol.*

12. Nec diverſum exiſtimabimus, ſi ebrietas cauſam dederit contractui: dummodo captus, ubi villum edormierit, tempeſtivè renuntiet adverſario; ne ſubſequenti conſenſu vitium antecedens purgaſſe videatur. *arg. c. ſanè 15. q. 1. c. venter, diſt. 35. Vaſq. de ſucceſſ. creat. lib. 2. §. 13. n. 50. Cov. de matr. cap. 2. n. 10. Argentr. ad conſ. Britan. art. 266. de præſcript. cap. 16. Burg. in proleg. ad conſ. Fland. n. 5. Grot. 3. manud. 14.*

13. Quoniam metu vitiari contractum diximus, videndum an valeat contractus advocati cum cliente, medici cum ægroto, incarcerati cum incarcerante? Et eſt verius non improbari hos contractus ſimpliciter, ſed valere bonâ fide initos. *l. 3. D. de extra ord. cognit. l. archiatri 9. C. de profeſ. & med. l. quiſquis 6. §. præterea C. de poſtul. l. metum 9. §. 1. l. ſi mulier. 21. pr. l. qui in carcerem 22. D. Quod met. cauſ. l. creditori 5. C. de pact. l. ſanum 27. C. de tranſact.* Diſſ. quantum ad medicum *Pinel. part. 2. l. 2. C. de reſc. vend. cap. 2. n. 33.* quantum ad incarceratum *Afflict. de-*

ciſ. 149. *Moz. de diviſ. contr. n.* 69. *& tit. qui em. poſ.n.* 14.

14. Qui conſentire non poſſunt, nec obligari poſſunt. Itaque nec infans, nec furioſus, nec mente captus ullo modo obligari poſſunt, niſi ex re ipſâ magis, quam ex conſenſu obligatio deſcendat. §. *furioſus &* §. *pupillus Inst. de inutil. ſtipul. l. furioſi* 40. *D. de R. J. l.* 1. §. *furioſum &* §. *ſeq. l. ſi à furioſo* 24. *l. furioſus* 46. *D. de O. & A.* Furioſis autem æquiparantur prodigi *l. is cui* 6. *D. de V. O. d. l. furioſi de R. J.*

15. Pupillus qui fari poteſt, abſque tutoris auctoritate civiliter quidem non obligatur, obligatur tamen naturaliter *l. naturaliter* 13. *& l. ſeq. D. de cond. indeb. l. ſi pupillus* 21. *D. ad leg. Falcid. l ſi ejus pupilli* 64. *D. ad SC. Trebell. l. ſi pupillus* 127. *D. de V. O. l.* 1. *in fin. D. de novat.* non tantum ſi factus locupletior ſit, ſed vel maximè ſi locupletior factus non ſit. *l. cum illud* 25. *D. Quand. dies leg. ced. l. Stichum* 95. § *aditio D. de Solut. & liber.* Locupletior enim factus etiam civiliter obligari videtur. *l.* 3. §. *pupillus D. de neg. geſt. l.* 3. *D. commod. l.* 5. §. 1. *D. de auct. tut. Variè Dd. Cuj. in d. l.* 127. *&* 17. *obſ.* 4. *Coraſ.* 6. *miſcel.* 22. *Fab.* 8. *conj.* 5. *Donell. in ead. l.* 127. *Baro in d. l.* 13 *Robert.* 2. *lect.* 17. *Vultej. diſcept. Schol.* 16. *Godd. de contr. ſtip. cap.* 7.

16. Puberes abſque curatoribus ſuis non ſolum naturaliter, ſed & civiliter obligantur

l. pu-

l. puberes 101. *D. de V.O. junct. l. in copulandis* 8. *C. de nupt. l. ait prætor* 7. §. 1. *l. non omnia* 44. *D. de min. l. nam poſteaquam* 9. §. *ſi minor D. de jurej. Cujac. in d. l.* 101. & 19. *obſ.* 33. *Hotom. ad pr. Inſt. de curat. Vult. d. diſcept.* 16. *Weſ. ad rub. Inſt. de auct. tut.* Diſſ. *Duar. & Donel. in d. l.* 101. *Rob.* 1. *anim. adv.* 12. *Godd. in l. princeps D. de V.S. Fach.* 3. *contr.* 9. *Odd. part.* 1. *de reſtit. in integr. quæſt.* 17. *art.* 7. *n.* 64.

17. Quod ſi minoris contractus juramento firmatus ſit, non ſolum valet, ſed & inviolabiliter cuſtodiendus eſt. Ita Friderico placuit *in auth. ſacramenta puberum C. ſi adv. vend.* Rectè, an ſecus, meritò dubites. Vide *Cyn. & Alber. in d. auth. Duar. ad eund. tit. Arg. art.* 471. *Sand. part.* 1. *de probib. rer. alien. cap.* 1. §. 6. *n.* 96. *Gudel.* 3. *de jur. novis.* 14. *n.* 35. *Grot.* 1. *manud.* 8. Sanè, ad contractus minoris ipſo jure invalidos, non eſt ea auth. producenda. *Donel.* 12. *com.* 13. & *in d. auth. Duar. d. loc. Cyn. & Jaſ. in d. auth. Elb. Leon. conſil.* 3. Diſſ. *Giph. in d. auth. Gutier. ibid. n.* 8. & *ſeqq. Parlad.* 2. *rer. cotid.* 4. *n.* 1. *Fab. ad d. tit. Si adv. vend. def.* 2. *Fach.* 2. *contr.* 10. *Sand. d.* §. *n.* 94. *Covar. in c. quamvis part.* 2. §. 1. *n.* 7. *de pact. in* 6.

18. Servus obligatur naturaliter, non civiliter *l. naturaliter* 13. *D. de cond. indeb. l. ſervus* 14. *l. obligari* 43. *D. de O. & A.* Filiusfamilias ex omnibus cauſis tanquam pater-

familias obligatur, *l. filiusf.* 39. *D. eod. l. tam ex contractibus* 57. *D. de jud.* Mutus & ſurdus ex omnibus præterquam ubi verba deſiderantur *l.* 1. *in fin. l. in quibuſcunque* 48. *D. de O. & A.* §. *mutum Inſt. de inutil. ſtipul.* Mulier non ſolum ex aliis cauſis, verùm etiam ex interceſſione obligatur, exceptis duobus caſibus *l.* 1. 6. 8. *& paſſim D. de SC. Vellej. l. antiquæ* 23. *C. eod. nov.* 134. *cap.* 8.

19. Pupillus & prodigus licet abſque tutorum & curatorum conſenſu aliis obligari non poſſint, ſibi tamen alios obligare non vetantur. *pr. Inſt. de auct. tut. l. obligari* 9. *D. eod. l.* 5. §. 1. *D. de adq. hered. l.* 9. §. *ſed etſi ei D. de reb. cred. l.* 6. *D. de V. O. l.* 3. *D. de novat. l. ex caſtrenſi* 18. §. *ſervos D. de caſtr. pecul.* Quod ſi δίπλευρος ſit contractus, ille quidem qui contraxit cum pupillo, obligabitur; non invicem ipſi pupillus, *d. pr. d. l.* 9. Non malè id ad civitatem & eccleſiam producere poſſis, ſi contractus non obſervatis ſolemnibus celebratus ſit. *Sand.* 2. *tit.* 4. *def.* 3. *Coſtal. l.* 28. *de pact.*

20. Fides contractus ſervanda eſt omnibus non ſolum illis, qui ipſi fidei obſervantes ſunt, ſed & qui jus gentium violant. Itaque non ſolum hoſti; ſed & latroni, piratæ, perfido, rebelli fides ſervanda eſt. Neque ulla cauſa eſt, cur hæretico fides data violanda ſit. *l.* 1. *D. de pact. l.* 1. *D. de pec. conſtit. l. ſicut C. de O. & A. Joſ.* 9. 2. *Sam.* 21. *Ezech.* 17. 15.

c. no-

c.noli, 23.*q.*1.*c. quod ſemel. de R.J. in* 6. Vide *Bodin.* 1.*de republ.*2. *&* 5.*de republ.* 6.*Hotom.ill.quæſt.*7.*Duar.in l.* 1. *de pact.Mart.claſ.* 3.*loc.*13.*n.*15.*& ſeqq.*

21. Si ad conventionem jusjurandum adjiciatur, nihilomagis valebit ea, quæ ſuis viribus ſubnixa non eſt. Non enim jusjurandum, exceptis quibuſdam caſibus, majores quam pactum vires habet. *l.* 5.*C. de legib.* *l.*7.§.*& generaliter D. de pact.l.ſi quis inquilinos* 112.§. *ult.D. de leg.* 1.*l.ſi quis pro eo* 56.*D.de fidejuſ. l.obligationes* 27.*D. de O.& A. Donel.*24. *com.*9.*Giphan. in d.l.* 5.*Hotom.diſput.de donat. cap.ult. Cuj.*1.*obſ.*24.*Imb.ench.verb.jusjurandi effectus.*

22. Jusjurandum, non minus atque conventio, non ſolum jurantem, ſed & heredem obligat: malè ergò id perſonale Dd. vocant. *Facit.l.*2.§.1.*D.de pollicit.l.*7.§.*pactorum D. de pact. Gen.ult.*25. *Exod.*13.19. *Joſ.*9.15. *&* 2.*Sam.*21.1.2.3. Nec adverſatur. *l.generaliter* 12.*pr. &* §. *his itaque C. de reb. cred. & jurej.* Vide *Imb.* 1. *Inſt.forenſ.*4. *Far.quæſt.*160.*n.*117.*Grot.*2. *de jur.bell. & pac.*13.*n.*17.*Gail.*1.*obſ.pract.*27.

DISPUTATIO SECUNDA,
DE
Rebus, quæ in Obligationem deducuntur.

Reſp. JEREMIA van DALE, *Fliſſing. Toxand.*

OBligationum ſubſtantia quanquam non in eo conſiſtit, ut corpus aliquod, vel ſervitutem noſtram faciat, obſtringit tamen ad dandum aliquid, vel faciendum, vel præſtandum *l.* 3. *pr. D. de O. & A. l. ſtipulatio iſta* 38. §. *alteri D. de V.O.* Unde ſequitur, nullius momenti eſſe obligationem, in quâ neque res eſt, neque factum.

2. Eſt etiam nullius momenti conventio, ſi de re quidem convenerit, ſed ea quæ neque in rerum naturâ eſt, neque eſſe poteſt: ut ſi Hippocentaurum, aut Chimæram, aut Stichum qui mortuus eſt ſtipuleris. §. 1. *Inſt. de inut. ſtipul. l. ſi ſtipulor* 35. *l. ſi homo* 69. *D. de V.O. junct. l.* 1. §. *ſi id quod dari, l. non ſolum* 31. *D. de O. & A. l. impoſſibilium* 185. *D. de R. J.*

3. Quod ſi in rerum naturâ non ſit, ſperetur tamen, rectè in obligationem deducitur: veluti ſi quis emat, aut ſtipuletur fructus naſcituros in fundo Æbutiano. *l. nec emptio* 8. *l. ſi in emtione* 34. §. *liberum, D. de contrah.*

emt.

emt. l. & quæ nondum 15. *D. de pignor. & hypoth. l. interdum* 73. *D. de V. O.* quo caſu, ſi nulli fructus naſcantur, nulla intelligitur emtio contracta, nulla ſtipulatio *d. l.* 8. *de cont. emt. l.* 1. *in fin. l.* 79. *l.* 99. *D. de cond. & demonſtr. l.* 6. *l. cum illud* 25. §. *heres D. Quand. dies leg. ced. l.* 1. *ff. de leg.* 2. *Coſtal. in d. l.* 8. *Donell. in l. eum qui* 41. §. *ult. de V. O. n.* 7. *Gail.* 2. *obſ.* 23. *n.* 11.

4. Diverſum eſt, ſi quaſi aleam emas, veluti captum piſcium, avium, ferarum, miſſilia, quo caſu etſi nihil captum ſit, pretium tamen venditori debetur, *d. l.* 8. §. 1. *de contr. emt. l. cum hereditatem* 7. *D. de hered. vel act. vend. l. ex emto* 11. §. *ult. D. de act. emt.* ideoque nec prætextu enormis læſionis ſuccurritur *Sand.* 3. *deciſ. tit.* 4. *defin.* 16.

5. Si verò in rerum naturâ ſit, ſed extra commercium hominum conſtituta, veluti ſi res ſacra, ſancta, religioſa ſit, aut liber homo; non poteſt in obligationem deduci. Ac ne quidem ſub conditione valet conventio: *Si ſacra profana facta fuerit: Si liber homo ſervus*: quia hunc caſum exſpectare velle, impium & inhumanum eſt. *l. inter ſtipulantem* 83. §. *ſacram D. de V. O.* §. *idem juris Inſt. de inut. ſtipul. d. l.* 34. §. *omnium l. qui officii,* 62. §. 1. *D. de contrah. emt.* §. *ult. Inſt. eod.*

6. Eſt autem extra commercium non omnis res eccleſiæ, ſed ea quæ immediatè ad cultum divinum conſecrata eſt. §. *ſacræ*

Inſtit. de rer. diviſ. l. ſancimus 21. *C. de ſacroſ. eccleſ.* prædia verò, & reliqua, quæ in cenſu & patrimonio eccleſiæ ſunt, tam etſi & ipſa in privatos alienari prohibeantur, non tamen omninò commercio exemta ſunt: nam & fruenda tradi, & in ſolutum dari, & in emphyteuſin concedi, vendi, permutari, certis caſibus poſſunt. *l. jubemus* 14. *cum auth. ſeqq. C. eod.*

7. Spirituales ſanè res, & beneficia ſacra haut dubiè extra commercium ſunt: rectèque à Leone & Anthemio conſtitutum, ut epiſcopus, qui data pecunia ſacerdotium obtinuerit, ad inſtar publici criminis, & læſæ majeſtatis reus fiat. *l. ſi quemquam* 31. *C. de epiſc. & cler.* Rectè etiam canones ſimoniæ damnant omnes, qui ſpiritualia, vel his annexa data pecunia emerint, vendiderint. *c.* 1. *c. non ſatis c. querelam & tot tit. de Simon. Lancel.* 4. *Inſtit. can.* 3. *Dd. in c. qui clerici. de jur. patr. Moz. d. art.* 7. *n.* 8. *Decia.* 5. *rer. crim. cap.* 77. *& ſeqq.* Quem tamen titulum de Simoniâ, hodie in curiâ Romanâ antiquatum, falsè ex Panormitano notat Coſtal. *in l.* 17. §. *ſicut D. commod.*

8. Publicæ quoque res, & univerſitatis extra commercium ſunt: quare neque purè, neque ſub conditione in obligationem deduci poſſunt. *d.* §. *idem juris eſt*, *Inſtit. de inut. ſtipul. d. l.* 83. §. *ſacram*, *D. de V. O. d. l.* 34. §. *omnium*, *d. l.* 62. §. 1. *D. de contrah. emt.* Sed

ab

ab his quoque ſeparandæ ſunt eæ,quæ in cenſu & patrimonio civitatis ſunt, quæ in obligationem quidem deduci poſſunt,non tamen abſque decreto *l.ambitioſa D. de decret.ab ord.faciend.l.2.pr.l.3.§.1.D. de admin.rer.ad civ.pert. l.9.§.2. eod.l. non debere 8.l. Lucius 21.§. ult. D. ad municip.l.1.C.de admin.rer.publ.l.1. & ſeqq. C. de vend.reb.civit.*

9. Ipſa utique regna, provinciæ, civitates, extra commercium ſunt : quare, non ſolum privatorum de his pactiones illicitæ ſunt, verum ne princeps quidem partem aliquam reipublicæ. pactione alienare abſque conſenſu ordinum, aut populi poteſt. *arg. d. l.2.§.jus reipubl. de admin. rer. ad civ. pert.d. l. ambitioſa de decret.ab ord.fac. §.ult. Inſt. de his qui ſunt ſui vel al. jur. l. ult. C. Si cont. jus vel util.publ. Hotom.illuſt.quæſt.1. Vaſq.1. illuſt. contr.4. Jun. Brut. in vindic. cont. tyr. quæſt.3. Bodin. 1.de rep. 9. & lib. 6. cap. 2. Grot. 1. de jur. bell. 4. n. 10. & cap. 3. n. 12. Mornac. in l. 8. §. invitus D. de procur.* Adde *Sand. de prohib. rer. alien. part. 1. cap.6. §. 1.*

10. Munera quoque publica, & honores non rectè in obligationem deducuntur : vetat enim lex Julia honores redimi, ne qui emit, vendat. Et licet ambitus crimen in urbe ceſſare ſcribat Modeſtinus, *l.un. D.de leg. Jul. amb.* dataque condictio fuerit promiſſorum pro ſuffragio *l.un. C. de ſuffrag.*

ve-

Google

verius tamen eſt, ambitus accuſationem reſtitui à Juſtiniano, *novel.* 8. *cap*. 1. 7. *&* 8. §. 1. *l. ult. C. ad leg. Jul. rep*. Diſſ. *Cuj. ad eand. nov.*

11. Si res in commercio quidem ſit, non tamen in commercio omnium, inutilis erit conventio, ſi non ſit in commercio ſtipulatoris: utilis, ſi promiſſor commercium non habeat *l. multum* 34. *D. de V. O. l. qui offi. cii* 62. *D. de contr. emt. l.* 1. *&* 2. *C. ne mancip. Chriſt. Jud* Quæ diſtinctio non ſolum in contractibus, verum etiam in teſtamentis locum habet. *l. cum ei* 42. *l. mortuo* 49. §. *Labeo D. de leg*. 2. *Dd. in d. l.* 34. *& in* §. *non ſolum Inſt. de legat.*

12. Ex his autem, quæ de rebus extra commercium conſtitutis diximus, apparet, quam ſit periculoſa regula, quam nonnulli colligunt ex *l. venditor* 13. *D. Com. præd.* Quælibet conventio, quæ contractui adjecta eſt, ſervanda eſt, licet res, de quâ conventum eſt, commercio exemta ſit. *Morn. in d. l.* 13. Nec poſſis probare Senatus conſulta illa, quibus pronuntiatum eſt, *arg. d. l.* 13. valere reſignationes beneficiorum, quæ fiunt receptâ penſione annuâ. Vide *c. ult. de pact. c.* 4. *& c. ſuper eo, de tranſact. gl. in c. ordinationes* 1. *q.* 1.

13. Porrò, res quæ in commercio ſunt, vel corporales ſunt, vel incorporales: vel mobiles, vel immobiles: vel genera, vel ſpecies: Omnes hæ in obligationem deduci

ci poſſunt, dumne ſint prorſus incertæ, aut hominis magis deſtinatione, quam natura conſtent. Itaque neque tritici,neque vini, vel olei,aut ſimilium ſpecierum ſtipulatio valet,non expreſſa quantitate. *l. triticum* 94. *l. ita ſtipulatus* 115. *D. de V.O.*

14. Animal quoque, fundum, domum fruſtra ſtipulamur: eſt enim animal genus nimis remotum & incertum: fundus autem, & domus, non naturâ conſtant, ſed hominis deſtinatione. *l. cum poſt. divortium* 69. *§. gener. D. de jur. dot. l. locus* 60. *D. de V. S. l. quod in rerum* 24. *§. quod ſi poſt. D. de leg.* 1. Nec adverſatur *l. ubi autem* 75. *§.* 1. *D. de V.O.* Vide *Cuj. ib. Duar. & Don. in d. l.* 115. *Gœd. in d. l.* 60.

15. Cæterum non ſolum res proprias, ſed & alienas deducere in obligationem poſſumus. Sed neque rem ſuam purè quiſquam rectè ſtipulatur,neque rem alienam in eum caſum,quo ſua futura ſit. *l. ſcire debemus* 29. *§. ſi à fure, l. ſi rem meam* 31. *l. nemo* 82. *D. de V.O. l. ſi ita* 25. *§.* 1. *l. rem alienam* 28. *D. de contrah. emt. l.* 3. *§. ex pluribus D. de adq. vel amit. poſſ. l. & an eadem* 14. *§. actiones D. de except. rei judic. §. ſic itaque diſcretis Inſt. de act. l.* 1. *§. nec minus D. de O. & A. §. Sed ſi rem legatarii Inſt. de legat.*

16. Facta quoque in obligationem deduci poſſunt,ſed honeſta,non turpia. Generaliter enim novimus turpes conventiones nullius momenti eſſe *l. generaliter* 26. *l. ſi ſtipu-*

ſtipulor 35. §. 1. *D. de V.O.* §. *quod turpi Inſtit. de inut. ſtipul. l* 7. §. *ſi paciſcar & ſeqq. l. ſi unus* 27. §. *pacta de pact. l. quod autem* 53. *pro ſoc. l.* 6. §. *rei turpis l.* 22. §. *qui ædem D. mand.* Idem, ſi impoſſibile aliquid in obligationem deducatur : difficultas vero à morâ quidem excuſat, non tamen conventionem inutilem reddit *l. non ſolum* 31. *D. de O. & A. l. impoſſibilium* 185. *de R. J. d. l. ſi ſtipulor* 35. *pr. de V. O. cum ſimil. Coſtal. l. ult.* §. *ſi eâ conditione D. de leg. Rhod.*

17. Cavendum autem, ut unuſquiſque de ſe ſuoque facto promittat: nam ſi alium daturum facturumve promiſerit, non valet ea promiſſio, niſi adjecta ſit pœna, §. *ſi quis alium.* §. *verſa vice Inſtit. de inut. ſtipulat. l. ſtipulatio iſta* 38. §. 1. *l. inter ſtipulantem* 83. *pr. D. de V. O.*

18. Quod ſi effecturum ſe promiſerit, ut alius det, obligatur etſi pœnalis clauſula adjecta non ſit. *d.* §. *ſi quis alium Inſtit. de inutil. ſtipulat.* Sed hoc caſu quæritur, an ſummâ adhibitâ diligentiâ liberetur promiſſor ? Verius eſt eum non liberari, *eod.* §. *& l. ult.* §. 1. *D. de reb. cred. l. illa* 67. §. 1. *D. de V. O. l. ſi fundus* 16. §. *ſed ſi velit D. de pign. & hypoth. Cuj. in d. l.* 38. *pr. de V. O. & Donell. ibid.* Diſſ. *Dd. in ead. l. & in d.* §. *ſi quis alium Inſt. de inut. ſtipulat.*

19. Cavendum etiam, ne de vitâ, de corpore ſuo aliquis promittat : nemo enim membro-

rum

rum ſuorum dominus eſt. *l. liber homo* 13. *D. ad leg. Aquil. l. non tantum* 6. *D. de appell.* Itaque ad mortem, vel corporis cruciatum nemo ſe obligare poteſt: An ad exilium? ad carcerem? Neutrum ſinè diſtinctione affirmandum videtur. Vide *Mornac. in d. l.* 13. *Coſtal. l.* 14. §. *eleganter. D. Sol. matr. Covar.* 2. *var. reſol.* 8. *n.* 8. *Gomeſ.* 3. *var. reſol.* 9. *n.* 8. *Grot.* 2. *de jur. bel.* 21. *n.* 11. *Farin. quæſt.* 33. *n.* 75. *Menoch.* 2. *arbitr. caſ.* 393. *n.* 35. *Berlich. part.* 2. *concluſ.* 27. *Mod. Piſt. part.* 1. *quæſt.* 39. *Argent. art.* 118. *Chop.* 3. *c.* 3. *n.* 17. *Guid. Pap. quæſtion.* 278.

20. Tolerabilior ſanè illa Germanorum, imprimis nobilium, obligatio fuit, quâ promittebant, pecunia ad diem non ſoluta, ſe ingreſſuros diverſorium, nec emigraturos, antequam debitum eſſet exſolutum: quam obligationem ad obſtagia vulgo vocarunt. De qua vide *Gail.* 2. *obſ.* 25. *Mod. Piſt. quæſt.* 138. *Moller, ad conſtit. Aug. part.* 2. *conſt.* 22. §. wir wollen auch & 3. *ſemeſt.* 30. *n.* 7. *Coler. de proceſ. exec. part.* 1. *cap.* 8. *Beuſt. ad l. admonendi D. de jurej. n.* 344. *Arg. art.* 4. *not.* 2. *n.* 1. & *art.* 117.

DI-

DISPUTATIO TERTIA, DE

Perſonis per quas nobis Obligatio acquiritur.

Reſp. GERBRANDO ZAS, *Ultrajectino.*

Ut dominium, ita obligatio adquiritur nobis, non ſolum per noſmet ipſos; verum etiam per eos, quos in poteſtate habemus: liberos videlicet & ſervos. Nec civilis duntaxat, ſed etiam naturalis obligatio per eos adquiritur, *pr. Inſtit. per quas perſon. cuique adq. l. frater à fratre* 38. *ub. Dd. D. de cond. indeb. l. placet* 79. *D. de adq. vel amit. hered. l. ſed ſi damnum* 9. §. *preterea D. de pecul. l.* 6. *pr. D. de pecul. legat.*

2. Et per ſervos quidem abſque ullâ diſtinctione, quia peculium eorundem unius generis eſt. Excipienda tamen ſtipulatio, quâ factum in perſonam ſuam conferunt, veluti ſi ire, agere ſibi licere ſtipulentur: quo caſu ipſi ſoli ire, agere poſſunt, non domini: domini tamen, ſi ſervi prohibeantur, actionem exercent. *l. ſtipulatio iſta* 38. §. *hæc quoque & §. hi qui ſunt l. quod dicitur* 131. *D. de V. O. §. ſed cum factum Inſt. de ſtipul. ſerv. ub. Cuj. in not. §. item vobis acquiritur Inſt. per quas perſon. cuique adq.*

3. Si

3. Si communis ſervus ſit, pro portionibus dominii ſingulis adquirit: niſi aut res ejuſmodi ſit, ut omnibus adquiri non poſſit, aut unius nomine, vel juſſu ſtipulatus ſit *l. proinde* 7.§.*ult.* & *l.ſeq.D.de ſtipul.ſerv.*§.*ult. Inſt.eod.*§.*ult.Inſt.per quas perſ.nob.obl.adq.* Nec adverſatur § *ſi commune Inſt.de injur.* de quo vide *Baron.Mynſ.Weſemb.* & *Dd.com.ibid.*

4. Quid ſi pugnet juſſus cum nomine, id eſt, alter juſſerit, alterius nomine ſervus ſtipulatus ſit? Proponit quæſtionem, ſed obſcure decidit Juſtin. *in d.*§ *ult. Inſtit.per quas perſ.nob.obligat.acquir.* unde nonnulli locum corruptum ſuſpicantur, aliiſque ſanandum relinquunt. Sed rectè jam olim Azo expoſuit, *in ſum.aur.* ex *l.ult.C.per quas perſ. cuiq. adq.* eumque ſecutus Cujac. *Parat.Cod. ibid.*

5. Circa perſonam liberorum quos in poteſtate habemus, diſtinctio peculii adhibenda. Ex cauſâ peculii profectitii filius-familias nullam ſuo nomine actionem habet. *l. filiusfam.*9. *D. de O.* & *A.* Permittitur tamen, ſi peregre ſit pater, & expectatio periculoſa, ut extra ordinem agat depoſiti, commodati, injuriarum, quod vi aut clàm, damni,injuriæ, mandati, certi condictione *d.l* 9. & 13. *D.de O.* & *A.l. cum filiusfam.* 17.*D.de reb. cred.l.ſi longius* 18. §. 1. *D. de jud.*

6. Ex cauſâ peculii adventitii pater agit, ſed

ſed cum conſenſu filii : niſi aut minor annis xxv. ſit, aut furat, aut abſit : quo caſu ſolus pater agit. *l.ult.§. ubi autem C. de bon.quæ lib.* Et hoc quidem extra controverſiam, ſi res ejuſmodi ſint, in quibus pater uſumfructum habet: ſin uſumfructum non habeat, dubitari poteſt propter *nov.* 117. *cap.* 1. quæ liberam diſponendi facultatem filiisfam. concedit. Sed verius eſt, eâ conſtitutione non derogari *d.l.ult.§.ſive è contrario C.de bon. quæ lib. Donel.*17.*com*.4.

7. In peculio caſtrenſi & quaſi caſtrenſi filiusfamilias pro patrefamilias habetur: itaque perinde paterfamilias, & obligat ſibi alios, & agit, etiam adverſus ipſum patrem, l. 4. *&* 11. *D. de jud.pr.Inſtit. Quib. non eſt permiſ. fac.teſtam.l.*2.*D.de SC.Macedon.*§.1. *Inſt. per quas perſon.cuique adquir.l.*4.§.1.*l.ex nota* 10. *D.caſtrens.pecul.*

8. Per liberos homines, & ſervos alienos bonâ fide poſſeſſos, item fructuarios obligatio nobis acquiritur duabus tantum ex cauſis: ſi ex re noſtrâ, vel operis ipſorum deſcendat. §.1.*Inſtit.h.tit.* An idem in uſuariis mancipiis locum habeat, quæritur? Et licet *d.*§.2. uſuaria jungat fructuariis, rectius tamen dicemus, per uſuarium ſervum eam ſolam obligationem nobis quæri, quæ ex re noſtrâ deſcendit, *l. per ſervum* 14. *D. de uſur. & habit.*

9. De bonâ fide etiam quæritur, utrum per

per ſingula momenta exigatur, an vero tandiu nobis adquirat bonâ fide poſſeſſus, quandiu evictus non fuerit? Poſterius quidem Julianus probat, in *l. qui ſcit* 25. §. *ult. D. de uſur.* Sed verius eſt, ſingulis momentis bonam fidem exigi. *l. qui bonâ fide* 23. §. 1. *l. quæſitum* 40. *l. bonæ fidei emtor* 48. §. *per contrarium D de adq. rer. dom. l.* 20. §. *petitam l.* 25. § *de eo & §. ſi ante D. de hered. petit. l.* 3. §. *is qui neſcit D. de hom. liber. exhib.* Vide *Cujac. in d. l.* 40. *tract.* 8. *ad African. Duar. ad tit. de uſurp. cap. Qui fruct. ven. in reſtit.*

10. Famulos mercede annuâ vel menſtruâ conductos, non rectè hâc parte fructuariis & bonâ fide poſſeſſis comparabimus. Num ergò uſuariis? Ne hoc quidem ſimpliciter affirmari poteſt. Vide *l. ſi hi contra quos* 22. *C. de locat. cond. l. qui bona* 23. *D. de adq. rer. dom. l.* 13. & *d. l. per ſervum* 14. *D. de uſ. & habit. l.* 16. §. *tales l. nec audiendus* 17. *l. medicus* 26. *l. operarum.* 50. *D. de Oper. libert. arg. l.* 13. *ff. de uſ. & habit.*

11. Per uxorem marito obligatio vix adquiritur: nam nec operas marito debet, nec rem mariti gerere ſolet, neque oratio Severi & Antonini, de prohibitis donationibus inter conjuges, id pati videtur. *l. liberta* 8. *C. de oper. libert. l. liberta* 46. *l. ſicut* 48. *ff. eod. l. quæritur* 14. §. 1. *D. de ædil. ed. l. ſi mulier* 29. §. *ſi vir uxori l.* 30. & 31. *D. de donat. int. vir. & ux.* Vide *Scip. Gentil. ad eund.*

und.tit.lib.2.cap.18. & 19. Schneid. in §. ſed etſi pater Inſt.Quib.mod.jus patr.poteſt.ſolv.n.6. Mauſer. ad pr. Inſt.de nupt.pag.332.& ſeq.

12. Per liberas perſonas, quæ neque in poteſtate noſtrâ ſunt, neque bonâ fide nobis ſerviunt, obligatio nobis non adquiritur *l.ſi ita 126.§.Chryſogonus D. de V.O.* Alteri enim contrahere vel paciſci nemo poteſt, ut is ſuo nomine utiliter agat, *l. quæcunque 11. D. de O. & A. l. quo tutela 73. §. ult. de R. J. l. 1. C. per quas perſon. nobis acquirit. l. 38. §. alteri D. de V. O. l. 3. & ult. C. de inutil. ſtipul. l. 7. C. Si quis alt. emt. l. 3 C. ne ux. pro mar.*

13. Unde fit, ut ſi quis ſibi & Titio ſtipuletur aureos x. non plus petere poſſit quam v. pro parte autem Titii inutilis ſit ſtipulatio. *§. ſi quis alii Inſt. de inut. ſtip. l. ſi mihi & Titio 110. D. de V.O. ub. Cuj. in com.* Diverſum eſt, ſi mihi aut Titio ſtipuleris: quo caſu ſtipulatio tota valet, Titius verò ſolutionis duntaxat gratia adjectus intelligitur. *d. §. ſi quis alii, l. ult. §. ſi ita D. de V.O.*

14. Excipitur actor vel ſyndicus univerſitatis, per quem univerſitati adquiri poteſt. *l. Gajus 11. D. de uſur. l. 5. §. pen. D. de pecun. conſtit. l. 2. D. de adq. poſſ. l. ult. D. de Quod. cuj. univerſ. nom.* Quod autem Hotom. 4. *obſ. 25. in fin.* putat, ad ſtipulationem ab actore interponendam ſpeciale univerſitatis mandatum requiri, id non ſatis pro-

probat *d. l. ult.* quam ſolam adducit.

15. Excipiunt Dd. etiam Notarium ſeu tabellionem, quem, quod ſervus publicus ſit, cuivis ſtipulari & acquirere poſſe putant. *arg l. non aliter* 18. *D. de adopt. l.* 2. *D. rem. pupil. vel adoleſ. ſalv. fot. l.* 1. §. *exigere. D. de mag. conven. l.* 2. *C. eod.* Et alii quidem ratihabitionem abſentis requirunt: aliis placet, ex ſolâ Notarii ſtipulatione, citra ratihabitionem abſenti & ignoranti quæri. Vide *Coſtal. in d. l.* 18. *Guid. Pap. deciſ.* 49. *Oſaſc.* 33. *Peregr. de fidei. art.* 51. *n.* 14. *Teſſ. deciſ.* 70. *Cuyck ad Crav. conſ.* 252. *&* 805. *Sich. in auth. ſacramenta C. ſi adv. vend n.* 38. *Rebuff. de don. inſin. art.* 2. *gl.* 1. *n.* 4. Rectius Donellus docuit, *in l.* 31. §. *alteri D. de V. O. n.* 31. & Hotom. 4. *obſerv.* 25. jus hoc ſingulare eſſe, ut tabularius pupillo ſtipulari poſſit: non ergo producendum ad conſequentias. *l.* 6. §. 1. *D. Q. cuj. univ. nom. l. quod vero & ſeqq. D. de legib. l.* 3. *C. de tabul.*

16. Excipiunt etiam ſacerdotem: quem quia perſona publica eſt, in his quæ ad ipſius officium pertinent, contrahendis matrimoniis, conſcribendis pactis dotalibus, aliis ſtipulari poſſe putant. *Coſtal. l.* 1. §. *hujus ſtudii D. de juſt. & jur.* Verum nec pacta dotalia quicquam ad ſacerdotes: nec ſi quid hujuſmodi uſus probavit, id etiam juri noſtro civili conſentaneum exiſtimandum.

17. Eccleſiis ſanè, & aliis venerabilibus lo-

cis

cis ſtipulando per alium acquiri, facilius defendere poſſis, *arg.d.l.* 38. §. *ult. D. de V. O. l. ſunt perſonæ* 43. *D. de relig. & ſumt.fun.l.Gajus* 45. *D: Sol.matr.* Vide *Tiraquel.privil.piæ cauſ.* 114. & 115. *Grot.* 3. *manud.* 3. §. *maerſtechtelick. Schneid. in* §. *ſi quis alii Inſtit. de inut.ſtipul.n.* 7. *poſt Baldum in l. illud.C.de SS. Eccleſ.*

18. Contractus quoque juratos nonnulli excipiunt, quos vim judicii habere putant; ideoque per eos alteri quæri: *arg.l.nam poſteaquam* 9. §. *ſi is qui,D.de jurej.Jaſ. ad eand.l.*§. *pen.Coſtal.in l.ſi procurator* 28. *D. de procur. Schneid. ad* §. *item ſi quis poſtulante Inſtit. de act.n.* 52. & *ſeqq.* & §. *ſi quis alii Inſt.de inut. ſtipul.n.* 6. Verum id ex loco adducto nequaquam demonſtrari poteſt.

19. Nec pertinent ad hunc locum ſyngraphæ illæ, vel inſtrumenta, quibus debitor promittit, ſe ſoluturum creditori, vel ei qui eas literas tenuerit. Neque enim alius ſyngrapham proferens ex eâ agere poteſt, niſi ceſſa ei actio, vel nomen datum ſit *l.* 1. & 2. 9.7. *C. de O. & A. l. ex nominis* 8. *C. de her. vel act. vend.l.* 3. *C. de novat.cum ſimil. Sand. de ceſſion. act. cap.* 3. *n.* 16. & 17. *Moller.* 2. *ſem.* 20. *n.* 21. *Chriſtin. ad conſ. Mechlin. tit.* 1. *art.* 48. *Neoſtad: deciſ.ſupr cur. Hol.* 24.

20. Porrò ſuperioribus conſequens eſt, ut quemadmodum ex alterius contractu alias agere nequit, ita nec ex alterius contractu alius

lius conveniri poſſit: adeò, ut nec conjux pro conjuge, nec parentes pro liberis, aut liberi pro parentibus, conveniri poſſint, *tit. C. ne ux. pro marit. & tit. ne fil. pro patr.* Quæ regula cum in contractibus locum habeat, habebit tanto magis locum in delictis: exemplo enim grave foret, ex alterius admiſſo alium plecti. *l. ſi pœna 20. l. crimen 26. D. de pæn. l. ſancimus 22. C. eod.*

21. Si tamen culpa aliqua parentum argui poſſit, aut propinquorum, aut dominorum, etiam ex admiſſo filiorum, pupillorum, famulorum conveniri plectique poſſunt. Hâc enim ratione defendi poſſunt ſtatuta illa, quibus pater pro filio, dominus pro famulo inope mulctam ſolvere jubetur. Vide *Clar. 5. ſent. §. fin. quæſt. 86. n. 5. Farin. qu. 24. n. 150. & 189.* Maritus vero ut ex delicto uxoris plectatur, vix juris ratio pati videtur *l. 4. §. proficiſci D. de off. procons. Argentr. ad conſ. Britan. art. 612.*

DISPUTATIO QUARTA, DE

Diviſionibus Obligationum.

Reſp. PETRO SCHAGHEN,

OMnis obligatio vel naturalis eſt, vel naturalis & civilis, vel civilis tantum non naturalis. Naturalis eſt, quæ ſolo æquitatis vinculo cõſtat, nec parit a-

ctionem: habet tamen effectus, quos enumeravimus *diſp.* 1.*theſ* 11. Civilis ſimul & naturalis, quæ cum æquitate conſtat, tum in jure conſtituendo ita recepta eſt, ut actio ex eâ componatur, *l. naturales* 10. *D. de O. & A. l. ſi ita* 126. §. *supereſt D. de V. O.* Civilis tantum eſt, quæ ſummo quidem jure conſiſtit, ſed naturali æquitate deſtituitur. Talis eſt obligatio ex ſtipulatione, dolo, vi, metu extorta *l. ſi quis cum* 36. *D. de V. O. l. ſiquidem* 9. *C. de contr. & com. ſtip.* Item illa quæ ſupereſt ſublatâ naturali per pactionem, vel jusjurandum. §. 1. *& ſeq. Inſt. de except. l. ait prætor* 7. *& ſeqq. D. de jurej.*

2. Cæterum ſi ſtipulatio non dolo, non vi atque metu contracta ſit, non civilem duntaxat, ſed & naturalem obligationem parit, licet contractus juris civilis ſit. Nec ſequitur: contractus juris civilis eſt, ergò obligatio civilis tantùm. Sicut nec contra ita rectè arguere poſſis: Hic contractus eſt juris gentium: Ergò parit obligationem naturalem tantùm.

3. Obligatio vel civilis, vel prætoria eſt. Civilis eſt, quæ legibus conſtitúta eſt, vel certo jure civili comprobata, §. 1. *Inſt. de Oblig.* Prætoria eſt quam prætor ex ſuâ juriſdictione introduxit vel comprobavit. *l. obligamur* 52. §. *jure honorario D. de O. & A. l.* 1. *D. de pecun. conſtit. l.* 1. 2. 3. *D. de bon. poſſ. l. ait prætor* 34. *l. ſi duo* 13. §. *qui juravit &* §. *Marcellus*

lus D. de jurej. Vocatur eadem honoraria, compleċtiturque ædilitiam. *d.* §. 1. *&* § *prætoriæ Inſt. de diviſ. ſtipul.* §. *prætorum Inſtit. de jur. nat. gent. & civ.*

4. Ad civiles obligationes rectè referemus eam, quæ conſuetudine eſt introducta; qualis eſt obligatio domini & vaſalli: item quæ ex libellario contractu naſcitur: ex retractu municipali, & ſi quæ ſunt ejuſdem generis aliæ. De eâ autem, quæ à principe aliquo, marchione, comite ſuperiorem agnoſcente introducta eſt, dubitatur: dum alii prætoriam dicunt, alii civilem. Nobis prior ſententia rectior videtur: diſſentientes ſanè parum, aut nihil adjuvat *l. formam C. de off. præf. prat. Or. & Illyr. Bartol. & Jaſ. in l.* 5. *pr. D. de V.O. Angel. Jaſ. & alii in* §. *ſed iſta Inſt. de action. Schneid. ad d.* §. 1. *Inſt. de Oblig.* Diſſ. *Weſ. in not. ad Schneid.*

5. Obligatio vel certa eſt, vel incerta. Certa, cum apparet, quid, quale, quantum ſit in obligatione. Incerta contra, cum id diſparet: veluti cum genus eſt in obligatione, pecunia incerta, id quod intereſt, poſſeſſio, uſusfructus, ſervitus, factum. *l. ſtipulationum* 74. *& l. ſeq. D. de V. O. l. certum eſt* 6. *D. de reb. cred.* Quod ſi genus nimis remotum ſit, aut neque genus, neque qualitas, neque quantitas appareat, nulla obligatio naſcitur. *l. triticum* 94. *l. ita ſtip.* 115. *D. de V. O. l. cum poſt divortium* 69. §. *gener. D. de jur. dot.*

6. Cæterùm ſi genus non nimis remotum ſit in obligatione, vel quantitas non expreſsâ qualitate, electio non ſtipulatoris, ſed promiſſoris eſt *l. ſtipulatio iſta* 38. §. *in ſtipulationibus* 18. *d. l.* 75. §. *qui illud aut illud D. de V. O.* §. *plus autem Inſt. de action. l.* 2. §. *non utique D. de eo quod cert. loc. l. ſi ita* 25. *D. de contrah. empt.* cum contra in legato generis electio legatarii ſit, non heredis debitoris. §. *ſi generaliter Inſt. de legat. l. ſi domus* 71. *l. ſi ſervus* 108. §. *cum homo D. de leg.* 1. *Cujac. l.* 2. *D. de V. O.*

7. Obligatio aut in dando, aut in faciendo conſiſtit. In dando, cum hoc agitur, ut rei dominium in accipientem tranſeat *l. ubi* 75. *in fin. D. de V. O. l. non videntur* 167. *D. de R. J.* §. *ſic itaque diſcretis Inſt. de act. l. ult. D. de cond. cauſ. dat.* Ideoque regulariter promiſſor, offerens id quod intereſt, non auditur, *d. l.* 75. *in fin. l. ſi ſervum* 91. *pr. &* §. *ult. D. de V. O. Dd. com. in d. l.* 75. §. *fin. Zaſ. ibid. n.* 3 *ubi gloſſam contrariam truſam vocat.* Diſſ. poſt *glos. Alciat. in d.* §. *fin. Lud. Charond. ibid.* & ex parte *Duar. eod.* §.

8. Quod ſi in faciendo conſiſtat obligatio, non cogitur promiſſor præcisè facere, ſed aut pœna ab eo petitur, ſi promiſſa ſit, aut agitur in id quod intereſt, *d. l.* 75. *& l. ſtipul. non divid.* 72. *l. ſi fundum* 114. *D. de V. O. l. ſi jactum* 12. *D. de act. emt. l.* 4. *C. eod.*

eod.l.ſi quis ab alio 13.*D. de re jud. Duar. &*. *Donel. in d l.*72. *&* 75. *Fab.*6. *conject.* 17. Diſſ. poſt *Bartolum Cujac. in ead. l.* 72. *Coraſ.* 2. *miſcel.*3.

9. Sed ſi non fiat quod promiſſum eſt, quid in obligatione, quid in præſtatione ſit quæritur? Bartolus exiſtimavit, utrumque eſſe in obligatione, & factum, & id quod intereſt; ſed alternativè, electione tributa ſtipulatori. Martinus, factum eſſe in obligatione, id quod intereſt in præſtatione: ideoque promiſſorem cogi præcisè facere, ſi poſſit. Rectius Donellus *in d.l.* 72.*n.* 26. *& ſeqq.* id quod intereſt eſſe in obligatione: factum in præſtatione, quandiu lis conteſtata non eſt. *l.ſi ita* 14. *l. ſi pœnam* 68. *l. quotiens* 81. *l. ſi inſulam* 84. *l.ſi quis* 112. §. 1. *d. l.* 72. *de V. O. l.*3. *D. Si quis in jus voc. non ier. junct.l.* 1. *D. de pen.leg.l. obligationum* 44. §. *fin. D. de O. & A.*

10. Mixtam obligationem, quæ partem in dando, partem in faciendo conſiſtat; & una tamen, ſeu ſimplex ſit, non agnoſcimus, *arg.l.quod dicitur* 86. *l.Titia* 134.§. *ult. l. pen. D. de V.O.* Nec adverſatur *l. cum ſervus* 82. *D. de cond. & demonſtr. Donel. in l.* 2. *de V.O. n.*7. Confer. *Duar. & Charond. ibid. Giph. in l. veteris C.de contr. ſtipul. Pac.in Iſag.*

11. Obligatio vel dividua eſt, vel individua. Dividua eſt earum rerum, quæ partium

præſtationem recipiunt. Individua contra, quæ partium præſtationem non admittit: veluti ſi ſervitus aliqua excepto uſufructu in obligatione ſit. Si factum: nam & facta fermè individua judicantur. Item ſi res ejuſmodi ſit in obligatione, quæ partium quidem præſtationem recipit, ſed niſi tota præſtetur, non ſatisfit conventioni, individuam magis, quàm dividuam dixeris obligationem, *l. 2. §. 1. & ſeqq. D. de V. O. l. hæredes 25. §. an ea & §. contra D. famil. erciſc.*

12. Uſus hujus diviſionis ingens eſt: nam ſi res diviſionem non recipiat, veluti ſi via promiſſa ſit, ſinguli hæredes ſtipulatoris in ſolidum agunt, & adverſus hæredes promiſſoris ſingulos in ſolidum agitur; ita tamen, ut condemnatus repetitionem habeat à coheredibus judicio familiæ erciſcundæ. At ſi res dividua ſit, pro partibus hereditariis & agitur, & reſpondetur. *d. l. 2. §. ex his igitur D. de V. O. d. l. 25. fam. erciſ. l. 6. C. eod. l. 1. C. Si cert. pet. l. 2. c. de hæred. act. l. 1. C. de Except.*

13. Obligatio vel ſimplex eſt, vel multiplex. Simplex, quæ una eſt: cujuſmodi etjam eſt ſtipulatio in annos ſingulos, licet plurium ſit penſionum. *§. at ſi ita Inſt. de V. O. l. ſi Stichum. 16. §. 1. l. eum qui 56. §. qui ita D. eod.* Multiplex, quæ eſt multarum rerum *l. 1. §. pen. l. ſcire 29. pr. l. ubi 75. §. pen. l. Titia 134. §. ult.*

§. *ult.l.pluribus* 140. *D.eod.* Cujuſmodi etiam eſt ſtipulatio annuâ, bimâ, trimâ die: ſunt enim tres trium ſummarum ſtipulationes *d. l. pluribus* §. 1.quare nec inſinuatiō deſideratur, ſi donandi animo interpoſitæ ſint *l. ſancimus* 34. §.*pen.C.de donat.*

14. Obligatio aut pura eſt, aut diem habet, aut conditionem. Pura,quæ neque diem habet, neque conditionem. Ex hâc confeſtim debetur, & peti poteſt, niſi res ipſa dilationem temporis flagitet. *l. cedere diem* 213. *D. de V.S.* §. *omnis ſtipulatio Inſt. de V.O.l. interdum* 73.*D.eod.l.quod dicimus* 105.*D.de ſolut. l. obligationum* 44.*D.de O.& A.*

15. Dies aut certa eſt,aut incerta. Si certa ſit dies, ſtatim debetur, ſed peti non poteſt, antequam dies extiterit. *d.l. cedere diem, d.* §. *omnis ſtipulatio,* §. *pen.Inſt.de inutil.Stipul d.l. obligationum* §. *ex die*, eſt enim dies pro reo. *l.* 38.§.*inter incertam l.eum qui* 41.§.*pen.D. de V.O.l.quod certâ die* 70. *D.de Solut. & liber.* Dies verò incerta pro conditione habetur, *l. dies incertus* 75.*D de cond.& demonſtr. l.talis* 30.§.*ſed etſi D.de leg.*1.

16. Sub conditione autem ſi obligatio contracta ſit,neque debetur, neque peti quicquam poteſt ante conditionem exiſtentem; ſpes tamen eſt debitum iri, eamque ipſam ſpem in heredem tranſmittimus. *d. l. cedere diem.* §.*ſub conditione Inſtit. de V.O. l. is cui ſub conditione* 42.*D.de O.& A.* Excipiunt Dd.

conditionem poteſtativam, ſeu in voluntatē ſtipulatoris poſitam: ea ab herede adimpleri nequit *arg.l.ſi decem* 48.*l.centeſimis* 46. §.*pen.D.de V.O. Bartol.in d.l.* 48-*n.* 5. *Gail.* 2. *obſ.* 2. Sed videndum ne ea exceptio ſublata ſit *per l.veteris* 13.*C. de contr. & comm.ſtip. junct.l. ſi cui purè* 31. §. 1. *D. ad SC. Trebel.* Confer *Duar. d. l.* 48.

17. Conditio verò honeſta eſſe debet, & poſſibilis: Si impoſſibilis, aut turpis ſit, vitiat promiſſionem *l. non ſolum* 31. *D. de O. & A.l.generaliter* 26.*& l.ſeq.l ſi ſtipuler* 35. *D. de V.O.* §. *quod turpi Inſt. de inut. ſtipul.l. impoſſibilium* 185.*De reg.Jur.*licet in inſtitutionibus, legatis, fideicommiſſis, & liberatibus pro non adjecta habeatur. § *impoſſibilis Inſt. de hered. inſtit.l.*1.*l.*9.*l.conditiones* 14.*& l. ſeq.D.de cond.inſtit.*

18. Obligatio aut modum habet, aut acceſſionem, aut neutrum. Modum, veluti cum alternatim decem debentur, aut homo. Quo caſu ſolutio unius totam obligationem perimit, neque peti alterum poteſt, quamdiu utrumque in medio eſt: ſed altero peremto, alterum in obligatione rémanet. *d. l.* 44. §. *modus D.de O. & A. ſi in emtione* 34. §.*pen. D. de contr. empt.*, Eſt autem in alternativis electio rei,ſeu promiſſoris,*l* 2.§.1 *D.de cond. quod cert.loc.l.plerunque* 10.§.*ult.D.de jur.dot. l.ſi ita* 25.*D.de contr. emt. l. ubi autem* 75. §. *qui illud aut illud D. de V. O. l. ſi is qui* 66. *de pro.ur.*

19. Ac-

19. Acceſſio aut perſonæ eſt, aut rei. Perſonæ, cum mihi aut Titio ſtipulor: quo caſu Titio ſolutionis gratia adjecto, etiam me invito ſolvi poteſt. §. *ſi quis alii Inſt. de inut. ſtipul.* Rei, cum mihi x. aut Titio hominem ſtipulor: aut cum ita: Si fundum, non dederis c. dare ſpondes: quibus caſibus alterum duntaxat in obligatione eſt, alterum in præſtatione. *d. l.* 44. §. *acceſſio & §. ſeq. D. de O. & A.*

20. Obligatio aut ex conventione, aut ex facto deſcendit. Conventio vel pactum, vel contractus eſt. Contractus vel verus, vel quaſi contractus. Factum vel delictum vel quaſi delictum. *l. actionum* 25. §. *actionum l.* 1. *l. obligamur* 52. *D. de O. & A.* §. *ult. Inſtit. de oblig.* de quibus ſingulis deinceps ordine. Ex conventione autem obligatio efficax naſci dicitur, non quod [illegible]a conventio actionem pariat, ſed conventio & lex: & ita quidem, ut legis principes partes ſint; nec malè Bartolus legem viro, fœminæ conventionem comparaſſe videatur. Vide *Govean.* 2. *var. lect.* 28. *Schneid. de oblig. natural. n.* 23.

DISPUTATIO QUINTA, DE PACTIS.

Reſp. Henrico de Heusch; *Rheno-Trajectino.*

1. Conventio eſt duorum pluriumve in idem placitum conſenſus. Species ejus ſunt, pactum, & contractus *l.* 1.§.1.*& ult.l.*7.*D. de pact. l. ult. C. de rer. permut. l.ſi tibi* 27. *C. locat.cond.l.ſolent* 15.*D.de præſcr.verb.l.ſi diviſionem* 15. *C.famil.erciſc.* Pollicitatio vero cum ſit offerentis ſolius promiſſum, conventionis ſpecies non eſt: tranſit tamen in conventionem, ubi fuerit acceptata. *l.* 3.*D. de pollicit.l.nuda.* 5.*C.de contr.& comm. ſtipul. l.dotale* 15.*D.de fund.dot.l.ult.D.de O.& A. Cujac.* 19. *obſerv.*32. *Duar. in l.* 1. *verb. duorum conſenſus D. de pact.* Aliter *Con.* 5. *com.* 8.

2. Nec votum propriè conventio eſt, tametſi obliget voventem, eaque obligatio etiam in heredes tranſmittatur *l.*2.*D.de pollicit.* atque ſancta promiſſio definiatur, Deo de re aliquâ licitâ, & pio fine facta; juxta *Ambroſ. in c. unuſquiſque* 22. *q.* 4. *Auguſtin. c. quod Deo & ſeqq.* 33. *q.* 5. *Calvin.* 4. *Inſtit. Chriſt.* 13. *Mart. claſ.*3, *cap.* 6, *n.* 2. *Aret. in problem.part.*2.*cap.de vot.*

3. Pactum eſt duorum pluriumve in idem placitum

placitum conſenſus: ſolus ſcilicet, & nudus, ex quo nec obligatio, nec actio oritur. *d.l.* 3. *de pollicit.d.l.* 1. *&* 7.*D.de pact.&c.* Ita malo, quam conventionem ſine cauſa, definire: nam ſi per cauſam, dationem vel factum intelligas, uti ſanè intelligere neceſſe eſt, reperientur conventiones ſine cauſa, quæ tamen pactiones nudæ non ſunt. Nec aliam inter pactionem & pactum agnoſco differentiam, niſi quam inter pactionem & pactum, ſimilesque voces agnoſcunt Grammatici.

4. Paciſcimur vel re: id eſt, inter præſentes ſermone tractatuque habito: vel per nuntium aut literas, inter abſentes. Tacite quoque paciſcimur, ut multis exemplis declaratur. In quibus exemplis nihil ferè difficultatis eſt, niſi quod dubitetur, an reddito pignore perimatur jus pignoris? an invecta & illata in prædium ruſticum ſciente dòmino tacite ſint pignori? Prius affirmamus, poſterius negamus *l.* 2. *& ſeqq. D. h. tit. l.* 7. *D. In quib. cauſ. pign. tac. contr. l.* 3. 5. *C. eod. Cujac. l.*2. *&* 4. *D. h. tit.*

5. Fiunt pactiones aut ex publicâ, aut ex privatâ cauſa. Ex publicâ, quoties inter ſe duces belli quædam paciſcuntur. Ex privatâ, cum privati homines ex diverſis animi motibus in unum conſentiunt. Illæ ſponſiones propriè dicuntur, cum duces ſine populi principiſve juſſu paciſcuntur, nec obligant

populum ante ratihabitionem. Juſſu verò interveniente, fœdera appellantur. Itaque rectè Pop. Rom. pactiones cum Samnitibus in furculis Caudinis à Poſthumio, cum Numantinis, ab Hoſtilio Mancino factas, irritas habuit. *Liv. lib.* 9. *& in epit. lib.* 55. & 56. *Polyb. lib.* 3. *Vellej. lib.* 2. *Flor. lib.* 2. *cap.* 18. *Bodin. lib.* 5. *de rep. cap.* 6.

6. Pactiones vel legitimæ ſunt, vel nec legitimæ. Legitimæ, quæ lege aliquâ, vel S C. vel conſtitutione principis, vel edicto confirmantur, ita ut actionem, vel pariant, vel tollant. Nec legitimæ contra, quæ nullâ lege adjuvantur. *l. legitima* 6. *D. h. tit.* Pariunt, pactum donationis *l. ſi quis argentum* 35. §. *ſed ſiquidem &* §. *ult. C. de donat.* pactum conſtitutæ pecuniæ *l.* 1. *D. de pec. conſtit.* §. *de conſtituta Inſt. de act.* nuda dotis promiſſio *l. ad exactionem* 6. *C. de dot. promiſ.* pactum pignoris, ſive hypotheca *l.* 1. *D. de pign. act. l.* 4. *D. de pign. & hyp. l.* 17. §. *de pignore. D. h. tit.* non compromiſſum, non pacta uſuraria. Tollunt, pactum de injuriâ, de furto: non etiam de re judicatâ, de incenſis ædibus factum *l.* 7. §. *ſi paciſcar l.* 17. §. 1. *l.* 27. §. *pacta D. h. tit.*

7. Pacta vel in rem ſunt, vel in perſonam. In rem, quoties generaliter paciſcor, e. gr. ne petas. In perſonam, quum paciſcor,

ſcor, ne à me petas. Illud perpetuum eſt, & prodeſt etiam heredibus, omnibuſque quos non teneri paciſcentis intereſt. Hoc perſonam non egreditur paciſcentis *l.* 7. §. *pactorum l.* 17. §. *pactum conventum l.* 21. *& ſeqq. D. h. tit.* Quod ſi dubitetur, utrum in rem, an in perſonam ſit, in rem potius eſſe præſumitur. *l. ſi pactum* 9. *D. de probat. junct. l. ſicut* 8. §. *ſi debitori* 16. *D. Quib. mod. pign. ſolv.*

8. Pactus eſt pater, ne à ſe, neve à filio petatur: an prodeſt pacti exceptio filio? Prodeſt *l. avus* 33. *D. de pact.* Nec adverſantur *l. ſi tibi* 17. §. *ſi pactus ſim l. & heredi* 21. §. *nos autem D. eod. Accurſ. Cujac. Zaſ. Baro, Coſtal. & alii in d. l.* 17. *&* 33. An coheredibus quoque filii? Non prodeſt: uni enim ex heredibus conſuli conceſſum eſt *d. l.* 33. *& l. avus* 10. *D. de pact. dotal.* Nec adverſatur *l. eum qui* 56. §. 1. *D. de V. O. Cujac. in d. l.* 33.

9. Si poſſeſſor hereditatis pactus ſit, an pactio ejus prodeſt vero heredi? Non prodeſſe reſpondit Paulus *d. l.* 17. §. *pen. D. h. tit.* nec veriſimile eundem ſibi contradixiſſe, *in l. ſi poſt conſtitutam* 22. *D. de pecun. conſtit.* Vide poſt *gloſſographos Coſtal. Cuj. & Hotom. in d. l.* 17. *Fabr.* 15. *Conject.* 5. *Ludov. Charond.* 2. *veriſim.* 8.

10. Paciſci privati de re duntaxat familiari poſſunt: publicum enim jus privatorum pa-

ctionibus mutari nequit *l.* 7. §. *ſi paciſcat l.* 27. §. *pacta & ſeqq. l. contra* 28. *jus publicum l.* 38. *D. de pact.* Itaque pacta de futura ſucceſſione non valent: teſtamento enim, vel lege defertur hereditas, non pacto *l.* 5. *C. de pact. conv. l.* 3. *C. de collat. l.* 15. 19. *& ult. C. de pact. l. ult. D. de ſuis & legit. hered.* Nec excipimus pacta dotalia, pacta de mutuâ ſucceſſione, pacta jurata, pactum de ſucceſſione rei ſingularis, unionem prolium, pacta perſonarum illuſtrium.

11. Excipimus pactiones militum *d. l. licet* 19. *C. h. tit.* pactionem de hereditate tertii factam, ſi tertius ille conſenſerit, *d. l. ult. C. eod. Ever. conſ.* 112. Quo caſu ſi quæras, utrum conſenſus ille expreſſus eſſe debeat, an ſufficiat tacitus, expreſſum requiri dixerim, cum Purpur. *ad l. ult. num.* 66. Gilken. *num.* 24. tametſi Menochius contrarium crebrius reſponſum à Dd. teſtetur, *volum.* 1. *conſil.* 1. *numer.* 166.

12. Eâdem ratione improbatur pactum quo id agitur, ne domino locum ſuum dedicare liceat, aut vicino invito alienare. *l. penult. D. de pact. l. quod ſi locus* 11. *D. de relig. & ſumt. fun.* Quibus tamen reſponſis derogari videtur *l. ult. C. de pact. int. emt. & vend.* junct. *l. ult. C. de reb. al. non alien. l.* 3. *C. de cond. ob. cauſ. dat. Cuj. & Baro in d. l.*

pen.

pen. Hotom. 9. obſ. 5. Meril. in d. l. ult. Sand. de prohib. rer. alien. part. 4. cap. 2. num. 13. Conciliationes ſanè infirmæ ſunt, quas adferunt *Donel. d. l. 3. num. 4. Coſtal. d. l. pen. Pac. 2. antin.* 11.

13. Contra valet pactum, quo debitor paciſcitur cum creditoribus de quotâ debiti ſolvenda: ſit enim de re familiari. Adeoque probatur, ut etiam prætor cogat minorem partem creditorum ſequi voluntatem majoris partis. *l.* 7. §. *ſi ante* 71. & §. *ult. l.* 8. & 9. *D. de pact.* Verum hypothecariis ea pactio non obeſt *l. reſcriptum* 10. *D. eod.* An privilegiatis? Affirmat Ulpianus *in d. l. reſcriptum.* Nec rapit in contrarium Paulus *in l. ſi præcedente* 58. §. 1. *D. mand.* Vide poſt *Gloſ. Bartol. & veteres Baron. Coſtal. Cujac. Mornac. in d. l. reſcriptum.*

14. Quantum ad vires pactorum attinet, pacta niſi lege vel edicto confirmentur, jure civili neque pariunt actionem, neque tollunt ipſo jure *l.* 6. & 7. *D. de pact. l.* 5. 7. 10. *l. cum proponas* 21. *C eod l. ſi tibi* 27. *C. de locat. cond. l.* 1. & *l.* 3. §. 1. *D. de pecun. conſtit. l.* 3. & *ult. C. de rer. permut. l. ſolent* 15. *D. de præſcr. verb.* An jure canonico pariant actionem, controvertitur. Et licet plerique id affirment, *per c.* 1. & 3. *de pact.* Verius tamen eſt; ex iis locis id neceſſario inferri non poſſe. *Conna.* 5. *com.* 3.

Exci-

15. Excipiunt Dd. pacta jurata, ſcripta, ſeu chirographo munita, & in judicio facta; ex quibus etiam citra ſtipulationis firmamentum actionem dari putant. *Gloſſ. & Dd. in c. 2. de pact. in 6. Jaſ & Dd. in l. 7. §. ſed cum nulla D. eod. Weſ. in parat. h. Schneid. de pact. n. 17. Moller. 4. ſemeſtr.* 40. Non rectè: *l. non dubium C. de legib. d. l. 7. §. & generaliter D. de pact. l. 5. l. cum mota 6. l. cum proponas 17. l. ſive apud acta 28. l. ubi pactum 40. C. de tranſact. l. pactum 17. C. de pact. l. cum res 12. C. de probat. l. in exercendis 15. C. de fid. inſtrum.*

16. Sanè ſi pacta adjecta ſint contractui in continenti, ſive is bonæ fidei, ſive ſtricti juris ſit, proſunt ad agendum. *l. 4. §. ult. l. 7. §. quinimo D. de pact. l. bonæ fid. 13. l. petens 27. C. eod. l. lecta 40. D. de reb. cred. Duar. in d. § quinimo. Hotom. in Schol. ibid. Coſtal. in d. l. lecta.* Diſſ. *Cuj. in d. §. quinimo. & 2. obſ. 15. & 10. obſ. 24. Donel. in d. l. 13. n. 12. & ſeqq.*

17. Prodeſſe autem ad agendum dicuntur non tam, quod novam actionem pariant; quam quod forment, informent eam ipſam actionem, quæ ex contractu, cui adjecta ſunt, dari ſolet. *d. l. 7. §. quinimo l. 4. D. de leg. commiſ. l. Labeo 50. l. fundi 79. D. de contrah. emt. l. 6. D. de reſc. vend. l. 6. §. 1. D. de act. empt. l. 3. C. eod. l. 2. C. de pact. int. emt. & vend. l. permiſiſti 16. de præſcr. verb. l. ex con-*

conventione 11. *C. de pact. Duar. & Cuj. dd. loc. Donel. l.* 13. *C. de pact. n.* 11. *Alciat.* 5. *parad.* 1.

18. Quod ſi ex intervallo pactum adjiciatur contractui, non ad agendum, ſed excipiendum duntaxat prodeſt: niſi fortè ſubſtantiam contractus mutet, vel eidem detrahat: quo caſu actio non tam ex pacto, quam novo contractu dabitur. *d.l.*7.§.*quinimo &* §. *adeo l.*27.§.*pactus D. de pact. l.* 3. *D. de reſcind. vend. l. pacta* 72. *D. de contrah. emt. l. venditi* 6. *C. de act. emt. l. initio* 5. *C. de pact. int. emt. & vend. Cujac. dd. loc. Hotom.* 11. *obſ.* 4.

19. Si pactus ſim, ne à me petas, dein convenerit, ut petas: prius pactum per poſterius tollitur, non ipſo jure, ſed per replicationem *l. ſi unus* 27. §. *pactus ne peteret D. h. tit. pr. Inſt. de replicat.* Nec adverſatur *l. Stichum* 95. §. *naturalis D. de Solut. & liberat. Hotom. in ſchol. ad d.* §. *pactus Don. ad l.* 12. *C. de pact. Zaſ.* 1. *ſingul. reſponſ.* 5. *Coraſ.* 2. *miſcel.* 16.

20. Sed ſi prius pactum fortè in rem fuerit, adeoque etiam fidejuſſori proſit, an utilitas priori parta, adimitur rurſum fidejuſſori per pactum poſterius? Negat *l. ult. D. de pact.* Affirmat *l. ſi unus* 27. § *pactus D. eod.* Quæ reſponſa tametſi è diametro contraria videantur, non tamen de conciliatione deſperandum. Vide poſt *Gloſſographos*

graphos Cuj.in d. §.*pactus.Hotom. ibid.Conna.* 5.*com.*4. *Char.* 2.*veriſim.*9.

21.Pacta obſcura contra eum interpretari debemus, in cujus poteſtate fuit, legem apertius dicere. Itaque contra venditorem potius, quàm emtorem *l.veteribus* 39. *D. h.tit. l. Labeo* 21. *l. cum in lege* 33. *D. de contrah. emt. l.in contrahenda* 172. *D. de R. J.l.ob res* 20. §. 1.*de pact.dotal.* Nec adverſatur *l. ſi in emtione* 34. *pr. D. de contrah. emt. Duar. ad tit. de pact. cap.* 6. *in fin. Cujac.* 1.*obſ.*10.*&* 23. *obſ.*31. *Hotom.* 13. *obſ.*10. *Coſtal.in d.l.* 39.

DISPUTATIO SEXTA,

De

TRANSACTIONIBUS.

Reſp. FRANCISCO JUNIO, *F. N. Grom.*

I. TRanſactio pactum eſt, quod ſit inter duos pluresve controverſiæ litiſve decidendæ gratiâ, aliquo dato, vel retento, vel promiſſo. *l.*1. *&* 2.*D.de transact. l.*2.*l. ſi de certa* 31. *l.transactio* 38. *C.eod.l.ſi instituta* 27. *D. de inoff. teſtam.* Peccant ergò, qui contractum definiunt. *Duar.in l.* 1. §. 1. *D.*

1. *D. de pact. Cujac, 11. obſerv. 17. in fin.*

2. Tranſigere poteſt non ſolùm dominus litis, ſed & procurator, ſi ſpeciale mandatum habeat, aut univerſorum bonorum ſit *l. tranſactio 7. C. h. tit. l. nam & nocere 12. & l. ſeq. D. de pact. l. jusjurandum 17. §. ult. & ll. ſeqq. D. de jurejur.* Et id ipſum tamen permiſſum intelligimus, cum negotii qualitas, vel domini utilitas exigit; non cum donandi, deminuendive animo vult decidere. *arg. l. mandato 60. l. procurator totorum 63. D. de procur. l. creditor 60. §. Lucius Titius D. mandat.*

3. Tutor quoque & curator tranſigere poſſunt: non tamen contra legis voluntatem tranſigendo donare aut perdere *l. Lucius 46. §. ult. D. de admin. tut. l. interdum 56. §. penult. D. de furt. l. contra 28. §. 1. D. de pact. l. non omni 16. C. de admin. tut.* Idem dicendum de patre, res filii adventitias adminiſtrante. *arg. l. 1. C. de bon. mat. l. ult. §. ſin autem æs alienum C. de bon. quæ lib. Pinel. in d. l. 1. part. 3. num. 44. & ſeqq. Scip. Gentil. de bon. matern. cap. 19. Sand. 2. deciſ. tit. 7. def. 4.*

4. Hoc amplius adminiſtratores rerum civitatis, rectores collegiorum, magiſtri ſocietatum, & ſi qui ſimiles, tranſigere abſque ſpeciali mandato poſſunt, dumne perdendi animo *l. Præſes 12. C. de tranſact. l.*

item

item magiſtri 14. *D. de pact. l.* 2. *§. jus reip. l. magiſtratus* 6. *D. de admin. rer. ad civit. pertin. Gloſſ. Bart. Jaſ. Coſt. & Dd. com. ibid Gail.* 2. *obſ.* 72. *n.* 11. Procurator verò principis tranſigere non poteſt inconſulto principe, *l. nulli* 13. *D. de tranſact.*

5. Vaſallos quoque abſque conſenſu domini tranſigere poſſe, decidendi, non deminuendi gratiâ, verius eſt. §. *è contrario tit. de investi. de re al. fact.* §. *ſi vaſallus. Si de feud. def. cont. ſit. c. un. de contr. int. vaſal. & al. de benef. Cujac.* 4. *feud.* 23. *Schenck* 3. *feud.* 4. *ad* §. *ſi vaſallus. Duar. de feud. cap.* 12. *num.* 10. Adde *Clar.* §. *feudum. quæſt.* 38. *Schrad. part.* 8. *cap.* 1. *n.* 43. *& ſeq. Borch. cap.* 8. *n.* 44.

6. Quod ad cauſas attinet, tranſigi poteſt non ſolum de lite, quæ jam fervet, ſed & eâ, quæ timetur. *l.* 1. *l. cum hi* 8. *D de tranſact. l.* 2. *de fideicommiſſo* 11. *nec intentio* 23. *C. eod. l. in ſumma* 65. *D. de cond. indeb.* De eâ verò, quæ ſententiâ judicis, vel jurejurando deciſa eſt, fruſtra tranſigitur: niſi fortè provocatum ſit, aut provocare quis potuerit, aut negetur juratum vel judicatum eſſe. *l. & poſt rem* 7. *l. poſt rem* 11. *D. de tranſact. l. ſi ex cauſa* 32 *C. eod. l. eleganter* 23. §. *pen. D. de cond. indeb.*

7. De alimentis teſtamento, vel codicillis, vel per donationem mortis cauſâ relictis, non licet tranſigere ſine decreto prætoris: nempe de futuris; de præteritis rectè tranſigitur

ſigitur abſque prætore *l. cum hi* 8. *D. de tranſact. l. de alimentis* 8. *C. eod.* Nec decretum deſideratur, cum alimenta ex contractu, non ultimâ voluntate debentur. *d. l. cum hi* §. *hæc oratio. Cujac. ibid. Duar. ad tit. de tranſact. cap.* 2. *in fin. Hotoman. diſput. de tranſact. cap.* 2. *n.* 25. *Surd. de alim. tit.* 8. *privil.* 56. *n.* 84.

8. An idem dicendum de reliquis controverſis, quæ ex teſtamento proficiſcuntur, non eſt expeditum. Leges enim duo ad tranſactionem deſiderare videntur: judicem, & teſtamenti inſpectionem, *l.* 1. §. *ratio D. teſtam. quemad. aper. l. de his* 6. *D. de tranſact.* Communis opinio non quidem judicem, inſpectionem tamen tabularum deſiderat. *Gloſſ. Bartol. Bald. & Dd. in dd. ll. Fab. Cod. Sab. tit. de tranſact. def.* 1. Neutrum deſiderant *Æmil. Ferret. in l.* 3. §. *cum tranſactio D. de tranſact.* Cujac. *in d. l.* 6. & 3. *obſ.* 37. quorum ſententiam defendere conabimur.

9. Doctores eò amplius ad robur tranſactionis repertorium ſeu inventarium requirunt, ac neque tranſactionem, neque venditionem hereditatis abſque inventario valere putant. *Molin. de divid. & ind. obl. in præfat. num.* 87. *Argentr. ad conſuet. Britan. art.* 477. *gloſſ.* 4. *n.* 4. *Weſenb. conſ.* 52. *n.* 73. *Mornac. in l.* 6. *D. de tranſact. Montan. de tutel. cap.* 38. *n.* 141. Verùm id in libris juris

ris noſtri non reperitur, & idcircò impunè ſperni poteſt.

10. De cauſa ſtatus an tranſigi poſſit, ambigitur. Anaſtaſius approbare videtur has tranſactiones, etiamſi pro conditione ſervili confectæ ſint, *l.ult.C.de tranſact.* Contra Valerianus & Diocletianus innuunt, *l. nec ſi volens* 6. *l. liberos* 10. *l.poſt certi* 36. *C. de liber. cauſ. l. tranſactione* 26. *C.de tranſact.* pactionem non ſufficere ad efficiendum liberum, aut ſervum. Nullum hic agnoſcimus diſſidium. Vide *Duar. ad tit. D. de tranſact. cap. 2. Hotom. in ſchol. ad d. l. ult. Donel. ibid. in com.*

11. Ad cauſas matrimoniorum quod attinet rectè placuit Dd. valere tranſactionem pro matrimonio factam, non contra matrimonium. *arg. c. fin. de tranſact. c. lator. de ſent. & re jud. Beuſt. part. 1. de Sponſal. & matr. cap.*29. *Gloſ. in d.c.fin. verb. ſacramentum. Gail.*2. *obſ.*94. *n.* 14. *Schneid. in §.item ſi quis poſtulante Inſt. de action. n.*28.

12. Atque hæc quidem de cauſis civilibus. Quantum ad crimina, notiſſima eſt diſtinctio *l. tranſigere* 18. *C. de tranſact. De criminibus capitalibus, excepto adulterio, tranſigere prohibitum non eſt : de aliis autem, quæ ſanguinis pœnam non ingerunt, tranſigere non licet, citra falſi accuſationem.* In hâc conſtit. per capitale crimen intelligimus illud ſolum, cujus pœna mors eſt *arg. l.* 1. *D. de bon. eor.*

qui

qui ant. ſent. mort. ſib. conſciv. l. ult. D. de pravar. Cuj. 6. obſ. 11. Donel. in d. l. transſigere num. 2. Del-Rio ibid. n. 35. & ſeq.

13. Licet autem tranſigere de capitalibus, tam ante quam poſt inſtitutam accuſationem : & quidem impunè, ſi reum ſpectes : ſin accuſatorem, vix eſt, ut poſt inſtitutam accuſationem impunè tranſigere poſſit ; quia deſiſtere ei non licet abſque abolitione *l. 1. §. accuſationem l. 6. D. ad SC. Turpil. l. 1. 3. 5. C. eod.* Non eſt autem juſta abolitionis impetrandæ cauſa, quòd cum reo tranſegerit. *l. 2. C. de abolit.* Variè Dd. *Del-Rio n. 62. & ſeqq. Donel. n. 20. Clar. 5. ſent. §. ult. quæſt. 58. n. 2. Decia. 3. rer. crim. 34. n. 10. & 11. Hotom. ill. quæſt. 23. Vall. de reb. dub. tract. 17.*

14. Porrò verbum, *licet*, ad accuſationem magis referimus, quàm ad crimen. Crimen enim tranſactione non perimitur : & ideo tranſactio neque judici obſtat, quò minùs ex officio in reum animadvertat : neque aliis accuſatoribus, quo minus eundem reum repetant, *arg. d. l. 2. C. de abolit. junct. l. ita vulneratus 51. D. ad leg. Aquil. l. ſi unus 27. §. ante omnia D. de pact. cum ſimil. Donel. h. n. 4. Gomeſ. 3. reſol. 3. n. 55. Clar. d. quæſt. 58. n. 3. & 4.* Diſſ. *Bajard. ad d. quæſt. 58. n. 11. & 12. Decia. d. cap. 34. n. 35. Farin. qu. 4. n. 34.*

15. Cùm adulterium excipitur, quærunt Dd.

Dd. an de ſtupro, de raptu, Sodomiâ, inceſtu tranſigere liceat? Non licet de ſtupro, quia capitale crimen non eſt: non de Sodomitico ſcelere propter turpitudinem: non de raptu, quia plerunque cum adulterio vel ſtupro conjunctus eſt: non de inceſtu, propter eaſdem ferè cauſas. Variè Dd. *Del-Rio n.* 114. *& ſeq. Donel. n.* 8. *Sich. n.* 11. *Con.* 5. *com.* 7. *n.* 3. *Clar. § inceſtus n.* 2. *Decia.* 8. *cap.* 8. *n.* 10. *Mod. Piſt. quaeſt.* 92. *Coler. deciſ.* 174.

16. Poſteriore parte *d. conſt.* cum Impp. ajunt: *citra falſi accuſationem*: magnus eſt Dd. conflictus, utrum excipiant crimen falſi à criminibus non capitalibus, an verò tranſigentem de non capitalibus, ſubjiciant falſi accuſationi. Nobis prior ſententia rectior videtur, cum aliis de cauſis, tum vel imprimis, propter *l. ipſe ſignificas C. ad leg. Corn. de falſ.* ubi tranſactio de falſo diſertis verbis probatur. *Cujac.* 6. *obſ.* 11. *&* 19. *obſerv.* 39. *Con. d. cap.* 7. *num.* 3. *&* 4. *Gov.* 1. *var. lect.* 30. *Del-Rio h. n.* 141. *Decia. d. cap.* 34. *num.* 53. Diſſ. *Alciat. ad h l. n.* 71. *Donel. n.* 16. *Rev.* 4. *var.* 6. *Fab.* 2. *conject.* 20.

17. Privatorum delictorum in ſpecie non eſt facta mentio in *d. l.* 18. Unde dubitatur, an de his tranſigere liceat? Si quidem civiliter agatur, tranſigere de re dubiâ licet; redimere pretio manifeſtam turpitudinem non licet: *l.* 1. *l.* 6. *§. pactusque D. de his qui not. infam. l. non damnatos* 18. *C. eod.* Sin extra ordinem

dinem criminaliter, recurrendum ad definitionem *d. l. tranſigere.*

18. Vires tranſactionis quod attinet, ea per ſe ſola actionem neque parit, neque tollit. *l. 3 4. l. cum mota 6. l. ut reſponſum 15. C. de tranſact.* Sed ſi pœnalis ſtipulatio adjecta ſit, pœna ex ſtipulatu peti poteſt *l. pacto 15. & ſeq. D. eod. l. reſcriptum 10. §. ſi pacto D. de pact.* Poteſt etiam præſcriptis verbis agi, re ab unâ parte ſecutâ *d. l. cum mota.* Poteſt condici ei, qui placitis fidem non præſtat *l. 1. §. ult. D de cond. cauſ. dat.* Poteſt idem ſummoveri per exceptionem peremptoriam *d. l. reſcriptum l. qui fidem 16. D. de tranſact.* quam, cur præ reliquis peremptoriis privilegiatam, & litis finitæ Dd. vocent, non video.

19. Reſcinditur trânſactio ob juſtum metum *l. interpoſitas 13. C. de tranſact.* ob dolum malum *l. 4. l. ſub prætextu 19. C. eod. l. 5. C. de dol.* Quòd ſi non dolo adverſarii, ſed re ipsâ quis circumſcriptus ſit, non reſcinditur tranſactio. Sanè beneficium *l. 2. C. de reſc. vend.* in tranſactione non habet locum *l. Lucius 78. §. ult. D. ad SC. Trebel. l. 2. C. de tranſact. l. in ſumma 65. §. 1. D. de cond. indeb. Donel. in d. l. 2. C. de reſc. vend. n. 61. Giph. ibid. Mornac. in l. 7 & 9. D. de tranſact. Con. 7. com. 9. in fin. Afflict. deciſ 220. Gail. 2. obſ. 70.*

20. Propter inſtrumenta noviter reperta

 tranſactio

tranſactio non reſcinditur *d. l. ſub prætextu. d.l. Lucius.* Sed ſi ex falſis inſtrumentis facta ſit, reſcinditur *l. pen. C.h. tit.* Utrum ipſo jure, an officio judicis? Verius eſt ipſo jure, ſicut & res ex falſis inſtrumentis judicata *l. 1. & tot. tit. C. ſi ex falſ. inſtrum. judic. ſit. tit. C. Si tut. falſ. alleg. excuſ. mer. l. ſi prætor 75. D. de jud. l. qui agnitis 11. D. de Except. Zaſ. 1. ſingul. reſponſ. 13. Giph. in d. l. pen.* Diſſ. *Accurſ. Bartol. Alciat. & alii in ead. l. pen.*

21. Si juramento firmata ſit tranſactio à majoribus annis xxv. is, qui fidem violat, incidit in pœnas *l. ſi quis major 41. C. de tranſact.* De quâ conſtit. non ſine cauſa quæſitum; tantumne de tranſactione, an magis de quovis pacto intelligenda? Verius eſt eam de tranſactione duntaxat loqui, non etiam de quâvis pactione, ut rectè ſenſit *Giphan.* & ex parte *Alciat. in com. ad eand. leg. Donel. in l. 2. num. 11. C. de reb. cred. & jurej.* Diſſ. *Bart. in d. l. 41. n. 13. Bald. n. 14.* eoſque ſecutus *Gilken n. 19.*

DISPU-

DISPUTATIO SEPTIMA,

DE

Contractibus Innominatis.

Reſp. NICOLAO vander SCHUER,

1. Contractus eſt duorum pluriumve in idem placitum conſenſus, ex quo oritur obligatio & actio. Eſtque vel nominatus, vel innominatus' Innominatus eſt, cujus proprium nomen proditum non eſt, habet tamen cauſam: id eſt, dationem vel factum. *l. juris gentium 7. D. pact. l. 3. l. 5. l ſolent 15. D. de praeſcr. verb. l. ult. D. de cond. cauſ. dat. l. ult. C. de rer. permut. cum ſimil. Opp. l. 3. §. quinimò D. de cond. cauſ. dat. Reſp. ex l. 5. §. ult. eod. l. 50. de contr. emt.*

2. Articuli praecipui quatuor ſunt: Do ut des: Do ut facias: Facio ut facias: Facio ut des. *d. l. 5. D. de praeſcr. verb.* Do ut des, nihil eſt aliud, quam permutatio ſpeciei cum ſpecie *d. l. 5. §. 1. D. de praeſcr. verb. l. 1. D. de rer. permut. l. 1. 4. & tot. tit. C. eod.* Itaque neque Gloſſographos & veteres Dd. probamus, qui dixere, permutationem eſſe ſpeciei cum ſpecie: Do ut des, generis cum genere, vel ſpecie, quantitatis cum quantitate: neque ex recentioribus Fabrum 6. *conject.* 9. qui permutationem vocat, cum res jam utrin-

que data eſt : Do ut des, cum alter tantum dedit.

3. Hic articulus in multis emtioni venditioni ſimilis eſt : *l. 2. C. de rer. permut. l. 1. C. eod. l. 1. D. de contr. emt.* præterquam enim quod res quaſi rei pretium eſſe videtur, etiam evictio in eo præſtanda eſt, *l. 1. C. de rer. permut. l. ſi permutationis 29. C. de Evict.* & redhibitio locum habet *l. ſciendum 19. §. penult. D. de ædil. ed.* & beneficium *l. 2. C. de reſcind. vend. Donel. in d. l. 2. num. 58. Pinel. ad eand. part. 1. cap. 3. n. 13.* & laudemium debetur *arg. l. 3. C. de jur. emphyt. Coler. deciſ. 33. numer. 8. Mod. Piſt. quæſt. 67. Hartman. Piſtor. part. 1. quæſt. 50. num. 28.* Protimeſis tamen, ſeu retractus in eâ locum non habet. *Frederic. in conſtit. de jur. protimeſ. Chaſſ. ad conſuet. Burg. rubr. 10. §. 9. num. 10. & 12. Berlich. part. 2. concl. 39. num. 55. Grot. 3. manud. 16.*

4. Rem alienam vendi poſſe nulla dubitatio eſt. *l. rem alienam 28. D. de contrah. emt.* At rem alienam dantem, nullam contrahere permutationem, Pedius ait. *l. 1. §. ideoque D. de rer. permut.* Nec adverſatur Pedio, quod Publiciana in rem actio ex permutatione dari dicitur, *l. 7. §. ſed etſi permutatio D. de Public. in rem. act. Hotom. in epit. de rer. permut. n. 5.*

5. Perfectâ emtione periculum emtoris eſt *l. 1. & tot. tit. D. de peric. & com. rei vend.*

perfectâ

perfectâ permutatione an periculum eſt ejus, qui viciſſim rem expectat? Id quidem affirmat Paulus in *d. l. 5. §. ſed ſi ſcyphos D. de præſcr. verb.* ſed reclamat Celſus *in l. ult. D. de cond. cauſ. dat. cauſ. non ſec.* De conciliandis (nec enim deſperandum) vide poſt Joannem & Accurſium *Don. in tract. de præſcr. verb. cap. 7. Cujac. in l. 7. D. de pact. Coraſ. 2. miſcel. 10. Fabr. 6. Conject. 10. Hotom. in l. pen. C. de cond. ob. cauſ. dat.*

6. Si alter dederit rem, alter nolit dare, electio illi competit, utrum præſcriptis verbis in id quod intereſt agere malit, an condictione ob cauſam dati rem repetere, quia cauſa ſecuta non eſt. *l. 5. §. 1. l. ſi tibi decem 7. D. de præſcr. verb. l. 1. 4. 5. pen. & ult. C. de rer. permut.* Nec adverſatur *l. 1. §. ult D. eod. Pac. in Iſag. Cujac. 23 obſ. 28. Fab. 6. conject. 9. Con. 7. com. 15.* Confer *l. ſed etſi 25. §. ſed & fructus D. de hered. petit. l. 5. D. de S. P. V. l. 1. §. cotidiana D. de aq. cotid. & æſtiv. l. 5. §. domum D. de injur.*

7. Si dem ut facias, pecunia data locatio erit, ſi modò faciendum locari ſoleat: re data, non locatio, ſed contractus innominatus erit *d. l. 5. §. at cum do D. de præſcr. verb.* Nec tamen contractus innominatus eſt, ſi quis alicui fundum locet, certâ quantitate fructuum quotannis ſolvenda *l. licet 8. l. ſi olei 21. C. de locat. l. & hæc diſtinctio 35. §. ult. D. eod.* Variè Dd. *Donel. 13.*

tom.6.in fin. Hotom in epit.locat. Giphan.in d.l. ſi olei. Coraſ.2.miſcel.11.Cuj.in d.l.35.§. ult. tract.8.ad Afric.

8. Dedi tibi Stichum, ut Pamphilum manumittas: manumiſiſti: evictus eſt Stichus. Julianus, referente Ulpiano, in factum actionem à prætore dandam cenſuit; reprehenſus eo nomine à Mauriciano *l.7.§. & ideo puto D. de pact.* Idem tamen Julianus, referente Paulo, in factum civilem dandam cenſuit in eâ ſpecie. *d.l.5. §.ſed ſi dedi D. de præſcr. verb.* Antinomia utique hic nulla. Sed nec narratio Ulpiani à Paulo neceſſario diſſidet. Vide variè Dd. *Alciat.in l. Labeo 19. D. de V.S. & 5.parad.1. Govea.2. lect.27. Duar.in d.l.7.verſ & ideo de pact. Cujac.ibid. Donel.in com.de præſcr. verb. cap.19. Cont. 1. diſp.13.*

9. Do artifici decem, ut ex ſuo auro certi ponderis, certæque formæ annulos mihi faciat, neque contractus innominatus eſt, neque locatio conductio, ſed emtio venditio *l. Sabinus 20. de contr. emt. §. item quæritur Inſt. de locat. cond. l.2. §. 1. D. eod.* Nec adverſatur *l.item ſi pretio 22.§.cum inſulam D.eod. Hotom. & alii in d.§. item quæritur.*

10. Dediſti puellæ nuptiarum cauſa: nupſit illa, ſed odio novi mariti paucos poſt dies mortem ſibi conſcivit: rectè reſponſum, condici poſſe quod datum eſt, quaſi ob cauſam datum,

datum, causa non ſecuta. *arg. l. quod Servius* 8. *D. de cond. cauſ. dat.* Rectè etjam judicatum, exigi non poſſe ab heredibus puellæ, quod ita promiſſum, ſed nec dum traditum eſt. *Sand. lib.* 2. *deciſ. tit.* 2. *def.* 1.

11. Dediſti ob turpem cauſam: neque præſcriptis verbis agere potes in id quod intereſt, neque rem condicere, quaſi cauſa non ſecuta, ſi aut tua ſolius, aut utriuſque turpitudo ſit. *l.* 1. *& ſeqq. D. de cond. ob turp. cauſ. l.* 2. *& ſeqq. C. eod.* Utriuſque verò turpitudo eſt, non ſolum ſi judici in cauſa mala, ſed etſi in bona dederis, ut ſecundum te judicaret *l.* 2. *§. ſed ſi dedi D. eod. ubi Coſtal. in adverſ. poſt gloſſ. Bartol. Salic. & Caſtr. Duar. in com. cap.* 3. Confer. *Mynſ. cent.* 2. *obſerv.* 75. *n.* 7.

12. Quod meretrici datur, repeti non poſſe Labeo & Marcellus reſponderunt: non quod utriuſque turpitudo verſatur, ſed ſolius dantis. Illam enim turpiter facere, quod ſit meretrix: non turpiter accipere, cum ſit meretrix. *l.* 4. *§. ſed quod meretrici D. de cond. ob turp. cauſ.* Subtiliter quidem Labeo & Marcellus, ſed quis Chriſtianorum acumen hoc probare poſſit? Vide *Sarmient. lib.* 6. *ſelect. interpr. cap.* 8. *Zaſ. in d. §. ſed quod meretrici. n.* 3.

13. In adulterio deprehenſus, ſi dederit ut ne occidatur, vel inteſtabilis fiat, de-

negatur ei condictio, quia utriuſq; turpitudo eſt. *d. l. 4. pr.* Datur tamen eidem actio quod metus cauſa *l. nec timorem. 7. §. 1. D. quod. met. cauſ.* Hæc non ſunt contraria. *Duar. ad eund. tit. cap. 1. Accurſ. in d. l. 7. verb. rectè ſcribit.*

14. Si detur ob cauſam, cauſa exprimenda eſt: conditio enim mente retenta nihil operatur. *l. ſi repetendi 7. C. de cond. ob. cauſ. dat. l. ſi majores 25. C. de tranſ.* Malè ergò, in capite de revocandis donationibus, nonnulli dicunt; cum orbus donat bona ſua, vel partem bonorum, donationi tacitè hanc ineſſe legem, ut ſuſceptis liberis bona reddantur. *l. Senatus 35. §. ſed mortis D. de mort. cauſ. donat. junct. l. ult. C. de revoc. donat.*

15. Si cauſa, ob quam datum eſt, non culpa accipientis, ſed fortuito caſu ſecuta non eſt, non poteſt condici quod datum eſt. *l. penult. & ult. C. de cond. ob cauſ. dat. l. 3. §. quid ſi ita dedi D. de cond. cauſ dat. l. 5. §. ſed ſi ſcyphos. D. de præſcr. verb.* Nec adverſantur *l. 1. & 6. C. de cond. ob cauſ. dat. l. ex conducto 15. § item cum quidam l. ſi fundus 33. D. locat. Hotom. in d. l. pen. & in epit. D. de cond. ob cauſ. dat. num. 13. Aliter Donel. in d. l. pen.*

16. Si cauſa ob quam datum eſt impoſſibilis ſit, idque ſcierit, qui dedit, non poteſt condicere *l. dictam 8. junct. l. cum ancillam 6. C. de cond. ob cauſ. dat.* Nec mutant

l. 1.

l. 1. *&* 5. *eod. l. non ſolum* 31. *D. de O. & A. l. impoſſibilium* 185. *D. de R. I. Donel. in d. l.* 6. *Coſtal. in l.* 5. *D. de cond. cauſ. dat.*

17. Pœnitentia in articulo do ut facias locum habet *l.* 5. *pr. l.* 3. §. *ſed ſi tibi dedero &* §. *ſeq D. de cond. ob cauſ. dat.* An etiam in reliquis articulis? Non utique in articulis facio ut facias, facio ut des: quia factum infectum fieri nequit. An in articulo do ut des? Videtur; & affirmant communiter Dd. Sed excipiunt iidem, niſi ante res data venum expoſita fuerit; quo caſu negant pœnitentiæ locum eſſe *arg. l.* 1. *C. de rer. permut. ub. Gloſſ. in pr. verb. ſi cum. Bartol. l.* 1. *in fin. D. eod. Imol. in l. Ariſto pr D. de donat. Jaſ. in l. rogaſti n.* 1. *&* 2. *D. de reb. cred Coſtal. in d. l.* 5. *D. cond. cauſ. dat.* Verum alio argumento ea exceptio firmanda eſt: ex *d. l.* 1. probari non poteſt.

18. Convenit ut ego tuos debitores Romæ, tu meos Carthagini exigeres: neque mandatum eſt, neque operarum locatio, ſed articulus, facio ut facias. Exigimus autem alter alterius debitores, abſque aliâ & ſpeciali actionis ceſſione *d. l.* 5. § *ſed ſi facio ut facias D. de preſcr. verb.* Nec repugnat regula: Ex alterius contractu alius agere nequit, *l. quæcunque* 11. *D. de O. & A. l. Stipulatio iſta* 38. §. *alteri D. de V. O. l. quo tutela redit* 73. §. *ult. D. de V. O.*

19. Ex articulo facio ut des, non civilem, ſeu præſcriptis verbis actionem, ſed de dolo dari Paulus cenſet *d. l. 5. §. quod ſi faciam ut des*. Contra præſcriptis verbis actionem concedit Imperator §. 1. *verſ. quâ de causâ Inſt. de locat. cond.* Ulpianus *in l. ſolent 15.* Gajus *in l. ſi tibi polienda 22. de præſcr. verb.* Adde *l. cum mota 6. C. de tranſact.* Nihil hic cauſæ video, cur non hos potius, quam illum ſequamur. Vide *Coraſ. 2. miſcel. 10. Don. ad tit. de præſcr. verb. cap. 10. & ſeqq. & c. 20. & 14. com. 35.* Diſſ. *Cujac. in l. 7. D. de pact. Gov. 2. lect. 28.* Aliter *Gloſ. Az. Bart. Caſtr. Jaſ. Coſtal. & Dd. com. in d. §. quod ſi faciam.* Aliter *Alciat. 5. parad. 7. & in l. Labeo 19. de V. S.*

20. Si rem æſtimatam vendendam alicui dedero, æſtimatio periculum facit ejus, qui ſuſcepit: aut igitur rem incorruptam reddere debet, aut æſtimationem *l. 1. §. 1. D. de æſtimat. junct. l. 5. §. etſi fortè D. commod. l. 4. D. de reb. cred.* Non pugnat cum hoc reſponſo diſtinctio Ulpiani *in l. ſi gratuitam 17. §. 1. D. de praeſc. verb. Coſtal. in d. l. 1. Conn. 7. com. 15. Hotom. in epit. de æſtimat. num. 3.*

21. Ex contractibus innominatis ſola permutatio eſt bonæ fidei, & ille, quo res æſtimata vendenda datur, reliqui ſunt ſtricti juris *d. l. 1. D. de æſtimat. l. 2. C. de rer. permut. §. actionum autem Inſt. de act.* Quæritur, quæ

quæ ſit hujus rei ratio? proinde, ac ſi aliquid ignorare pudor ſit. Quæ enim hactenus à D. adducta ſunt, colorem habent; non ſanguinem, non nervos. Vide ex recentioribus *Mynſ. in d. §. actionum. numer.* 17. Weſemb. *ibidem in fin.* Aliter *Hotom. in eod. §. & diſput. de præſcript. verb. cap.* 5. *num.* 34.

DISPUTATIO OCTAVA,

DE

MUTUO.

Reſp. CORNELIO VERVELST, *Ultrajectino.*

1. EOrum contractuum, qui proprium nomen habent, alii re, alii verbis, alii literis, alii conſenſu perficiuntur. Re, quatuor: mutuum, commodatum, depoſitum & pignus. Solutio verò indebiti non contractus, ſed quaſi contractus eſt. §. *Inſt. Quib. mod. re contr. oblig. §. item is cui. Inſtit. de oblig. ex quaſ. contr. l.* 1. *&* 5. *D. de Q. & A.*

2. Mutuum eſt contractus, quo quantitas aliqua utenda datur, eâ lege, ut quandoque tantundem reſtituatur *d. l.* 1. *§. mutui*

datio D. de O & A. l. 2. & 3. D. de reb. cred. Dividitur à Dd. in tres ſpecies; naturale, civile, & mixtum. Naturale vocant, quod re ipſâ contrahitur. Civile, quod chirographo, dato ſpe futuræ numerationis. Mixtum, quod re ſimul & fictione contrahitur, ut quando pecunia numeratur, jus tamen fingit eum numerâſſe, qui non numeravit, vel eſſe dominum, qui non erat dominus. Hæc diviſio vitioſa eſt, rectèque Jaſon ſcripſit, *in d. l. 2. §. ult.* propriè loquendo nonniſi unicum eſſe mutuum, quod numeratione contrahitur. vide Molin. *de uſur. numer.* 654.

3. Verum nihilo minus, non eſſe neceſſe, ut creditor ſuâ manu pecuniam numeret: nam ſi liber homo pecuniam ſuam meo nomine numeret, mihi quæritur condictio *l. 2. §. pen. l. 9. §. pen. D. de reb. cred. l. 2. C. per quas perſ. nob. a. q. l. ſi ita 126. §. Chryſogonus D. V. O.* Etſi debitorem meum juſſero tibi numerare, obligaris mihi, quamvis meos numos non acceperis *l. ſingularia 15. D. de reb. cred.*

4. Item ſi, cum pecuniam non haberem, lancem tibi argenteam dedi, ut vendas, pecuniamque ex venditione redactam habeas mutuo: venditâ lance, pecunia fiet mutua. *l. rogaſti D. de reb. cred. l. rogaſti 19. D. de præſcr. verb.* Nec movet contrarium Africani reſponſum *in l. qui negotia 34. verſ. his*

bis argumentum D mand. De quo variè Dd. *Gloſ. Alciat. Zaſ. Donel. in d. l.* 11. *Duar. ad tit. C. ſi cert. pet. cap.* 2. *Cuj. tr.* 8. *ad Afric. & 8. obſ.* 8. *Fab.* 3. *conject.* 19. *Pac.* 3. *antin.* 64.

5. Hoc amplius, ſi pecuniam ex mandato mihi debeas, & placuerit ut ex mutuo debeas, ex mutuo mihi obligaberis *l. ſingularia* 15. *D. de reb. cred.* Cui tamen reſponſo è diametro adverſatur Africanus *in d. l.* 34. *D. mand* ut non ſine causâ Fulgoſ. Molin. Cuj. Hotom. Fab. de conciliatione deſperaverint. Vide poſt Gloſſogr. *Alciat. in d. l. ſingularia num.* 63. *Zaſ. ibid num.* 16. *Donel. num.* 29. *Coraſ.* 6. *miſcel.* 16. *Duar. d. cap.* 2 *Pac.* 3. *antin.* 66. Nobis verò adeò placet Ulpiani ſententia, ut non dubitemus affirmare cum Cujacio, *dd. loc.* ex quolibet contractu pecuniam debitam converti poſſe pactione in mutuam, admiſſâ fictione brevis manus.

6. Porrò quantitas utenda datur: dominium ergò in accipientem tranſeat, neceſſe eſt. *l. ubi* 75. *in fin. D. de V. O. l. non videntur* 167. *D. R. I.* Cui conſequens eſt, ut aliena pecunia numerata, mutuum non contrahatur, ſi tamen pecunia conſumta ſit, ex conſumptione naſcitur condictio, quæ non poterat naſci ex ſolâ numeratione. *l.* 2. *§. pen. l. nam etſi* 13 *§.* 1. *l. non omnes* 19. *§.* 1. *D. de reb. cred. l. ſi quis pro eo* 56 *§. numos*

D. de fidejuſ. l. ſi ita 126. §. *ſupereſt. D. de V. O.*

7. An dominus quoque hoc caſu pecuniam ſuam condicere poteſt? Extantem vindicare poteſt, conſumtam interdum etiam condicere, vel ad exhibendum agere, non tamen ſemper: *l. ſi is qui* 8. *C. de poſ. l. rogaſti* 11. §. *ult. D. de reb. cred.* Quod ſi nummos alienos ſuis ita quis miſcuerit, ut diſcerni nequeant, adverſus accipientem domino nulla datur actio, ſed adverſus numerantem conſiſtere debet. *l. ſi alieni* 78. *D. de ſolut. & liber. l. in navem* 31. *D. locat. l.* 5. *pr. D. de R. V. Cujac.* 13. *obſ.* 28. Confer *Giphan. in l.* 2. *c. ſi cert. pet.*

8. Tres caverunt inſtrumento, pecuniam ſe accepiſſe: uni ex his numerata eſt, ad reliquos nihil pervenit; an hi quoque ex mutuo tenentur? Non tenentur, niſi ab initio in ſolidum ſinguli ſe obligaverint, aut interceſſerint, aut intra biennium de pecuniâ non numeratâ queſti non ſint *l.* 5. *C. ſi cert. pet.* Cui non adverſatur *l. ſi in rem communem* 12. *eod.*

9. Numeravi tibi pecuniam quaſi mutuam, tu accepiſti tanquam donatam: tametſi utraque cauſa dominium transferat, verius tamen eſt, hoc caſu nec mutuum, nec donationem eſſe *l. ſi ego* 18. *D. de reb. cred.* Nec adverſatur, *l. cum in corpus* 36. *D. de adq. rer. dom.* de quâ variè Dd. Vide præter gloſſographos

ſographos *Alciat. in d. l.* 18. *num.* 5. & 6. *Zaſ. ibid. n.* 7. & 8. *Conn.* 3. *com.* 7. *num.* 4. *Duar. ad tit. de reb. cred. cap.* 2. *Don.* 4. *com.* 18. *Pac.* 3. *antin.* 67.

10. Dedi tibi pecuniam utendam : tu abuſus non es , ſed quia fortè indigere deſieras , eandem in ſpecie reſtituiſti : an mutua fuit ea pecunia ? Fuit : conventiones enim ex formâ quam initio acceperunt , non ex implemento judicandæ *l. pretii* 9. *C. de reſcind. vend. l. procurator.* 8. *pr. D. mand. Gloſ. in l.* 2. *verb. ſpeciem D. de reb. cred. Zaſ. ibid. num.* 9. *Schneid. de mut. num.* 12.

11. Qui accepit pecuniam, tantundem reddere debet. Uſuræ ergò pecuniæ creditæ neque poſt moram, neque ex pacto , neque poſt litem conteſtatam , ſed ex ſolâ ſtipulatione debentur *l.* 1. 3. 4. *C. de uſur. l. quod ſtipulatione* 31. *l. tutor.* 41. §. *ult. D. eod. l. idemque* 10. §. *ſi quis Titio D. mand. l. Titius* 24. *D. de præſcr. verb. l. uſura* 121. *D. de V. S.*

12. Adeò autem pactum ad eam rem non ſufficit , ut ſi decem credideris , eâ lege , ut undecim reddantur , numum undecimum petere non poſſis : licet contra convenire poſſit , ut pro x. reddantur ix. *l. rogaſti* 11. §. 1. *D. de reb. cred. l. ſi tibi* 17. *D. de pact.* Hic ſunt , qui numum undecimum ex cauſa donationis peti poſſe putant, poſtquam placuit

cuit, etiam pacto donationem fieri poſſe. *Gloſſ.in d.l.rogaſti verb.condici non poſſe Cujac. in d. l. ſi tibi.* Sed rectius contrarium defendit Donel. *in d. l. rogaſti n.*2. Hotom. *in d.l. ſi tibi.*

13. Præterea verbum, tantundem, non ſolùm eundem numerum, pondus, menſuram, ſed & idem genus, & eandem bonitatem deſignat. Itaque neque pro vino oleum, nec pro frumento pecunia, neque pro pecunia frumentum vel vinum invito creditori ſolvi poteſt. Numi tamen aurei pro argenteis, vel contra argentei pro aureis ſolvi poſſunt, ſi nulla ſit captio creditoris *l. debitorem* 99. *D.de Solut.& liber. junct.l.*1. *D.de contr.emt.l quæ extrinſecus* 65. §. 1. *D. de V. O.* idque probat generalis uſus totius orbis, teſte Parlad. 2. *rer. quotid.cap. ult. part.* 5.§.17.*n.*18.

14. Sed & pro vino, oleo, frumento pecunia ſolvi poteſt, ſi aut haberi hæ ſpecies non poſſint, aut plus minuſve conſequeretur actor, quam ex naturâ contractus ei debetur. Quo caſu ſi quæras, cujus temporis æſtimatio ſpectanda, reſpondebimus cum Juliano & Gajo, ejus temporis, quo petitur *l. vinum* 22.*D.de reb.cred.l.ult. de cond. tritic.* nec deterrebit Ulpianus *l.pen. D.eod.* de quâ vide *Duar.ad tit.de reb.cred.cap.*8. *Cujac.in l. quotiens* 59.*D V.O.Zaſ.& Donel.in d. l. vinum.Hotom.ill.quæſt.*16.*&* 11.*obſ.*2.

15. Lo-

15. Locus quoque ſpectatur is quo petitur: niſi convenerit, ut certo loco reddatur: quo caſu ſpectandus locus, de quo convenit. *d.l. vinum. d.l.ult.* Nec tamee in hanc definitionem impingunt, qui reſponderunt; Si x. dolia vini Aurelianenſis credita ſint, reddenda Amſterodami; magnitudinem doliorum ad normam Aurelinenſem, non Amſterodamenſem exigendam. *Nic. Ever. conſ.* 78. *Burg. tract.* 4. *ad conſuet. Flandr. num.* 28. *Cuyck ad Cravet. conſ.* 995.

16. Bonitatem quod attinet, eam communis ſchola in intrinſecam & extrinſecam diſtinguit. Intrinſeca eſt materiæ. Extrinſeca eſt valor ſeu æſtimatio pecuniæ. Intrinſeca bonitas ſi mutata fuerit, quod deeſt, ſupplere debitor debet: quod acceſſit, detrahere poteſt. Et in hoc articulo omnes Dd. conſentire teſtatur *Borch. in c. un. Quæ ſint regal. num.* 58. Cautius dixiſſet, pleroſque: nam & hic ſunt, qui diſſentiunt. Vide *Berlich. part.* 2. *concl.* 35. *n.* 36. *& ſeqq.*

17. Quod ſi valor monetæ mutatus ſit, major Dd. conflictus eſt, in refundenda pecunia crêdita, utrum tempus contractus, an tempus ſolutionis ſpectandum ſit? Nobis verior videtur eorum ſententia, qui dicunt tempus ſolutionis ſpectandum eſſe. *arg. l.* 2. *&* 3. *d. l. vinum* 22. *de reb. cred. l.* 3. §. *in hac D. commod. d. l. ult. D. de cond. tritic.* Vide *Cujac.*

jac. in d. l. 59. *Hotom. ill. quæſt.* 15. *Gail.* 2. *obſ.* 73. *Moſſ. de mut. cap. de natural. mut n.* 19. *Menoch conſil.* 49. *n.* 45. *Fach.* 2. *contr.* 9. *Robert.* 1. *rer. jud.* 16. *Neoſtad. deciſ. cur. Holl.* 37. Diff. *Molin. de uſur. quæſt.* 92. *n.* 694. *& ſeqq. Berlich. d. part.* 2. *concl.* 36. *aliique ab eiſdem laudati.*

18. Recipit tamen hæc ſententia noſtra temperamentum: nam ſi ab initio ſinguli aurei certa ſumma æſtimati ſint, tempus contractus inſpiciemus. *Gail. d. obſ.* 73. *Berlich. d. concl.* 36. *n.* 46. *Boer. deciſ.* 327. *n.* 10. Item ſi numi qui crediti ſunt, non amplius reperiantur, neceſſariò non tempus ſolutionis, ſed contractus ſpectandum erit. *Berlich. de concl.* 35. *num.* 8. *&* 10. Idem judicabimus, ſi moneta illa publico decreto reprobata fuerit, *arg. l. creditor* 102. *D. de Solut. & liber. Sich. ad l. incendium C. ſi cert. pet.* Diſſ. *Berlich. d. concl.* 35. *n.* 29. Denique ſi moram debitor fecerit, etiam moræ ratio haberi poteſt *l.* 3. *D. de cond. trit. Cujac. in d. l.* 59. *D. de V. O. Jac. Coren. deciſ.* 16. *&* 23. *n.* 8. 9. 10.

19. Quod inſtrumentum pecuniæ creditæ attinet, ſi id inficietur debitor, & in urbe res geratur, ſuperetque ſumma credita auri libram, Imp. Juſtinianus modo tres, modo quinque teſtes deſiderat: tres, ſi inſtrumentum à debitore ſcriptum vel ſubſcriptum ſit: quinque, ſi neutrum factum ſit, *nov.* 73. *cap.* 1.

cap. 1. *& ſeqq.* Verum hanc conſtitutionem, ut ſcrupuloſam nimis, ac penè captioſam meritò uſus antiquavit.

20. Actio ex mutuo quæ datur, certi condictio vocatur: quæ tamen non ex mutuo duntaxat competit, ſed ex omni cauſa ex quâ certum petitur *l. certi condictio* 9. *D. de reb. cred.* Falluntur ergò Dd. qui eam in generalem & ſpecialem dividunt, cum una actio ſit: quæ etiam ex ſtipulatione datur, ſi mutui firmandi gratia ſtipulatio adjecta ſit. *pr. Inſt. de V. O. Donel. in d. l.* 9. *num.* 4. Conf. *Zaſ. ibid. n.* 9. *&* 10. Diſſ. *Cujac. in parat. D. de reb. Cred. Fach.* 2. *contr.* 90.

DISPUTATIO NONA, *DE* SC. MACEDONIANO.

Reſp. Francisco Junio, *F. N. Gron.*

1. Senatusconſultum Macedonianum non à Macedone adoleſcente dictum eſt, ut perperam Theophilus ſcripſit, ſed à Macedone improbo fœneratore, qui pecuniam incertis nominibus credere ſolebat, ut auctor haud paulo melior Ulpianus affirmat, *in l.* 1. *D. h. tit.*

2. Cautum eſt hoc SC. ut ſi quis pecu-

niam

niam mutuam filiofamilias dederit, ei ejus pecuniæ actio, petitioque, ne detur *d. l.* 1. Filiifamilias appellatione etiam filiamfamilias comprehendimus *l.* 9. §. *hoc SC.* 2. *D. h. tit.* verbum enim maſculinum fœminas comprehendit, quoties id, de quo agitur, in fœminas quoque cadit, ut notant interpretes *in l.* 1. *D. de V.S.* Comprehendimus etiam nepotem, & reliquos deſcendentes, ſi in poteſtate ſint. §. *illud propriè Inſt. Quod cum eo, qui in al. pot. eſt. l. filium* 14. *D. h. tit. l. penult. C. eod. junct. l. juſta* 201. *de V. S.*

3. Qui in poteſtate non ſunt, ad eos SC. non pertinet. Sed dubitatum de iis, qui dignitate ſui juris effecti ſunt, an SC. ad eos pertineat? Verius eſt, SC. his non prodeſſe, *arg. d. l.* 1. §. *fin.* & *l.* 3. §. *ult. D. h. tit.* tametſi alioqui commoda filiorumfamilias non amittant. *nov.* 81. *Glos. in d. l.* 1. §. *ult. Sand.* 3 *decif. tit.* 2. *def.* 2. Diſſ. *Coſtal. ad d. l.* 1.

4. Quod ad creditorem attinet, non intereſt, quis filiofam. pecuniam crediderit *l. nihil* 15. *D. h. tit.* Sed fieri poteſt, ut filiusfamilias pecuniam credat filiofam. quo caſu videndum, quid juris? Ceſſante SC. patri vindicatio numorum competit, ſi extent, etiamſi creditor habuerit liberam peculii adminiſtrationem *l* 3. §. *ſi filiusfamil. D. h. tit.* Cui conſequens eſt, etiam con-

ſumtis

ſumtis numis condictionem competere.

5. Fieri poteſt, ut minor pecuniam credat filioſam. Hoc caſu creditor in integrum reſtituitur cauſa cognita *d. l. 3. §. proinde D. h. tit. l. 91. in fin. de minor. l. 9. de jur. & fact. ignor.* Cum autem civitas minori comparari ſoleat, multi tradiderunt, etiam civitatem reſtituendam: eorumque ſententiam in omnibus auditoriis probari; teſtatur Mornac. *ad d. l. nihil intereſt 15. D. h. tit.* Nobis verò eos ſequi religio eſt, quia in ipſam illam legem incurrere videntur.

6. Pecuniæ verbo in hoc SC. tantum numeratam intelligimus: reliquæ res ita demum ad SC. pertinebunt, ſi in fraudem ejus datæ arguantur: veluti, ſi res aliqua vendenda data ſit, ut pecuniam ex venditione redactam habeat filius familias in mutui vicem. *d. l. 3. §. is autem ſolus. l. 7. §. mutui dationem 3. D. h. t.*

7. Si contra SC. factum fuerit, non ſolùm filiofam. ſed & patri ejus, & fidejuſſori, & mandatori ſuccurritur: neque his tamen neque illis, ſi ſolverint repetitio datur *l. ſed ſi paterf. 9. §. penult. & ult. l. 10. D. de SC. Maced.* At quomodo ſuccurritur? Denegatur fœneratori actio *l. 1. pr. & §. 1. l. 7. §. non ſolùm 6. D. h. tit. l. ſi filiusf. 14. D. de reb. cred. §. illud propriè Inſt. Quod cum*

eo,

eo, qui in al. pot. Imò intentio fœneratoris eliditur per exceptionem *d.l.*7.§. 1.2.4.7.10. 14.*l.* 9.*pr.*§ *pen.& ult.D.h.tit.junct. l.filiusfam.*39. *D. de O & A. l. ex contractibus* 57. *D.de jud.* Hæc rectâ conſtant ratione. *vid. Pac in Iſag.*

8. Sanè ex eo ipſo, quod actio quandoque denegatur, evinci poteſt, non rectè Dd. tres duntaxat, aut ſummum quatuor numeraſſe litis finitæ exceptiones; rei judicatæ, tranſactionis, jurisjurandi, & præſcriptionis; cum multo plures in jure reperiantur. Vide *l.* 9. *pr. D. de jurej. l.* 3. §. *ibidem D. ad Exhib. l.* 2. §. 1.*junct. l.*6. 8. 16. 17. *D.de SC. Vellej. Giphan. ad l.ſiquidem* 9.*C. de Except.*

9. Eadem exceptio non ſolùm ante ſententiam, ſed & poſt ſententiam opponi poteſt, ſi quis fortè, eâ non oppoſitâ, condemnatus fuerit *l.tamen* 11. *D. h. tit.* Sed quæritur, an in foro conſcientiæ profutura ſit? Utique patri: non æquè ipſi filiofamilias. An fidejuſſori, & mandatori? Diſtinctione res temperanda videtur. vide *d. l.* 1. *d. l.* 9. §. 1. *& l. quia* 10. *D. h. tit. Covar. in c.quamvis part.* 2. §. 3.*num.* 4.*Gomeſ.* 2. *var. reſol.* 6. *num.* 2. *Alciat. in c. novit. de judic.num.* 16.*Fachin.* 2.*contr.* 62. *Tuld.in C.h. tit.n.* 4.

10. Diximus, ſolventem fœneratori, condicere ſolutum non poſſe. Fingamus filium-

liumfamilias ſolviſſe, an pater omni eventu condicere ſolutum poterit, etiam cum numi conſumti ſunt à fœneratore? Affirmant Ulpianus & Julianus *in d.l.9.§.1. D.h.tit.* Negat Marcellus *in d.l ſi filiusfam.14.D.de reb. cred.* Agnoſcit pugnam Cujac. 14. *obſ.* 35. Diſtinguit Accurſ. *in d.l.*14. Aliter Bald. *ibid.* Aliter *Donel in d.l.* 14. *& ferè eodem modo. Hart. Piſtor.3.quaſt.20.n.* 13.

11. Ceſſat SC. Si pecunia in rem patris verſa ſit, aut pater ratum habuerit, aut honeſta fuerit cauſa credendi. *l.* 7. §. *proinde. l. filiusfamil.* 17. *D. h. tit. l. ult. C. eod.* Opp. *l.*9. §. 2. *h. tit.* Reſp. Quod in peculio eſt, nondum in rem verſum intelligitur *l.*3. §.1. *l.*5. §. *ult. l.*6. *D. de in rem verſo.* Itaque ſi filiusfam. peregrè degens ſtudiorum cauſa, mutuam pecuniam acceperit, ita ceſſat SC. ſi non exceſſerit eam quantitatem, quam pater ſolebat ſubminiſtrare *l.*7. §. *quod dicitur D h. tit. l.*5. *C. eod.* Quid ſi ephoro ejus credita ſit, cui pater ſumendi poteſtatem fecerat, iſque eam luxu prodegerit? Hoc quoque caſu patri ſubveniendum, ſeu ex ſententia SCti. ſeu ex illo Dd. placito, quo tradunt, mandatum ipſo jure extingui, ſi procurator turbare & pergræcari cœperit. *Bald. Angel. Jaſ. Alciat. Zaſ. in l. rogaſti §. ſi fugitivus D. de reb. cred. Coſtal. l.*1. *D. Qui ſatiſd. cog.*

12. Quid ſi invito patre filiusfamilias ad Acade-

Academiam profectus ſit, an pater gaudebit beneficio SCti? Verius eſt, cum ſumtus ſtudiorum contumaci præſtare non cogi, adeoque & exceptione SCti ſe tueri poſſe. *Bartol. in d. l. 5. in fin. Donel. ibid. num.* 1. *Pac. num.* 10. *Gilken. num.* 9. *&* 10. Sanè, ſi id creditor ignoraverit, pecuniæque in ſtudia verſæ ſint, iniquum videtur creditori SC. opponi. *Gilken. d. loc. numer.* 13.

13. Ceſſat SC. ſi filiusfam. ſciente vel volente patre negotietur *d. l. 7. §. interdum junct. l. 3. pr. & §. 1. D. h. tit. Bald. in l. 5. C. eod. Coſtal d. l.* 3. Sicut enim ſtudiorum, ita mercaturæ quoque honeſta, & probabilis cauſa eſt. *Dd. in l. 1. l. 26. §. ult. l. 28. D. Ex quib. cauſ. maj.* Quam ob cauſam videmus etiam Dd. calculo fœminæ negotiatrici Vellejani SCti auxilium denegari. *Coſtal. d. loc. & in l. 7 D. de inſtit. act. Neoſtad. de pact. antenupt. obſ.* 18. *&* 19. *Gail.* 2. *obſ.* 90, *num.* 5.

14. Ceſſat, ſi pater, aut filius ſui juris effectus, partem ſolvere cœperint: nam non modò ſolutum condicere nequeunt, ſed & de reſiduo conveniri poſſunt *l. 2. C. h tit. d. l. 7. §. penult. & ult. D. eod.* Nec adverſatur, quod pignore dato SCti exceptio denegetur uſque ad pignoris quantitatem *l. ſed ſi paterfamil.* 9. *D. eod.* Vide *Azon. in ſum. C. numer.* 9. *Accurſ. in d. l. 2. Coſtal. in d. l.* 7. *Duar.*

ad

ad h. tit. cap. 2. Donel. in d. l. 2. num. 3. Gilken. ibidem num. 10. Diſſ. *Con. 7. com. 2. num.* 8.

15. Ceſſat, ſi filiusfam. ſe patremfam. mentitus fuerit, aut publico errore pro patrefam. habitus *l. 3. pr. D. h. tit. l. 1. C. eod. junct. l. 2. §. ſed ita demum D. ad SC. Vellej.* Ceſſat etiam, ſi filiusfam. caſtrenſe peculium habeat, ſed uſque ad quantitatem caſtrenſis peculii; quia in eo peculio pro patrefam. habetur *l. 1. §. ult. l. 2. D. h. tit.* Item ſi militi pecunia credita ſit, etiamſi fortè malè pecuniam conſumſerit *l. ult. C. h. tit.* Quod ad militem togatæ militiæ producendum non eſt, licet in quibuſdam armatis militibus comparentur.

16. Diximus, SC. ceſſare, etſi miles pecuniam perdiderit: id enim evincunt verba *d. l. ult. Nullâ differenitâ introducendâ, ob quam cauſam pecuniæ creditæ, vel ubi conſumtæ ſint.* Errant igitur, qui ſcripſerunt, ſi non in rem caſtrenſem pecuniæ verſæ ſint, SCto locum fore. *Azo in ſum. C. n.* 11. *Gloſſ. in l. ult. C. h. tit. Angel. ibid. num.* 4. *Pac. n.* 29. Diſſ. *Cyn. ibid. num.* 10. *Caſtr. n.* 4. *Gilken. n.* 10.

17. Non ceſſat SC. ſi filiusfam. eidem renuntiaverit. Cum non ipſius, ſed parentis favore, & odio fœneratorum factum ſit, manifeſtum eſt, renuntiari ei non

poſſe *arg. l. 1. D. h. tit. l. qui exceptionem 40. D. de cond. indeb.* Ac licet quidam ſcripſerint, juratam renuntiationem valere, verius tamen eſt, ne juramentum quidem obeſſe, quò minùs exceptio SCti locum habeat. *arg. l. non dubium C. de ll. l. 7. §. & generaliter D. de pact. Glos. in l. 11. D. h. tit Azo in ſum. C. cod. num. 10. Sich. ibid. n. 8. Coſtal. in d. l. 11. Mynſ. in §. illud Inſt. Quod cum eo.* Diſſ. in totum *Zaſ 2. ſing. reſp. 18.* quantum ad juramentum *Bartol. in l. Sejus & Agerius D. ad leg. Falcid. Covar. in c. quamvis de pact. in 6. part. 2. §. 3. numer. 4. Gomeſ. 2. var. reſol. 6. Mozz. de mut. num. 17. Fach. 2. contr. 62.*

18. Coronidis loco videndum, quia hodiè filiifam. non tam fœneratoribus, quàm œnopolis, ſartoribus, coquis, cupedinariis obnoxii eſſe ſolent, an ſententia SCti ad hos extendi poſſit? Verius eſt, non poſſe; quia SCtum tantum de pecuniis mutuò datis factum eſt. *Gomeſ. d. cap. 6. num. 2. verſ. Quintò limita.* Quare rectè huic luxui peculiaribus edictis & ſtatutis obviam itum eſt.

19. Hujus generis eſt edictum Ill. Ord. anni CIↃ IↃ C XIX. quo actio denegatur ei, qui cum filiofamil. aut alioquin minore annis XXIV. abſque conſenſu & auctoritate parentum, tutorum, vel, his deficientibus, abſque decreto judicis contraxerit. Quod

Quod edictum in eo quoque ſeverius Macedoniano SCto. eſſe videtur, quod SC. non infirmet contractum ipſo jure: edictum infirmet ipſo jure, & ſoluti conditionem concedat. Vide *Argentr. ad conſ. Brit. art.* 214. *gloſſ.* 2. *&* *art.* 465. 507. *Vaſq.* 4. *contr.* 10. *num.* 1. 2. *&* 3. *Sand.* 3. *deciſ. tit.* 1. *def.* 1.

20. Quod ſi quæratur; Edictum, vel Statutum hujuſmodi utrum reale, an perſonale ſit? haud dubiè affirmandum, perſonale eſſe, & perſonam comitari, etiam in aliâ provinciâ contrahentem. *Argentr. art.* 218. *gloſ.* 6. *num.* 2. *Burg. ad conſ. Flandr. tract.* 1. *num.* 1. *& ſeqq. & tract.* 2. *num.* 7. Adde *Dd. in l.* 1. *C. de Sum. trin. & fid. Cathol. Coſtal. in l. ult. D. de poſtul.* Idem judicandum de ſtatuto, quo uxor abſque auctore marito contrahere vetatur. *Burg. d. tract.* 2. *n.* 8.

DISPUTATIO DECIMA, DE COMMODATO.

Reſp. Petro van Campen, *Goeſâ Zeland.*

1. Commodatum eſt contractus, quo res aliqua gratis utenda datur, ad tempus, finem, modumve certum, eâ lege, ut eadem res in ſpecie reſtituatur. *l.* 1. *D. h. tit.* §. *item is cui*

nius & apertius dicendum, non commodatum hoc, ſed mutuum eſſe Vide *Mozz. d. loc n.* 4.

5. Tranſit in commodatarium neque proprietas, neque poſſeſſio, ſed uſus duntaxat *l. rei* 8. *& l. ſeq. D. h. tit. d.* §. *item is cui Inſtit. Quib mod. re contr. oblig. l. officium* 9. *D. de rei vind.* Nec liberrimus uſus, ſed certo tempore, modove circumſcriptus. *l. in commodato* 17. §. *ſicut D. h. tit.* §. *furtum* 6. *Inſtit. de oblig. quæ ex del. naſc.* Inde quæſitum, ſi & tempore & modo uſus circumſcriptus ſit, utrum tempus an modum ſpectare debeamus? Non malè *Dd.* placuit, tempus potius ſpectandum, ut eo finito res commodata reſtituatur, licet uſus nec dum expletus ſit. *Bartol. in d.* §. *ſicut num.* 6. *Panorm. in d. c. un. de commod. Coſtal. in l.* 5. *pr. D. h. tit.*

6. Duobus vehiculum commodavi: utrum in ſolidum ſinguli, an pro partibus tenentur? Diſtinguunt Dd. Si ob dolum vel culpam agatur, ſinguli in ſolidum tenentur: ſin ad rei reſtitutionem, vel ejuſdem æſtimationem, tenentur pro partibus. *Coſtal. l.* 5. §. *ſi duobus D. h. tit. poſt Bart. & Caſtr. in l.* 1. §. *ſi apud l. ſi duo D. depoſ.* Nos amplius inquirendum judicamus, an ea diſtinctio ſatis conſentanea ſit verbis *d. l.* 5. §. *ſi duobus. l.* 1. §. *ſi apud duos l. in depoſiti* 9. *l. ſi duo* 22. *D. depoſ. l. cum apparebit* 47. *D. lo-*

D. locat. l. 17. § *duabus D. h. tit. l. eandem* 9. *D. de duobus reis.*

7. Uſus gratuitus eſſe debet: ſi merces interveniat, locatio conductio erit: ſin ſpecies pro uſu, vel uſus pro uſu præſtetur, erit contractus innominatus. *d.* §. *item is cui Inſt. Quib. mod. re contr. oblig l.* 1. §. *ſi quis ſervum D. depoſ. l.* 5. §. *at cum do D. de præſcr. verb.* Honorarium ſanè natura hujus contractus non excludit. *arg. l. ſi remunerandi* 6. *D. mand. l.* 2. § *ſi in re depoſita D. vi bon. rapt. l. pen.* §. 1. *D. de donat.*

8. Pro uſu præſtat commodatarius cibaria, gabulum, & ſi qua alia eſt modica impenſa: majores verò impenſas non ſolùm contrario judicio repetere, ſed & recto penſationis jure conſequi poteſt *l. in rebus* 18. §. *poſſunt. &* §. *ult. D. Commod.* Et ut explicatius dicamus, non ſolùm retinere rem commodatam poteſt, donec impenſæ refundantur, ſed & per compenſationem ipſo jure liberari. *l. ult. C. de Compenſ.* §. *in bonæ fidei* 30. *Inſtit. de act. l. Lucius* 38. *D. mand.* Nec obeſt *l. ult. C. h. tit.* de quâ vide *Cujac.* 9. *obſerv.* 37. *Hotom.* 12. *obſ.* 20. *Donel. in d.* §. *in bonæ fidei num.* 11 *Giphan. in d. l. ult. C. de compenſ.*

9. Cuſtodiam præſtare debet commodatarius exactiſſimam, quia in hoc contractu ipſius duntaxat utilitas vertitur *l.* 5. §. *nunc videndum d. l. in rebus* 18. *D. h. tit. d.* §. *item is cui Inſt.*

*Inſt. Quib.mod.re contr.oblig.l.*1.§.*& ille quidem D.de O.& A.* Caſum non præſtat,niſi rem æſtimatam acceperit, eâ lege,ut aut rem commodatam, aut ejus æſtimationem reſtitueret *d.l.* 5.§.*etſi fortè D.h.tit.l.*1.§.*ult.D.de æſtimat.*

10. Si res commodata deterior ſit effectâ culpâ commodatarii,quærunt Dd.an commodans oblata eâ quantitate, quâ res depretiata eſt invitus eam recipere teneatur?Et non malè concludere videntur, teneri: *arg.l.eum qui* 10.*l.ult.D h tit. Angel. in l.elegánter* 7.§.*non ſolùm D.de dol. mal. Jaſ.in l.*2.§.*mutui datio D.de reb.cred. Schneid.in d.* §.*item is cui n.* 19.

11. Quærunt etiam, ſi commodans rem deteriorem receperit, nullâ factâ mentione damni, an eo ipſo æſtimationem damni remiſiſſe videatur? Et in hâc quoque dubitatione non malè diſtinguere videntur, utrum vitium appareat,nec ne: ut illo caſu æſtimationem damni remiſiſſe cenſeatur, hoc non æquè *arg.l.*1.§.*ſi intelligatur l.quæritur* 14.§.*ult.& l.ſi tamen* 48.§.*in ædilitiis D.de ædil. act. l.ea quæ* 43.*D.de contrah.empt. l.ult. in fin. D.de cond.quod cert loc. Bartol.in l qui ſibi* 33.§.1.*de Solut. & liber.Coſtal.in l.quod venditor* 37.*D.de dol.mal.*

12. Commodans viciſſim commodatario præſtat dolum, ſi ſciens rem vitioſam commodaverit. *l.in commodato* 17.§.*ſicut l.in*

rebus 18. §. *item qui ſciens & l. penult. D. h. tit.* Hic dubitatur, dolumne tantum præſtet, an & latam culpam? Bartolus *in d.* §. *item qui ſciens & in l. quod Nerva D. depoſ. n.* 35. cenſuit commodantem etiam de latâ culpâ teneri, *arg. d. l. quod Nerva & l. ult. D. h. tit.* Contradicit Connanus 7. *com* 3. *n.* 6. cujus ſententiam veritati magis conſentanea videtur.

13. Actiones ex hoc contractu naſcuntur duæ: commodati directa, & commodati contraria. *l.* 1. *&* 5. §. 1. *l.* 17. §. 1. *D. h. tit.* Concurrit actio legis Aquiliæ: ita tamen, ut ſi altera actum fuerit, altera conſumatur *d. l.* 18. § *ſive autem l.* 7. §. 1. *D. h. tit.* Nec adverſantur *l. cum ex uno* 32. *l. qui ſervum* 34. §. *ult. D. de O. & A.*

14. Repetendæ rei commodatæ causâ non tenetur commodans adire ad commodatarium, ſed commodatarius referre eandem debet, ut rectè notat Salicetus *ad l. acceptam C. de uſur.* & alii *ad l. eum qui rem* 10. *D. h. tit.* Quid ergò, ſi famulus commodantis rem repetierit, eaque accepta conjecerit ſe in pedes? Rectè placuit nimiam credulitatem commodatario imputandam. Confer *d. l.* 10. *in fin. l.* 12. *h. tit. l.* 20. *eod. Port. in d.* §. *item is qui num.* 10. *Mozz. cap. Quom. finiat. commod. num.* 14. *Coſtal. in d. l.* 10. *Gomeſ.* 2. *reſol.* 7. *num.* 3.

15. Si

15. Si commodatarius, ſecum ferens & res commodatas, & proprias, inciderit in latrones, nec poſſit utraſque ſalvas præſtare, utras præferre debet? Diſtinguunt Dd. ita: Præferre debet pretioſiores: ſi ejuſdem ſint pretii, ſuas. *Sebaſt. Medic. de fortui. caſ. part. 2. quæſt. 10. Port. d. loc. Mozz. d. loc.* Verum, ea diſtinctio impingere videtur in *l. 5. §. quod verò ſenectute D. h. tit.*

16. Statuto civitatis cautum eſt, ut ex quolibet contractu, ex quo jus alteri quæritur, ſolvatur gabella ſeu vectigal: an ex commodato quoque vectigal præſtandum? Affirmant Dd. *Bartol. in l 1. D. h. tit. Salicet. ibid. num. 3. Mozz. cap. de accident. commod. n. 10. per l. in ædibus 9. D. de donat.* Nobis contrarium potius tuendum videtur. *arg. l. non puto 10. D. de jur. fiſc. l. nulla 25. D. de legib. l. 9. D. h. tit.* Sanè *d. l. in ædibus* nihil probat.

17. Conferamus nunc precarium cum commodato. Precarium eſt, quod precibus petentis utendum conceditur, quandiu is qui conceſſit patitur *l. 1. pr. D. de precar.* Comparatur cum commodato reſpectu rerum & uſus: quæ enim res commodari poſſunt, eæ & precario concedi: Et ſicut commodatum fit ad uſum, non ad abuſum, ita quoque precarium *d. l. 1. & paſſim D. de precar.*

18. Differunt genere, & modo utendi. Commodatum contractus eſt nominatus: precarium vel quaſi contractus, ut Cujacius voluit *ad l. contractus* 23. *D. de R. J.* vel contractus ambiguus & incertus *arg l. 2. §. & naturalem & l. duo* 19. § *ult. D. de precar.* vid. *Hotom. in ep:t. h. n.* 10. Ille contractus δίπλευρος eſt, hic μονόπλευρος potius. Illo res ad certum tempus, finemve conceditur: hoc, quamdiu concedens patitur. Illo, qui rem accipit, omnem culpam præſtat, hoc dolum tantùm & culpam latam *d. l.* 5. §. *nunc videndum D. h. tit. l. quæſitum* 8. §. *cum quoque D. de precar.*

19. Commodatarius non poſſidet, ſed eſt in poſſeſſione utendi cauſa: an qui precario rogavit, poſſidet? Negat *l. certè* 6. §. *is qui rogavit D. de precar. l.* 2. *C. de præſcr.* 30. *vel* 40. *an.* Affirmat *l.* 4. §. 1. *l. & habet* 15. §. *eum qui l. duo* 19. *D. de precar. l.* 3. §. *ex contrario D. de adquir. vel amit. poſſ.* Nullum hic diſſidium: Vide *l. ſi quis ante* 10. §. 1. *D. eod.* Aliter *Mozz. de ſubſtant. commod. n.* 10.

20. Si munus publicum prece quis obtinuerit, an revocari quandocunque poteſt? Poteſt, ſi precario duntaxat obtentum fuerit; ſed ſi ad preces acceſſerint merita, rectè reſponſum non poſſe: *arg. l. pen.* §. 1. *D. de donat. l. cum is qui* 32. §. *mulier D. de condict. indeb. Imbert.* 1. *Inst. for.* 16. *Rebuf. ad conſtit.*

ſtit. reg. tract. de mat. poſſ. art. 4. n. 5. & 6. Mornac. in l. ſed etſi 25. § conſuluit D. de hered. petit. Burg. ad conſ. Flandr. tract. 9. n. 20. Sand. 5. tit. 10. def. 2.

21. Qui precario rogavit, uſucapere rem conceſſam non poteſt: *arg. l. 3. & l. fine 25. D. de uſucap. pr. Inſt. eod.* An ſaltem longiſſimi temporis præſcriptione tueri ſe poteſt? Ne hoc quidem videtur. *arg. d. l. 2. C. de præſcr. 30. vel 40. an vide Bald. part. quart. quartæ princip. quæſt. 11. poſt. Gloſſ. Bart. & Salicet. in d. l. 2.*

DISPUTATIO UNDECIMA, DE

DEPOSITO.

Reſp. Maximiliano Breier, *Ultrajectino.*

1. Depoſitum eſt contractus, quo res alicui gratis cuſtodienda traditur, ſub fide reſtituendi. *l. 1. pr. D. depoſ. l commendare 186. D de V. S. l. 1. §. is quoque D. de O & A.* Dividitur à Dd. varie; ſed præcipuè in has ſpecies: Depoſitum vel actuale eſt, vel conſeſſatum. Vel regulare, vel irregulare. Vel voluntarium, vel neceſſarium. Vide *Mozz.*

tract. de depoſ. cap. de diviſ. depoſ. Nos ſpretis his ita malumus: Depoſitum vel depoſitum eſt, vel ſequeſtratio.

2. Depoſitum in ſpecie eſt, cum res non controverſa cuſtodienda alicui traditur. Sequeſtratio cum res controverſa. Rem verò cum dicimus, in utrâque ſpecie mobilem intelligimus; non immobilem, non incorporalem: nam nec ratiô depoſitionis in has cadit, nec exemplum depoſitarum in jure legitur. *Donel.* 14. *com.* 2. & 24. *com.* 4. *Hotoman.* & *Gipban.* *in l. un. C. de prob. ſequeſtr. pec.* Diſſ. *Godd. ad rubr. de ſequeſt. poſſ. n.* 9. & *ſeqq.* & quantum ad ſequeſtrationem *Azo in ſum. C. h. num.* 5. *Schneid. ad* §. *præterea Inſt. Quib. mod. re contr. oblig. num.* 10. *Vult. ibid. Mozz. cap. de reb. quæ depon. poſſ.*

3. Poni rem non ſufficit: neceſſe eſt, ut cuſtodiam recipiat is apud quem ponitur. Sed dubitatum, utrum expreſſim hoc agendum, an & tacitè convenire poſſit? Prius probat *Caſtr. in l.* 1. *pr. D. h tit. Sub. in l. invitus C. de procur. Schneid. in d.* §. *præterea n.* 8. *Mozz. cap. de ſubſtant. depoſ. n.* 14. & 15. *Gomeſ.* 2. *var. reſol.* 7. *n.* 2. Poſterius *Jac. de Aren. in d. l. invitus* 17. *C. de Procur. Afflict. deciſ.* 308. *n.* 16. Nobis prior ſententia rectior videtur.

4. Cuſtodiam præſtat depoſitarius non exactam, ſed qualem etiam minus diligens pater-

paterfam. rebus ſuis adhibet : præſtat enim dolum tantum, & culpam latam *l.* 5. §. *nunc videndum D. commod. l. contractus* 23. *D. de R. J. l. quod Nerva* 32. *D. h. tit. l.* 1. *C. eod.* levem vel leviſſimam tum demum, cum ab initio convenit *l.* 1. §. *ſi convenerit* 6. *D. h. tit.* cum obtulit ſe depoſito *d. l.* 1. §. *ſæpè evenit* 35. aut pretium accepit, aut in morâ fuit reſtituendi *l.* 1. §. *ſi in re depoſitâ* 24. *D. vi bon. rapt. l. ſi in Aſiâ* 12. §. *ult. D. h. tit. c. ult. eod.*

5. Commodi in depoſitarium nihil tranſit: nec proprietas, nec poſſeſſio, nec utendi facultas *l. licet* 17 §. 1. *D. h. tit. l.* 3. *C. eod. l. ſi pignore* 54. §. *ex quo D. de furt.* §. *furtum autem* 6. *Inſt. eod.* Sane interdum depoſitario pecuniis depoſitis uti conceditur: quæ conventio licet depoſiti terminos egrediatur, actio tamen depoſiti locum habet, & uſuræ ex morâ debentur *l. Lucius* 24. *l. die ſponſaliorum* 25. §. 1. *l. Publia* 26. §. 1. *l. ſi ſacculum* 29. §. 1. *D. h. tit. l. certi condictio* 9. §. *ult.* & *l. ſeq. D. de reb. cred.*

6. Res depoſita in ſpecie reſtituenda eſt: ſed ſi heres, ignorans rem apud defunctum depoſitam, vendiderit, dolove malo depoſitarii, aut lata culpa res perierit, æſtimationem deponens conſequitur *l.* 1. §. *ult.* & *ſeqq. l. ſi in Aſia* 12. §. *ult. l. ſi ſine dolo* 20. *D. h. tit.* Nec adverſatur *l. ſi plures* 14. §. 1. *D. eod. Cujac. Duar.* & *Donel. in l. ſi ex le-*

gati 23. *D. de V. O.* Item ſi depoſitarius pecuniis depoſitis uſus ſit, tantundem, non idem reſtituit *d. l.* 24. 25. 26. & 29. *D. h. tit.*

7. Eſt autem reſtituenda res, quandocunque deponens poſtulaverit, in eo loco, in quo eſt ſine dolo malo ejus apud quem depoſita eſt. *l.* 1. §. *ſi depoſuero* 45. *d. l. ſi in Aſia* 12. §. 1. *D. h. tit. d. c. fin eod.* An etiam depoſitarius deſerere officium ante tempus, & reſtituere deponenti poteſt ? Non niſi juſta ſit cauſa reſtituendi: *arg. l.* 5. §. *ult. D. h. tit. ub. Caſtrenſ. Coſtal. in d. l.* 1. §. *ſi depoſuero. Schneid. in d. §. praeterea n.* 7.

8. Repetenti rem depoſitam ne dominii quidem exceptionem opponi poſſe, multi tradiderunt. *Bartol. & Dd. in l. penult. C. h tit. Angel. in d. § praeterea Schneid. ibid. num.* 7 & 12. *Mynſ. num.* 14. Sed malè: cum enim nullum ſit depoſitum, quoties res apud dominum depoſita eſt, omninò dominii quaeſtio referri deponenti poterit *l. qui rem ſuam* 15. & *l. bona fides* 31. § 1. *in fin. D. h. tit. l. neque pignus* 45. *de R. I. Coſtal. in d. l.* 31.

9. Compenſatio in depoſito locum non habet *l. pen. C. h. tit. l. ult. C. de compenſ.* Sed quaeritur an non exceptio doli mali ſummovere deponentem poſſit, ſi impenſas in rem factas non ſolvat? Affirmant plures, quos ſequitur *Sich. in d. l. penult. Hotoman. ibid.*

Negant

Negant *Azo in ſum. C. h. tit. num.* 15. *Donel. in d. l. penult. num.* 9. Nos affirmantium ſententiam tueri conabimur, *arg. l. actione* 23. *D. h tit. l. ſi is qui rem* 59. *D de furt. l. in rebus* 18. §. *ult. D. commod. l. ſi quis rem* 20. *D. de acquir. vel amit. poſ.*

10. Convenit aliquando, ut res depoſita tertio reſtituatur: quo caſu tertio illi utilis actio adverſus depoſitarium datur *l penult. C. ad Exhib. d. l. Publia* 26. *D. h. tit.* Et licet Faber 1. *conject.* 4. exiſtimet, *in d. l.* 26. fideicommiſſum proponi, non depoſitum, ob id, quod ex conſtit. D. Pii, à quovis debitore fideicommiſſum relinqui poſſit *l. ſi pecunia* 77. *D. de leg.* 1. non tamen neceſſariò in ſententiam ejus eundum eſt.

11. Actio ex hoc contractu duplex oritur, directa & contraria. Illa deponenti adverſus depoſitarium datur, & infamat condemnatum ob perfidiam, *l.* 1. *D. de his qui not. infam.* §. *ex quibuſdam Inſt. de pœn. tem. litig. l. qui depoſitum* 10. *C. h tit.* & creſcit condemnatio in duplum, ſi reus inficietur rem depoſitam ex quatuor cauſis, tumultus, incendii, ruinæ, naufragii *l.* 1. §. 1. *l. de eo* 18. *D. h. tit.* contraria neque infamat, neque in duplum creſcit, quia non de fide ruptâ, ſed de calculo agitur, qui judicio dirimendus eſt. *l. furti* 6. §. *ult. D. de his qui not. infam. l.* 5. *pr. D. h. tit.*

12. In-

12. Interdum circa probationem rerum depoſitarum laboratur : ut , ciſtam obſignatam depoſuit quis , in quâ gemmas vel numos magni pretii fuiſſe dicit : quæritur an jurejurando id probare poſſit , & habeat hic locum *l. ſi quando* 9. *C. und. vi* ? Non diſplicet vulgata diſtinctio , ut ſi vis facta , aut ſignum ciſtæ violatum ſit , deferatur actori juramentum : ſin minus ; audiatur reus potius , jurejurando purgare ſe volens. *Bartol. Caſtr. Coſtal. in l.* 1. §. *ſi ciſta D. h. tit. Gomeſ.* 2. *var. reſol.* 7. *num.* 3. *Maſcard. vol.* 1. *de probat. concl.* 472. *n.* 14. *Schneid. ad* §. *ult. Inſt. de oblig. ex q. del. n.* 5. Diſſ. *Gipb. in d. l. ſi quando* , exiſtimans æquam quidem hanc ſententiam eſſe , ſed ad rigorem juris exactam ſubſiſtere non poſſe.

13. Sequeſtratio eſt, quâ res controverſa à duobus vel pluribus in ſolidum deponitur apud tertium , qui ſequeſter appellatur , eâ lege , ut eam victori reſtituat *l. propriè* 6. *l. licet* 17. *D. h. tit. l. ſequeſter.* 110 *D. de V. S.* Quâ depoſitione licet multi poſſeſſionem in ſequeſtrem tranſire affirment , verius tamen eſt , non tranſire , niſi id nominatim actum ſit. *l. intereſſe* 39. *D. de acq. vel amit. poſſ.*

14. Eſtque vel voluntaria , vel neceſſaria. Illa fit conventione litigantium : hæc judicis juſſu ; unde & judicialis appellatur. Eſt autem judicialis regulariter prohibita ; non

non ſolùm ſi de quantitate agatur, ſed & ſi de quâcunque re aliâ. *l. un. C. de prohib. ſequeſt. pec. l. ult. C. de Rei vind. l. 5. C. Quor. appel. non recip. l. litibus* 20 *C. de agric. & cenſ. Duar. ad d. l. un. Don.* 24. *com.* 4. *God. de prob. ſequeſt. cap.* 2. *num.* 83. *Mynſ.* 5. *obſ.* 35. *Gail. de arreſt. cap.* 1. *n.* 7. Diſſ. *Cujac. in parat. C. & Hotom. in ſchol. ad d. l. un.*

15. Ex causâ tamen etiam judex jubere poteſt, ut res controverſa apud ſequeſtrem collocetur: cujuſmodi cauſæ ſunt, ſi fugam meditetur debitor, metus dilapidationis, armorum *l. Impp.* 21. *§. ult. D. de appellat. l.* 13. *§. æquiſſimum D. de uſufr. l. penult. D. Quæ in fraud. cred. l. ſi fidejuſſor* 7. *§. ult. D. Qui ſatiſd. cog. Gail.* 1. *obſerv.* 147. *&* 148. *Coler. de proceſ. exec. part.* 1. *cap.* 2. *n.* 106. *& ſeqq. Covar. pract. quæſt.* 17. *Coſtal. in d. l.* 7. *D. Qui ſatiſd. cog.*

16. Sævitiæ quoque, turpitudinis aut impudicitiæ ſuſpicio juſta ſequeſtrationis cauſa eſt: Ita enim liberi ſequeſtrantur, cum de iis ducendis interdicto agitur, & uterque litigantium ſuſpectus eſt *l.* 3. *§. Julianus D. de lib. exhib. & duc.* Quod jus canonicum rectè produxit ad virginem elocandam *c. cum locum de ſponſal.* ad uxorem cum quâ lis eſt, ſi timeat mariti ſævitiam *c. ex tranſmiſſâ c. literas in fin. de reſtit. ſpol.*

17. Actio in ſequeſtrem depoſiti datur *l.* 5. *§.* 1. *l. ſi in Aſiâ* 12. *§. cum ſequeſtre D. h. tit.*

quæ

quæ ſequeſtraria vocatur in *l. ſi quis adfirmavit* 9. §. *Labeo, D. de dol. mal.* Cui conſequens eſt, etiam contrariam ſequeſtro adverſus deponentem dari, quâ conſequatur impenſas in rem factas, & ſi quid aliud ex bono & æquo ei debetur. *arg. l. ſi ſervus* 61. §. *quod verò D. de furt. l. ſed ſi quis* 7. *D. teſtam. quemad. aper.*

18. Eſt & alia ſequeſtratio, apud judicem ſponſionis vel certaminis, utraque ex parte facta depoſitio pignoris, in certamine, in quo licet ſponſionem facere. Vetüit enim jus noſtrum in pecuniam ludere, præterquam ſi quis certet haſta, vel pilo jaciendo, vel currendo, ſaliendo, luctando, pugnando quod virtutis cauſa fiat *l. 2. & 3. D. de aleat. l. 1. & 3. C. eod.* Item, quod in convivio veſcendi cauſa apponitur, in eam rem familiæ ludere permittitur. *l. 4. D. eod.*

19. Ex quibus colligitur, non valere ſponſiones illas, quæ fiunt in incertum rei eventum: veluti, Si Romanus vicerit Parthum: Si Græci expugnaverint Trojam: Si vivus valenſque revertar Hieroſolymis. Nullum enim in his virtutis certamen. Diſſ. *Sand. lib 3. deciſ. tit. 9. def. 1. Coraſ. 7. miſcel. 7. Tuld ad tit. C. de aleat. numer. 3.* Contra honeſtam ſponſionem judicabimus illam paſtorum de laude Muſices; Azonis & Lotharii de imperio mero.

20. Is

20. Is apud quem pignus deponitur, ſculna vocatur *Macrob.* 3. *cap.* 17. *Gell.* 20. *cap. ult.* & tenetur quaſi ex novo negotio præſcriptis verbis actione, ut rem reſtituat victori. Quod ſi inhoneſta fuerit cauſa ſponſionis, ſuum tantum anulum pignuſve repetere victor poterit. *l. gratuitam* 17. §. *ult D. de præſcr. verb.*

DISPUTATIO DUODECIMA, DE PIGNORE.

Reſp. Bernhardo de Baeck, *Campenſi.*

1. Pignus eſt contractus, quo res aliqua, ſecuritatis ergò, creditori traditur; eâ lege, ut ſoluto debito eandem debitori reſtituat. §. *ult. Inſt. Quib. mod. re cont. oblig. l. ſi rem alienam* 9. §. *propriè* & §. *ſeq. D. de pign. act. l. plebs* 238. §. *pignus D. de V. S.* Rem cum dicimus, non ſolum mobilem, ſed & immobilem, quin etiam incorporalem intelligimus. *d. l.* 9. §. *propriè l. tutor* 16. §. *ult. l.* 18. §. 1. *l.* 21. *D. de pign. act. l ſi is qui bona* 11. §. *u uſfructus* & *l. ſeq. D. de pign. & hyp. l.* 4. *C. Quæ res pign. oblig. poſſ.*

2. Res

2. Res aliena pignori dari nequit *l.* 5. *l. quæ prædium* 6. *C. ſi res alien. pign. dat. fuer. l. aliena res* 20. *D. de pign. act.* Sed ſi debitor poſtea heres extiterit domino rei, quæritur an convaleſcat pignus? Affirmat Paulus *in l. rem alienam* 41. *D. de pign. act.* Papinianus *in l.* 1. *D. de pign. & hyp.* Quid ſi contra debitori extiterit heres dominus rei, an convaleſcit? Negat Paulus *in d. l.* 41. *verſ. Non eſt idem dicendum.* Affirmat Modeſtinus *in l. ſi Titio* 22. *D. de pig. & Hyp.* Agnoſcit diſſidium Hotoman. 5. *obſ.* 18. Sed agnoſcere neceſſe non eſt. Vide *Cujac.* 19. *obſ.* 26. *Duar.* 2. *diſp. anniv.* 4. Aliter *Alciat.* 7. parerg. 14. Aliter *Don. de pignor. c.* 4. Aliter *Vultej. diſcept. ſcholaſt.* 17.

3. Accedere pignus cuicunque obligationi poteſt, ſive civilis ſit, ſive naturalis tantum: ſive pura, ſive in diem vel ſub conditione contracta *l.* 5. *l. quæſitum eſt* 14. §. 1. *D. de pign. & hyp. l. debitor* 59. *D. ad S. C. Trebel.* Sed ſi obligatio temporis præſcriptione extincta ſit, non poteſt ei accedere pignus, ſicut nec fidejuſſor, *arg. d. l.* 5. *& l. nihil dolo* 129. §. 1. *l. cum principalis.* 178. *D. de R. J. junct. l.* 3. *&* 4. *C. de præſcr.* 30. *vel* 40. *an. l. item illa* 18. §. 1. *D. de pec. conſtit.* Nec adverſatur *l. cum notiſſimi* 7. §. 1. *C. de præſcr.* 30. *vel* 40. *ann. l. Julianus* 60. *de cond. indeb. l.* 38. §. 4. *de Solut.*

4. Si pignus in ſortem obſtrictum ſit, non

poteſt

poteſt retineri propter uſuras *l. ſolutum* 11. *§. ſi in ſortem D. de pign. act. junct. l. quero* 54. *D. locat. l. fidejuſſores* 68. *§.* 1. *D. de fidejuſ.* Tamen certæ pecuniæ nomine datum, oppoſita doli exceptione retineri poteſt nomine ejus pecuniæ, quæ chirographaria tantum eſt *l. un. C. Et ob chirogr pec. pignor. retin.* Hæc non ſunt contraria. Vide *Cujac.* 5. *obſerv.* 28. & 15. *obſerv.* 22. *Robert.* 1. *animad.* 27. *Coſtal. in d. l. ſolutum. Donel. & Giphan. d. l. un.*

5. Non ſolum res ipſa, verum etiam fructus & partus rei pignori ſunt *l.* 1. *C. de part. pig. & om. cauſ. l. grege* 13. *pr. l. fidejuſſor* 26. *§. ult. l. Paulus* 29. *§.* 1. *D. de pign. & hyp. l.* 1. *pr. D. de Salv. interd. l ſi convenerit* 18. *§. ſi fundus D. de pign. act. l.* 3 *C. In quib. cauſ. pign. vel hyp. tac. contr.* Nec tamen idcirco legibus defendere poſſis actionem illam, quam barbarè actionem deſfructuationis appellant. Vide *l.* 16. *§. interdum d. l.* 29. *§.* 1. *D. de pign. & hyp.* Diſſ. *Everh. conſ.* 147. *n.* 5. & 6. *Peck. in c. ratihabitionem de R. J. in* 6.

6. Tranſit in creditorem non proprietas rei, ſed poſſeſſio duntaxat naturalis *l.* 1. *§. per ſervum* 15. *D. de adq. vel amit. poſſ. l. cum & ſortis* 35. *§.* 1. *D. de pign. act.* An uſus? Minimè: furti enim tenetur, ſi re pignoratâ uſus fuerit, *§. furtum autem fit Inſtit. de furt. l. ſi pignore* 54. *D. eod.* Nec adverſantur *l. creditor.* 23. *D. de pign. & hyp. l.* 2. *C.*

de

de part.pig.& em.cauſ.l.1.2.& 3.C de p
act.l.8.D.In quib.cauſ.pign.tac.contr.

7. Si convenerit, ut pro uſuris pe
creditæ creditor fundo pignerato u
fruatur, an obſervandus modus uſur
in percipiendis fructibus? Negant *l.ex p*
11.l.ſi ea pactione 14.l.ſi ea leg.17 C.de
Affirmant *l.2.C.de part.pign.l.1.2.3.ul*
pign.act.l.ſi dom.9.C.de pign.& hyp.l.cu
bit.8.D. In quib. cauſ.pign. vel hyp.tac.
Nullum hic diſſidium. Vide *Cuj.3.obſ.3*
8.obſ.17.Hotom.in epit.Dig In quib.cauſ
tac.& 1.obſ.4 Donel.in d.l.1.n.4. C. d
act.Duar. ad tit. de uſur. cap.3. verſ. E
Sand.3.deciſ.tit.12.def.10.

8. Cuſtodiam præſtat creditor exac
non exactiſſimam: verſatur enim in
contractu utriuſque contrahentis utilita
ult. Inſtit.quib.mod.re contr.obligat.l.5.§
videndum l. in rebus 18. §. at ſi utriuſqu
commod.l.contractus 23.D.de R.J. N
verſantur *l.ſi cum venderet 13.§.1.D.de*
act.l.ſicut vim.19.C.de pign.& hyp.Glos
l.19.& 13.Cujac.19.obſ.24.Duar. ad
pign.act.cap.6.Donel.in d.l.19.Bronc.c
aſſert.33.

9. Si debitor non ſolvat debitum
diſtrahendi creditor habet. Sed ea diſtr
an proſcriptionem & auctionem deſid
dubitatur? Verius eſt, non eſſe proſcri
nem neceſſariam, dummodo fraus à
di

ditione abſit. *arg. l. ea igitur* 14. *D. de pign. act. l.* 1. *& ſeqq. C. ſi vend. pign. agat. l. ſi ceſſante* 7. *C. de diſtract. pignor. Bald. de pign. cap.* 18. *Hatt. Piſtor.* 3. *quæſt.* 18. *n.* 7. *&* 8.

10. Denuntiationes quod attinet placet vulgata diſtinctio: Si convenerit, ut diſtrahere pignus liceat, nulla denuntiatio exigitur *l.* 4. *D. de pign. act.* Si nihil convenerit, una *d. l.* 4. *C. de diſtr. pign. l.* 3. §. 1. *C. de jur. domin. impetr.* Sin, ut ne diſtrahere liceat pignus, ter ante denunciandum eſt debitori *d. l.* 4. *D. de pignor. act. ub. Coſtal. in adverſ. Piſtor. d quæſt.* 18. *num.* 2. *Sand.* 3. *tit* 12. *deciſ.* 20. Diſſ. *Cujac. in parat. C. de diſtract. pign.*

11. Creditor vendidit pignus pluris, quam debitum erat, ſi acceperit pretium, ſuperfluum reddere debet: ſin minus, aut exſpectare debitor debet, aut mandandæ ei actiones ſunt adverſus emtorem, periculo tamen venditoris *l. eleganter* 24. §. *ſi vendiderit D. de pignor. act.* Nec adverſatur *l. creditor.* 42. *D. eod. Gloſſ. in d. l.* 42. *Cujac. ibid. lib.* 3. *reſponſ. Papin. Pac. cent.* 4. *antin.* 49.

12. Si creditor, cui fundus pignori datus erat, exſolverit tributum, vel ſtipendium, vel extraordinariam collationem, in ſummâ debiti hoc computare poteſt *l. in ſummâ* 6. *C. de pign. & hyp. junct. l. ſi neceſſarias* 8. *D. de pign.*

pign. act. l. 1. 2. 3. *C. eod.* Nec adverſantur *l. inter debitorem.* 42. *l. epiſtola* 52. §. *pactum D. de pact. l. prædiis* 36. *de jur. fiſc. l. ult. C. Sin. cenſ. vel reliq. fund. compar. non poſ.* Diverſum dicemus, ſi antichreſis conſtituta ſit, *arg. l. Impp.* 7. *D. de publican. & vectig. l.* 5. *D. de cenſib. Coſt. Cujac. & alii in d. l.* 42. *de pact. Mornac. in l.* 41. *eod.*

13. Jus pignoris in re non ſolum contractu, ſed & nudâ conventione conſtituitur, & lege, & teſtamento, & miſſione in poſſeſſionem ex primo decreto, & ſi quæ res judicati exequendi gratia captæ ſint *l.* 9. §. *propriè l. non eſt mirum* 26. *D. de pig. act. l. à D. Pio* 15. *D. de re jud. l.* 1. & 2. *C. de præt. pign.* Per conventionem conſtituitur, non ſolum cum expreſſim ita convenit: *Obligo tibi fundum illum pignori*: Sed & ſi dictum ſit: *Credo tibi centum ſuper iſto fundo. Bartol. & Caſtr. in l. penult* §. *inſtituto D. de leg.* 2. *Fide & periculo rerum mearum*: *Per exactionem rerum mearum ſatisfieri promitto*: *l. ult. C. Quæ res pign. oblig. poſſ. &c.* At ſi ita dictum ſit: *Vendo tibi reditum annuum, ex illo fundo præſtandum*: non illico fundus ille pignori eſſe intelligitur *l. ult.* §. 1. *D. de cont. emt. l. liberto* 21. *D. de ann. legat.* Vide *poſt gloſſ. Coſtan. in d. l. ult Thoming. deciſ.* 7. *n.* 11. *Ranch. in not. ad deciſ. Pap.* 42. Diſſ. *Molin. ad conſ Pariſ. tit.* 2. §. 53. *gl.* 2. *verb. au cuns. fons. de terre n.* 19. *Sand.* 3. *tit.* 12. *def.* 8.

14. Si

14. Si quis generaliter obliget bona ſua pignori, etiam futura obligaſſe cenſetur, tametſi non adjecerit; *tam præſentia, quam futura: l. ult. C. quæ res pig. obl. poſ.* non tamen ea, quæ veriſimiliter non obligaret; velut iſunt ſuppellex, veſtis, mancipia neceſſaria, aut magnæ affectionis *l. obligatione* 6. *& ſeqq. D. de pig. & hyp.* Si tamen dixerit, *nullis exceptis*: verius eſt iſtas quoque res pignori obligari. Vide *Sand. d. tit.* 12. *def.* 9.

15. Obligatio generalis non impedit, quo minus debitor res ſuas alienet, ſalvo tamen creditori pignoris jure *l. alienatio* 67. *D. de contr. emt. l. debitorem* 15. *C. de pign. & hyp. l. ſi debitor* 12. *C. de diſtr. pign. l. un. C. rem alien. gerent.* Nec reclamat *l. cum tabernam* 34. *D. de pig. & hyp. l. pen. D. In quib. cauſ. pign. tac. contr.* Vide *Cujac.* 17. *obſ.* 39. *Hotom. in epit. D. quæ res pig. obl. non poſ. Nicol. Ever. conſ* 65. *Coſtal. in l.* 4. *D. de pact.*

16. Lege pignus tacitum datur domino ædium, in rebus invectis & illatis ab inquilino *l.* 4. *D. de pact. l.* 2. *D. In quib. cauſ pig. tac. contr.* Domino fundi, non in rebus invectis & illatis à colono, ſed in fructibus *l. prædiis* 7. *D. eod. Cujac. & Duar. in d. l.* 4. Cæterum adeò res ab inquilino illatæ tacitè obligantur, ut ne minoris quidem res excipiendæ ſint, *Gail* 2. *obſ.* 83. *n.* 9. *Mont. de tut. cap.* 33. *n.* 434. *& ſeqq. Sand. part.* 1. *de prob. rer. alien. cap.* 1. §. 3. *n.* 51. *Tul. ad tit C. Quæ res*

*pig.obl.poſ.n.*6. neque bibliothecæ ſtudioſorum. *Conna.* 4.*com.* 16.*n* 8. Diſſ. *Jaſ.ad* §. *item Serviana Inſt.de act n.* 64.*Zaſ.num.* 23. *Schneid.n.*43. *Sich.ad rubr. C. de pign. & hyp. n.*11.

17. Tacitum pignus datur ei, qui ad reſtitutionem inſulæ vel ædificii credidit, *l.* 1. *D. In quib.cauſ.pign.tac.contr.l.ſi ventri* 24.§. 1.*D.de bon.aut jud.poſſid.* Qui verò ad extruendum novum ædificium credidit, non habet tacitum pignus: tantum abeſt, ut qui ad rem quamlibet comparandam vel inſtruendam credidit, tacitum pignus habeat *l.quamvis* 17.*C. de pignor. & hyp. l.licet.*7.*C. qui pot in pign.l.*5.§.*planè D. de tribut.act.Cujac.ad Nov.*97.*&* 136.*Fab.*8.*Conject.*11. *& lib.*8.*C.tit.* 8.*def.*10. *Sand.*3.*tit.* 12, *def.* 5. *Hartm.Piſt.*3 *quæſt.*15.

18. Fiſcus tacitam hypothecam habet, in bonis debitorum & adminiſtratorum ſuorum *l.* 2.*C.in quib.cauſ.pign.tac. contr.l.auferatur* 46.§.*fiſcus D.de jur.fiſc.l.Ælianus* 10.*D. de manumiſſ. l.* 1. *&* 2.*C.de priv.fiſc.* in bonis tributo obnoxiis ex causâ tributi vel cenſus *l. Impp.* 7.*D. de Publ.l.inter debitorem* 42. *D. de pact.* Civitates verò, hâc parte jure fiſci non gaudent *l.*8.*D.qui pot.in pign.l.pen.*§.1 *C.de bon.auct.jud.poſ.l.bona* 15.*D.de V.S.l.*2 *C.de jur.reip.l.ſimile* 10.*D.ad municip. Cujac in l.*2.*C.de delit civit.&* 2.*obſ.*24.*Con.*4.*com* 16.*Coſt.l* 8.*D.ex quib. cauſ.maj.* Diſſ. *Neguſ*

*par.*2

par. 2. de pignor. memb. 2. n. 119. & memb 4. n. 120. Vaſq. 4. contr. ill. 9. n. 4. & 9. Mun. de ratioc. cap. 39. n. 6. & 7.

19. Solvitur pignus multis modis, inter quos etiam remiſſio numeratur, ſeu expreſſa, ſeu tacita *l. 1. 2. 4. 6. 8. 9. 10. ult. C. de remiſſ. pign. l. 4. §. 1. l. ſicut 8. §. 1. D. quib. mod. pign. ſolv.* Hic quæritur: Si conſentiat creditor, ut pignus ſuum alteri obligetur, an videatur remiſiſſe pignus? Ita videtur *arg. l. Titius 9. & l. Paulus 12. D. quib. mod. pign. ſolv. Hart. Piſt. 3. quaſt. 16. Menoch. 3. præſumt. 119. Donel. de pignor. c. 14.* Diſſ. *Con. 4. cum 19. num. 5. Molin. de uſur. num. 685. Mud. ad tit. D. quib. mod. pign ſolv. num. 14. & ſeqq.* Vide *l. 12. §. ſi tecum 4. D. qui pot. in pign.*

20. Sublatâ perſonali obligatione, ſeu ipſo jure, ſeu per exceptionem tollitur etiam pignus *l. 5. 6. 13. D. quib. mod. pign. vel hyp. ſolv. l. in omnibus 43. D. de ſolut. & lib. l. cum principalis 178. de R. I.* Sed vehementer obſtant *l. 2. C. de luit. pign. l. cum notiſſimi 7. §. 1. verſ. non ultra 40. annos. C. de præſcr. 30. vel 40. ann.* Quarum priori utcunque ſatisfieri poteſt: vide *Cuj. 5. obſ. 32.* quod ad poſteriorem ſubſcribo Argentreo *ad conſuet. Brit. art. 273. cap. de hyp. præſcr. n. 20.* ingenue profitenti, nullâ hoc ratione à Juſtin. conſtitutum ut extinctâ perſonali hypothecaria duret ad annum xl. Conf. *Az. & Accurſ.*

Bartol. Balduin. in d. l. 2. *&* 7. *Donel. in d. l.* 2. *num.* 4. *Con.* 3. *com.* 11. *num.* 9. *Sarm.* 2. *ſel. interpr.* 9.

DISPUTATIO DECIMA TERTIA, *DE* STIPULATIONE.

Reſp. DIURTCO ANDREAE, *Friſ. Orient.*

1. STipulatio eſt verborum conceptio, quibus is qui interrogatur, daturum facturumve ſe, quod interrogatus eſt, reſpondet, *l.* 5. §. *ſtipulatio D. de V. O.* Dicta à ſtipe, autore Feſto: à ſtipulo, autore Paulo 5. *ſent* 7. §. 1. quia firmat alias obligationes. Unde colligimus, ſtipulationem per ſe ſolam, abſque aliâ causâ non ſubſiſtere *l.* 1. *&* 3. *D. de cond. ſin. cauſ. l. & ideò* 15. *D. de V. O. l.* 2. §. *circa D. de dol. mal. & met. except. Cuj. in l. à Titio* 108. *de V. O. &* 19. *obſerv.* 25. *Donel. in d. l.* 5. *Govea.* 1. *lect.* 34. Diſſ. Hotoman. *pr. Inſtit. de V. O. Gædd. de contr. ſtip. cap.* 3. *concl.* 5. *& cap.* 5. *concl.* 2.

2. Deſiderat ſtipulatio, præter conſenſum, præſentiam utriuſque contrahentis, præce-

præcedentem interrogationem, & ſubſequentem illicò reſponſionem. Unde ſequitur, inter abſentes non poſſe contrahi ſtipulationem *l.* 1. §. 1. *D. de V.O. l.* 3. *C.eod. l* 3. *C. de inut. ſtip.* §. *item verborum Inſtit. eod.* Non poſſe inter præſentes ſcripto contrahi *d.ll. & l. Titia* 134. §. *penult. D. de V. O.* Non nutu ſolo *d. l.* 1. §. *ſi quis ita.* Vitiari ſtipulationem, ſi longius intervallum, aut actus extraneus dividat reſponſionem ab interrogatione *d. l.* 1. §. 1. *l. continuus* 137. *D. eod.*

3. Si reſponſio per verbum imperſonale facta ſit, veluti, dabitur; an valet ſtipulatio? Valet *d.l.* 1. §. *ſi quis ita l. quotiens* 80. *& l. ſeq. D. de V. O.* §. 1. *verſ. ſed hæc ſolennia Inſtit. eod. l omnes* 10. *C. eod.* Nec adverſatur *auth. ſi quando C de conſtit. pec. Cujac. in l.* 5. *in fin. D. de V. O. Alciat.* 2. *parerg.* 18. Diſſ. *Weſ. in par. de V. O. n.* 4.

4. Si interroganti purè reſpondeas ſub conditione, vel contra, inutilis eſt ſtipulatio *d. l.* 1. §. *ſi quis ſimpliciter l. ſi ſtipulor* 35. §. *ult. D. de V. O.* §. *præterea Inſt. de inut. ſtip.* Sed ſi ſtipulanti decem, reſpondeas viginti, valet ſtipulatio in decem, quia ſumma minor majori ineſt. *d. l.* 1. §. *ſi ſtipulanti, junct. l. inter ſtipulantem* 83. §. *diverſa D. eod.* Vide *Dd. in d. l.* 1. *& d.* §. *præterea.*

5. Si de aliâ re ſtipulator ſenſerit, de aliâ promiſſor, inutilis eſt ſtipulatio. §. *ſi de*

de aliâ re Inſtit. de inut. ſtipul. l. continuus 137. §. 1. *D. de V. O.* Nec adverſantur *l. ſi id quod aurum* 22. *& d. l.* 83. §. 1. *D. eod. Cujac. Duar. Donel. & Dd. com. in d. l* 22. *Hotom. & alii in d.* §. *ſi de aliâ.* Diſſ. *Ferret. in d. l.* 22.

6. Inutilis eſt ſtipulatio, in arbitrium promiſſoris collatâ obligatione. *l. ſtipulatio* 17. *l. centeſimis* 46. §. *ult. l. à Titio* 108. §. *ult. D. de V. O. l. ſub hâc conditione* 8. *D. de O. & A.* Ac licet Cujacius putet *in d. l.* 17. valere ſtipulationem, ſi de arbitrio viri boni contrahentes ſenſerint, vix tamen eſt ut id defendi poſſit *Donel. in d. l.* 17. *num.* 9. Sanè in ſtipulatoris arbitrium conferri obligationem, juris ratio non impedit *Cujac. & Duar. in ead. l.* 17.

7. Si quis dari fierive aliquid ſtipuletur, & ſi factum non erit, pœnam: quæritur, an principalis ſtipulatio per pœnalem novetur? Verius eſt, non novari. *l. prædia* 28 *l. L. Titius* 47. *D. de act. emt. l. ſi quis à ſocio* 41. *& l. ſeq. l. duo* 71. *D. pro ſoc. l. qui Romæ* 122. §. *Flavius D. de V. O. Zaſ. in l. ita ſtipulatus* 115. *D. eod & ſing. intell.* 4 *Cujac. & Duar. in ead. l.* 115. *Coſtal. in d. l.* 28. *&* 41. *Hotom. ill. quæſt.* 10.

8. Si promiſſor pœnæ deceſſerit pluribus hęredibus relictis, & unus ex his contra ſtipulationem fecerit, an pœna ab omnibus committitur? Affirmat *l.* 5. §. *ult. l. in executione* 85.

§. *pen.*

§. pen. D. de V. O. l. heredes 25. *§. idem juris D. famil. erciſc.* Diſtinguit. *l.* 4. *§. Cato D. de V. O.* Aliter *l ſi ſervus* 9 *§.* 1. *D. de Si quis caut. in jud. ſiſt. cauſ.* Nullum hic diſſidium. Vide *Cujac. in d. §. Cato Duar. & Donel. in d. l.* 5. *§. ult.*

9. Si contra clauſulam, *dolum malum abeſſe, abfuturum eſſe* : factum ſit, ſinguline in ſolidum, an pro partibus duntaxat conveniri poſſunt ? In ſolidum, ſi ſtipulatio principalis individua fuerit; pro partibus, ſi dividua. Vide *d l.* 4. *in pr. §. Cato & §. ſed videamus D. de V. O. l.* 2. *ſi ſine* 22. *§. in ſtipulationem D. rem rat hab. l redhibere* 21. *§.* 1. *D. de ædil. ed. l. inter coheredes* 44. *§. quod ex facto D. famil. erciſc. Duar. Donel. Taurel. in d. §. Cato.* Aliter *Zaſ. & Cujac. in eod. §.*

10. Duobus vel pluribus promiſiſti certum rerum numerum : an numero dividitur obligatio ? Affirmat Papinianus *in l. ſi centum* 117. *D. de V. O.* Negat Ulpianus *in l. cum Stichus* 29. *D. de Solut. & liberat.* Nec hîc diſſidium ullum. *l. in ſtipulationibus* 54. *D. de V. O. ub. Cujac. in com. &* 15. *obſ.* 24. *Donel. in d. l.* 54. *n.* 23.

11. Stipulatus es ſortem cum uſuris, ſed non adjectâ taxatione, an valet ſtipulatio ? Non valet. *l. quod in ſtipulatione* 31. *l. tutor* 41. *§. ult. D. de uſur. junct. l. quicquid* 99. *D. de V. O.* Nec adverſatur *l.* 1.

pr. D. de uſur. Donel. in l. 3. *C. eod. num.* 4. Confer. *Fabr.Cod.Sab.tit.de uſur.def.*7. *Sand.* 3.*tit.*14.*def.* 2. *&* 3.

12. Stipulatus es vacuam poſſeſſionem dari: an ſtipulatione veniunt etiam fructus? Ait Papinianus *in l.*4.*D.de uſur.*Negat Pomponius *in l.*3.§.1.*D.de act. emt.* Non temerè pugnam agnovit Molinæus: vix enim eſt,ut ſolidâ aliquâ ratione conciliari poſſint. Vide *Cuj.in l.*37.*de uſufr. tract.*7.*ad Afric. Duar. ad tit.de uſur.cap.Qui fruct.ven.in reſtit.Donel. in l. in conventionalibus* 52.§.1. *D.de V.O. Ludovic. Charond.*3.*veriſ.cap.*12.

13. Stipulatus es inſulam fieri: non ante agere potes, quam tempus præteriſſet, quo ædificari poſſet, ſecundum Celſum & Pomponium *in l. ſi ita ſtipulatus* 14. *D.de V.O.* Imò ſtatim agi poteſt, ſimul atque mora ædificandæ inſulæ fit, ſecundum Ulpianum *in l. ſtipulationes non dividuntur* 72. §. *ult. D. eod.* Tametſi agnoſcat hic diſſenſionem Proculianorum & Sabinianorum Cujacius *ad d. l.* 14. ſatis tamen probabilis videtur Joannis ſolutio, quam habet Accurſ. *in d.* §. *ult. verb. poßit* & ſequitur *Donel. in d.l.*14. *n.*4. *Coraſ. num.* 3. *Duar. in d.* §. *ult.* Aliter *Ferret.in d.l.* 14.

14. Stipulatus es: *Si Kalendis Stichum non dederis, decem dare ſpondes?* mortuus eſt Stichus ante Kalendas: non ſtatim

ſtatim agere potes, ſed Kalendæ expectandæ ſunt. *l. in illâ* 8. *junct. l. inſulam* 124. *D. de V. O. l* 4. §. 1. *D. de cond. & demonſtr.* Nec adverſatur *l. hoc jure* 10. *D. de V. O.* Vide *poſt gloſſographos Cujac. Duar. Donel. in d. l.* 8. *Con.* 6. *com.* 3. *Hotom.* 13. *obſerv.* 2. *Pac. cent.* 7. *antin.* 26.

15. Cum promiſiſſes mihi donandi cauſa Stichum aut Pamphilum, Stichus ex lucrativâ causâ factus eſt meus: an poteris offerre æſtimationem Stichi? Minimè. *l. Stichum* 16. *l. inter ſtipulantem* 83. §. *ſi rem l. exiſtimo* 98. *D. de V. O. L. non quodcunque* 82. §. *ult. D. de leg.* 1. *Fab.* 2. *conject.* 15. Diſſ. *Accurſ. Cuj. Duar. Donel. Charond. in d. l.* 16.

16. Quid autem, ſi Stichus ſtipulationis tempore meus fuerit, poſtea deſierit eſſe meus, an invito mihi ſolvi poteſt? Non poteſt. *l. qui decem* 72. §. *Stichum. D. de Solut. & liber. l. nemo* 82. *l. nemo* 87. *D. de V. O.* Nec repugnat *l. ſi rem meam* 31. *D. de V. O. Cujac. in d. l.* 16. & 14. *obſ.* 20. *Fab. d. cap.* 15.

17. Stipulatus ſum hominem generaliter, an promiſſor poterit ſolvere unum ex illis qui ſtipulationis tempore mei erant? Non poterit, *l. Mævius* 66. §. *non idem D. de leg.* 2. Affirmat *d. l.* 72. §. *Stichum. D. de Solut.* Agnoſcit diſſidium Faber *d. c.* 15. Conna. 6. *com.* 2. *n.* 6. Nec video qui commodè

modè evitari poſſit, niſi fortè cum Cujacio *d. obſervat.* 20. in §. *Stichum* pro, *unum*, reponamus, *num etiam ex his &c.*

18. In ſtipulatione generis, & alternativa, electio promiſſoris eſt *l. ſtipulatio iſta* 38. §. *in ſtipulationibus* 18. *l. ubi* 75. §. *qui illud aut illud D. de V. O. l. plerunque* 10. §. *ult. D. de jur. dot. l.* 2. §. 3. *D. de cond. quod cert. loc.* Sed ſi ſtipulator electionem ſibi reſervaverit, eo mortuo an in heredem tranſit electio? Tranſit. *l. ſi ſtipulatus* 76. *l. ult. pr. D. de V. O. l. ſi ſic legatum* 75. §. *penult. D. de leg.* 1. *l. quæ legata* 18. *D. de R. J. Zaſ. Cujac. Duar. in d. l.* 76. Diſſ. *Donel. in ead. leg.*

19. Stipulatus ſum, aliquem certo loco ſiſti: non valet ſtipulatio, ſi dies adjecta non ſit *l. ita ſtipulatus.* 115. *D. de V. O.* Imò valet. *l. de die* 8. *D. Qui ſatis d. cog. l. ſi finita* 15. §. 1. *D. de damn. infect.* Nulla hic in conciliando difficultas eſt. Vide *Cujac. in d l.* 115 *&* 22. *obſ.* 26. *Duar. Donel. in ead. l.* 115. *Pac.* 1. *antin.* 76.

20. Promiſiſti, te vim facturum non eſſe Lucio Titio, quam cautionem de non offendendo vulgò vocant: ſi res quaſdam L. Titii abſtuleris, an ſtipulatio committitur? Committitur, ſi verba generalia ſint, vim facturum, læſurum non eſſe quoquo modo: aut ſi res è manibus excuſſæ ſint tenentis &c.

&c. *Farin. quæſt.* 107. *part.* 2. *n.* 141. 147. 171. 240. *& ſeqq.*

21. Sanè, ſi vis facta fuerit ex novâ causâ, de quâ tempore cautionis interpoſitæ non cogitabatur, non committitur ſtipulatio, dummodo cauſam illam doceat promiſſor. *Clar.* 5. *ſent.* §. *fin. quæſt.* 47. *n.* 9. *Maſcard. de probat. concl.* 1136. *num.* 27. *& concl.* 1162. *Farin. d. quæſt.* 107. *num.* 460. *Mod. Piſtor. quæſt.* 149. *n.* 48. *in addit. Hartman. Piſtor. lib.* 1. *quæſt.* 17.

22. Actiones ex ſtipulatione duæ naſcuntur: condictio certi, & actio ex ſtipulatu. Illa datur, ſi res certa ſit in ſtipulatione: hæc ſi incerta. *pr. Inſt. de V. O.* Utraque ſtricti juris eſt, quâcunque ex causâ ſtipulatio interpoſita ſit, exceptâ dotis causâ §. *actionum* 28. *&* §. *ſeq. Inſt. de act. l. un. C. de rei ux. act.* Unde apparet, periculoſum eſſe vulgatum axioma: Stipulatio induit naturam ejus negotii cui accedit: Vide de eo *Dan. Moller.* 5 *ſemeſtr.* 56. *Mozz. de ſtipulat. cap. quid oper. & cuj. nat. ſit ſtipulat.*

DISPUTATIO DECIMA QUARTA, DE Literarum Obligatione.

Reſp. JOHANNE van SYPESTEYN, *Rheno-Traject.*

1. QUÆ illa fuerit obligatio per ſcripturam, quam Imp. exoleviſſe dicit *pr. Inſtit. de lit. oblig.* non eſt expedſtum. Alii de tabulis accepti & expenſi intelligunt, quas veteres diligentiſſimè conficiebant: alii de nominibus per menſæ ſcripturam factis: alii de novatione prioris obligationis in literarum obligationem, certis verbis fieri ſolita: quorum ſententia probabilior videtur, & auctoribus Gajo 2. *Inſtit.* 9. §. *literis* & Theophilo *ad d. pr.* firmari poteſt.

2. Quam verò nova legiſlatio agnoſcit, ea ita contrahitur: Si quis ſpe futuræ numerationis chirographo dato profeſſus fuerit, accepiſſe ſe pecuniam mutuo, quam non accepit, & intra biennium queſtus non fuerit, poſt biennium obligatur efficaciter *d. tit. Inſt. de lit. oblig. l. in contractibus* 14. *C. de non num. pecun.* Intra biennium vel cautionem condicit, vel pignus vindicat, vel creditori ultrò agenti objicit exceptionem non numeratæ pecuniæ, cogiturq; creditor probare

bare numeratam eſſe, non contra debitor numeratam non eſſe. *l.* 1. *l. ſi quaſi* 7. *l. adſeveratio* 10. *C. eod. l. ult C. de cond. ex leg.*

3. Hic primùm de æquitate juris conſtituti diſputatur: aliis hanc exceptionem penè omninò damnantibus: aliis magis laudantibus Francorum mores, apud quos exceptio hæc perpetua eſt, nec creditori probatio intentionis, ſed debitori probatio exceptionis injungitur. *Argentr. ad conſ. Britan. art.* 280. *Imbert.* 1. *Inſtit. forenſ.* 35. *Boer. ad conſ. Bitur. tit. de juriſd.* § 8. *Rebuf. in proœm. ad conſt. reg. gloſ.* 5. *num.* 59. *Maſuer. tit. de oblig.* §. 7. *Hart. Piſtor.* 4. *quæſt.* 12. *Coſt. in l.* 28. *à fidejuſſore D. de jurej.* Verùm non deeſt, quod utriſque reponi poſſit.

4. Dein de jure conſtituto adverſa factio litem nobis movet, admittens hanc exceptionem etiam poſt biennium, ſi modo debitor probandi onus in ſe ſuſcipiat. *Dd. com. in d. tit. Inſt. de lit. oblig. Gomeſ.* 2. *var. reſol.* 6. *n.* 7. *Argentr. d. art.* 280. *verb. dedans deux ans n.* 2. *Grot.* 3. *manud.* 5. *Rebuf. de chirogr. & S. hed. recogn. art.* 2. *n.* 47. Verùm hæc interpretatio & verbis conſtitutionum, & manifeſtæ ſententiæ repugnat. *Donel. ad l. ſi intra* 8. *C. h. tit. n.* 23. *& ſeqq. Duar. ad eund. tit. cap.* 4. *Zang. part.* 3. *de except. cap.* 14. *n.* 66.

5. Sanè ſunt certi quidam caſus, quibus hæc exceptio etiam poſt biennium audi-

tur. Minoribus enim biennium hoc ipſo jure non currit *l. ult. C. In quib. cauſ. in int. reſt. nec non eſt.* Majores adverſus ejus lapſum ex juſtâ & probabili causâ in integrum reſtitui poſſunt *l.* 1. *D. Quib. ex cauſ. maj.* Reliqui denuntiatione, vel ſi abſit creditor, conteſtatione apud judicem competentem factâ conſulere ſibi poſſunt *d. l. ſi intra d. l. in contractibus* §. *in omni verò tempore C. de non num. pec.*

6. Adjiciunt nonnulli cauſam ſtipulationis: ut, ſi non chirographum dederis, ſed ſtipulanti pecuniam promiſeris, exceptionem non numeratæ pecuniæ ſemper opponere poſſis. *Donel. in d. l. ſi intra num.* 33. *& ſeqq.* confer *Giphan. in l. generaliter* 13. *C. de non num. pecun.* Verùm hæc ſententia facilè refelli poteſt, *per* §. *idemque juris Inſtit. de Except.*

7. Sunt etiam caſus quibus exceptio omninò non auditur, ne quidem intra biennium: ut, ſi tranſactionis cauſa ſtipulanti pecunia promiſſa ſit *l. ſi tranſactionis* 11. *C. eod.* Si fidem cautionis agnoſcens, ſolutionem partis vel uſurarum fecerit *l.* 4. *C. eod.* Si agatur ex inſtrumento depoſitionis certæ rei, certæve pecuniæ *d. l. in contractibus* 14. §. 1. *C. eod.* Si agatur ex cautione apud argentarios facta, *nov.* 136. *cap. ult. Ed. Juſt.* 7.

8. Po-

8. Poſtremum hunc caſum ad conſequentias nonnulli trahunt, ut quoties creditori cautum eſt inſtrumento publico, toties ceſſet exceptio non numeratæ pecuniæ. *Gaphan.in d. l.generaliter in fine.* Alii diſtinguunt, utrum inſtrumentum Notarii, an judicis conſcientiam teneat. Si judicis, ceſſat exceptio: ſin notarii, ita demum ceſſabit, ſi notarius dicat, ſe præſente pecuniam numeratam eſſe. *Zang. d.cap.*14.*n.*45. *Gomeſ.ad leg.Taur.*50.*n.* 52. Sed nec judicis conſcientia hic ſufficit, ſi non conſtituto judicio aſſumta ſit. *Rebuf. art.* 2. *num.* 31. *Arg. d. art.* 280. *verb. apres l'obligation. num.* 2. *Gomeſ. d. cap.* 6. *num.* 3. Prior ſanè ſententia abſque temperamento defendi nequit.

9. Quid ſi inſtrumentum guarentigiatum ſit? Veriſſimum eſt etiam adverſus hoc exceptionem non numeratæ pecuniæ dari. *Coler. d. num.* 243. *Bald. l.* 14. *num.* 15. *C. h. tit.* Sed proviſionem an impediat, dubitatur: Negat *Imbert. d. cap.* 35. *Argentr. d.art.*280. *num.*2. Affirmat *Gomeſ. d. cap.*6. *num.* 3. *Rebuf.d.art.*2.*num.* 36. & 66. *Coler. de proceſ.exec.lib.* 1.*cap.*10. *num.* 243. *Sand.* 1. *deciſ.*8.*def.*3.*Fachin.*2.*contr.*84.*Hartman. Piſtor.d.cap.*12. *n.*7.& 14. quorum ſententia æquior nobis videtur.

10. Quid ſi inſtrumentum jurisjurandi religione munitum ſit? Non idcircò minus excepto

exceptio opponi poterit *l. ult. C. de non num. pec. Bald. in l ult. C. de non num. pec. Azo in ſum. aur. num.* 12. *Hart. Piſtor. d. quæſt.* 12, *num.* 2. *Gomeſ. d. cap.* 6. *n.* 2. *in fin. Fachin.* 2. *contr.* 86. *Rebuf. d. art.* 2. *n.* 23. & 24. *Duar. ad d. tit. cap.* 1. *in fin.* Nec intereſſe putamus, utrum juraverit debitor ſe pecuniam ſoluturum, an ſe accepiſſe: Diſſ. *Donel. in d. l. ult. Tuld. ad d. tit. Cod. n.* 4.

11. Quid ſi teſtamento aut codicillis, aut inventario confeſſus quis ſit, ſibi pecuniam numeratam eſſe? Hoc caſu heredi denegandam exceptionem, non malè communis ſchola cenſuit. *Moller.* 5. *ſemeſtr.* 4. *Zanger. d. cap.* 14. *num.* 39. *Gomeſ. d. cap.* 6. *n.* 5. *Rebuf. d. art.* 2. *num.* 43. & *ſeqq.* Probabiliter & illud, ſi ex intervallo repetita ſit confeſſio, ceſſare exceptionem. *Zanger. d. cap.* 14. *n.* 40. *Schneid. ad tit. Inſt. de lit. oblig. n.* 18. *Argent. d. art.* 280. *verb. apres l'obligation. num.* 2.

12. Quid ſi inter mercatores agatur? Et hoc caſu exceptionem denegandam multi tradiderunt, eo quod bono & æquo, quod in cauſis mercatorum exuberare debet, convenire non videretur *Gloſ. in nov.* 4. *cap.* 3. *Salicet.* & *Caſtr. in l. ſi literas C. mand. Weſ. vol.* 1. *conſil.* 31. *n.* 23. *Arg. d. art.* 280. *verb. celuy. num.* 4. *Coſtal. l.* 28. §. *à fidejuſſore D. de jurej.* Rectiùs contrarium tuentur *Strach. tit. Quom. in cauſ.*

merc.

merc. proced. num. 9. *Marant. de ord. jud. part.* 6. *num.* 35. *Zang. d. cap.* 14. *num.* 54. *Fach.* 2. *contr.* 86.

13. Quid ſi in eodem chirographo etjam renuntiatum ſit huic exceptioni? Verius eſt, non obſtante renuntiatione eam oppoſſi poſſe. Ita poſt Cyn. Bart. Salicet. Caſtr. Angel. ſentiunt *Covar.* 2. *var. reſol.*4. *num.* 3. *Coler. d. cap.* 10. *num.* 228. *& ſeqq. Rebuf. d. art.* 2. *num.* 27. *Zang. d. cap.* 14. *num.* 71. *Radel. deciſ.* 98. *num.* 6. *Gomeſ. ad leg. Taur.* 50. *num.* 52. *Schneid. ad tit. Inſt. de liter. oblig. n.* 19. *Piſt. d. quæſt.* 12. *n.* 4. *Duar. d. cap.* 4. *in fin.* Diſſ. ex parte *Azo in ſum. C. de non num. pec. num.* 8. *Sand.* 3. *deciſ. tit.* 2. *def.* 1. *Zang. d. cap.* 14. *n.* 74.

14. Porrò prodeſt exceptio non numeratæ pecuniæ non ſolùm ei qui chirographum dedit, aut ſtipulanti promiſit, ſed & fidejuſſori ejus, & mandatori *l. tam mandatori* 12. *& l. penult. C. de non num. pec.* & heredi, ſed intra reſiduum tempus *d. l. ſi intra* 8. *C. eod.* Prodeſtque non ſolùm adverſus creditorem, ſed & heredem ejus, & eum cui actionem ex chirographo ceſſit. *Argentr. d. art.* 280. *verb. qui s'oblige n.* 6. *Zang. d. cap.* 14. *num.* 48. *Duar. ad d. tit. Cod. cap.* 2.

15. Emtor ſpe mercium venditori caverat chirographo, debere ſe ex cauſa mercium venditarum C. Si conveniatur ex chirographo,

rographo, an excipere poteſt, merces traditas non eſſe? Omninò. *l.* 5. *&* *l.* 13. *C. de non num. pec. Vide Variè Dd. Donel. & Giphan in d. l.* 13. *Zanger. d. cap.* 14. *num.* 36. *&* 43. *Rebuf. d. art.* 2. *num.* 34. *& ſeqq. Schneid. ad d. tit. Inſt. de lit. oblig. n.* 15. *Gomeſ. d. cap.* 6. *in fin. Argen. d. art.* 280. *verb. le preſt. n.* 2. *Duar. ad tit. C. de non num. pec. cap.* 1.

16. Creditor ſpe futuræ ſolutionis apocham dederat debitori: debitor differt ſolutionem: vel condicere ſecuritatem, vel replicare de pecuniâ non ſolutâ poterit, ſed intra dies triginta *d. l. in contractibus* §. *ſuper cæteris C. d. non num. pec.* Sed adverſus ſecuritatem depoſitionis certæ rei pecuniæve, & ſecuritatem publicarum functionum, querela non datur. *d. l. in contractibus* §. 1.

17. Uxor marito dotem promiſit, non numeravit. Soluto matrimonio dotem repetit. Si matrimonium per biennium conſtiterit, exceptio non ſolutæ dotis intra annum proponi poteſt, à die ſoluti matrimonii computandum. Sin ultra biennium conſtiterit, ad decennium uſque intra tres menſes. Quod ſi ultra decennium conſtiterit, maritusque tanto tempore ſiluerit, poſtea queri volens non auditur *nov.* 101. *cap.* 1. *&* 2.

18. Quemadmodum autem heres debitoris

toris intra reſiuum tem pus queri de non numeratâ pecuniâ poteſt : ita etiam heres creditoris de non ſolutâ. In utrâque verò ſpecie dubitatum, reſiduum tempus ex quo die heredi computetur ? Placentinus exiſtimavit, ex die aditæ hæreditatis, vel agnitæ bonorum poſſeſſionis, *arg. l.* 5. §. *ult. C. de temp. in integr. reſtit.* Quod non ſinè causâ diſplicuit Accurſio *in d. l.* 8. *verb. heres C. de non num. pec. arg. l. ſi prædio* 15. *D. de in diem addict. Zang. d. cap.* 14. *n.* 49.

19. Quemadmodum exceptio non numeratæ pecuniæ denegatur heredi debitoris, ſi debitor teſtamento confeſſus ſit, ſibi pecuniam numeratam eſſe ; ita etiam exceptio non ſolutæ deneganda heredi, ſi creditor teſtamento confeſſus ſit, ſibi ſolutam eſſe. *l.* 1. *& ibid. gloſ. C. de falſ. cauſ. adj. leg. vel fideic. Moller. d. lib.* 5. *ſemeſtr. cap.* 4. *Rebuſ. d. art.* 2. *num.* 45. *Zanger. d cap.* 14. *num.* 20.

20. Quemadmodum exceptio non numeratæ pecuniæ fidejuſſori quoque & mandatori prodeſt : ita contra replicatio non ſolutæ, fidejuſſori quoque & mandatori nocet. Sed ſi fidejuſſor apocha à creditore data, actione mandati agat adverſus debitorem, an debitor excipere poteſt, pecuniam ſolutam non eſſe ? Omninò, etiam poſt diem triceſimum adhibita tamen diſtinctione

ſtinctione *l. idemque* 10. §. *ult. l.* 11. *l.* 12. *pr. junct. l. Julianus* 47. *pr. D. mand.* Vide *Coſtal. in l.* 28. § *à fidejuſſore* D. *de jurej. Zang. d. cap.* 14. *n.* 34. *Pyrrh. Maur. de fidej. part.* 2. *ſect.* 3. *cap.* 2.

21. Poſtremò, ſicut debitor intra biennium querens, probationem numeratæ pecuniæ in creditorem transfert: ita contrariorum ratio poſtulat, ut creditor intra diem tricesſimum quærens, probationem ſolutæ pecuniæ debitori injungat. Et ſicut biennium non currit minori, interrumpitur per denuntiationem, vel conteſtationem: ita de præſcriptione quoque triginta dierum idem neceſſariò exiſtimandum *d. l. in contractibus* §. *in omni verò tempore C. de non num pec. Zang. d. cap.* 14. *n.* 29.

DISPUTATIO DECIMA, QUINTA, DE

Contrahendâ Emtione.

Reſp. GERHARDO EEVERDES, *Embdano.*

1. EX contractibus qui conſenſu perficiuntur, primum ſibi locum vindicat emtio venditio. Ea nihil aliud eſt, quam contractus ex conſenſu, de re certo dato pretio, acquirenda *pr. Inſt. de emt. vend. l.* 1. & *l. pen.* §. *ult.*

§. *ult.D.de contr.emt.l.neceſſariò* 8. *D.d.peric. & com.rei vend.*

2. Conſenſui contrarius eſt, non ſolùm metus, & dolus malus *l. nihil* 116. *D. de R.J.l.& eleganter* 7.*D.de dol.mal.l.*3.§.*ult. D.pro Soc.* verum etiam error. Vitiat autem emtionem error in re vel corpore *l.in venditionibus* 9 *D.de contr.emt.* error in materia *d. l.*9.§.*ult.l.alioquin* 11. *l.cum ab eo* 41 §. *ult. D. eod.* in ſexu *d. l.* 11.§.1. non in qualitate *l.* 10.*d.l.*11.§.1. *D. eod.* multo minus in nomine *d.l.*9.§.1.*junct.l.*4.*D.de leg.*1.§.*ſi quidem in nomine Inſt.eod.*

3. Quid ſi in quantitate & modo erratum ſit: ut ſi fundus venditus ſit jugerum xx. plura autem vel pauciora reperiantur? Placet vulgata diſtinctio,ut ſi ad menſuram, vel numerum venditio facta ſit, ſuppleatur quod alterutri contrahentium deeſt, vel auferatur quod ſupereſt: Sin ſpeciem & corpus ſpectaverint contrahentes, id eorundem lucro damnove ſit. *l. qui fundum* 40. §. *qui agrum D. de contr. emt.l.*4.§.1.*l. Julianus* 13. §.*ſi Titius funduml.ſi duorum* 42. *D. de act. emt. l. qui fundum* 45.*l.qui libertatis* 69.§.*ult. D. de Evict.Rauchb.part.* 1.*quæſt.*21. *Coſtal. & Mornac. in d.* §. *qui agrum Fach.* 2. *contr.* 27. *Neoſtad. deciſ. cur. Holl.* 18. *Coren.deciſ.*19. Confer *Covar.*3. *pract.quæſt. Pinel. part.* 3. *l.* 2. *C. de reſcind. vend. cap.* 2.

4. Pre-

4. Pretium cum exigimus, pecuniam ſolùm numeratam intelligimus, *l.* 1. §. 1. *D. de contr. emt.* etiam numum unum, ſi res numo vilis ſit. *l. ſi quis donationis* 38. *D. eod.* nec reclamat *l. ſi quis ante* 10. §. *ult. D. de adq. vel amit. poſſ.* Numos autem ſuos ſolvere emtor debet, non alienos *l. ex emto* 11. §. *& inprimis D. de act. emt. l. ſi is cui numos* 94. *D. de ſolut. & liber.* Nec tamen alieni ſoluti impediunt, quo minus dominium in emtorem tranſeat *l.* 4. *C. Com. utr. jud. l. ſi ex eâ* 6. *C. de rei vind. l. ex pecuniâ* 12. *C. de jur. dot. l. ad probationem* 21. *C. de probat. l. pen. C. Si quis alt. vel ſib. Cujac.* 5. *obſ.* 29. *Fab.* 6. *conject.* 9.

5. Si convenerit ut pretium ab arbitro definiatur, non ante venditio perficitur, quam arbiter pretium definierit *l. ult. C. de contr. emt.* §. 1. *Inſt. eod. l. ſi merces* 25. *D. locat. cond.* Idem ſi convenerit ut pretium à peritis definiatur, quorum alterum venditor, alterum emtor nominet, ut rectè Pinellus defendit. *ad rubr. C. de reſc. vend. c.* 1. *n.* 6. cui fruſtrà ſe objicit *Fach.* 2. *contr.* 1.

6. Vendi etiam res aliena poteſt *l. rem alienam* 28. *D. de contr. empt.* nec enim dare, ſed tradere tenetur *l. ex emto* 11. §. *& inprimis D. de act. emt.* Et licet dominium rei alienæ non tranſeat in emtorem, pretium tamen ex venditione redactum acquiritur venditori *arg. l. ſi eum ſervum* 23. *D. de*

re b.

reb. cred. Nec adverſatur *l. ſi & rem* 22. *D. de hered. petit. Cuj. tract.* 2. *ad Afric in explic. d. l.* 23. Confer *Coſtal. in l. Julianus* 17. *D de rei vind. Argentr. ad conſuet. Brit. art.* 185. *gl.* 3. *n.* 3. & 4.

7. Si hereditas vendatur, multi venditionem abſque inventario factam valerê negant. Vide *Molin. de divid. & indiv. oblig. in præf. num.* 87. *Arg. art.* 477. *gloſ.* 4. *n.* 4. *Weſ. conſil.* 52. *n.* 73. *Monta. de tutel. cap.* 38. *n.* 141. Malè nam nec uſpiam id legitur, nec obſcurè contrarium ex *l. qui filiifam.* 14. §. 1. & *l. ſeq. D. de hered. vel act. vend.* colligi poteſt.

8. Ad emtorem hereditatis omne lucrum & damnum pertinet *l.* 2. *pr.* & §. *ſicuti* 9. *D. eod.* Etiam jus adcreſcendi? Etiam, *arg. l. ſi Titio* 33. §. 1. *D. de uſufr. l. ſi totam* 83. *D. de adq. vel amit. her. l. ex facto* 43. §. *Julius D. de vul. & pupil. ſubſt. Duar.* 2. *de jur. adcreſc. cap.* 6. *Robert.* 3. *animad.* 12. *Alciat. in l. re conjuncti* 89. *D. de leg.* 3. Diſſ. *Cujac.* 12. *obſerv.* 13. *Gomeſ.* 1. *var. reſ.* 10. *n.* 44. *Fach.* 10. *contr* 3. & 69.

9. Non ſemper emtio venditio perficitur ſolo conſenſu: nam ſi res vendantur ad numerum, pondus, vel menſuram, non ante perficitur contractus, quam adnumeraverit venditor, appenderit, admenſus ſit. *l. quod ſæpè* 35. §. *in his quæ pondere D. de contr. emt.* Et ſi contrahentes dixerint, velle ſe in ſcri-

ptis

ptis contrahere. non niſi perfecto inſtrumento contractus perfectus intelligitur. *pr. Inſtit. eod. l. contractus* 17. *C. de fid. inſtrum.*

10. Ab imperfectâ emtione recedere impunè licet, niſi jam arrharum nomine aliquid datum ſit. *d. pr. d. l. contractus.* A perfectâ emtione recedere non licet, ſed emtor numos dare, venditor rem tradere debet *d. l. ex empto* §. *& inprimis &* §. *idem ait D. de act. emt.* Lapſus eſt ergò graviter Zazius, 2. *ſing. reſp.* 24. cumque temerè ſecuti Mynſ. & Schneid. *in d. pr.* dum putant etiam à perfectâ emtione ſub diſpendio arrharum recedi poſſe. Nec minus illi labuntur, qui ſcribunt, emtione imperfectâ, præter ſuperiorem pœnam etiam in id quod intereſt agi poſſe.

11. Tritiſſima eſt quæſtio, utrum venditor præcisè tradere teneatur, an liberetur præſtando id quod intereſt? Si leges ſpectes, veriſſimum eſt, eum non cogi præcisè tradere, etiamſi habeat tradendi facultatem. *l.* 4. *C. de act. emt. l.* 1. *pr. l. ex emto* 11. §. *idem ait l. ſi jactum* 12. *D. eod. d. l. contractus C. de fid. inſtrum. l. voluntate* 10. *D. Quib. mod. pig. vel hyp. ſolv. junct. l ſtipulationes non div.* 72. *D. de V. O. l. ſi quis ab alio* 13. §. 1. *D. de re jud. Donel. in d. l.* 72. *Covar.* 2. *var. reſol.* 19. *n.* 1. *Fab. de err. pragm. dec.* 85. *err.* 4. *Vaud.* 1. *quæſt.* 9. *Godd. de contr. ſtipul. cap.* 9. *concl.* 4. *n.* 65.

12. Cæ-

12. Cæterùm non ſolùm rem tradere tenetur, verum etiam acceſſiones ejus. Sic ædibus venditis illa quoque debentur, quæ propter ædes perpetui uſus cauſa habentur *l.* 13. §. *ult. l. fundi* 17. §. *Labeo D. de act. emt.* fundo vendito debetur, quicquid terrâ ſe tenet *d. l.* 13. §. *ſi fructibus d. l.* 17. *pr. D. de act. emt. l. qui fundum* 40. §. 3. & 4. *D. de contr. emt.* non ruta & cæſa. *d. l.* 17. §. *ſi ruta l. in vendend* 66. §. *ult. D. de contr. emt.* An dolia & torcularia? Negat *d. l.* 17. *pr.* Nec adverſatur *l. dolia* 76. *D. de contr. emt. Cujac. in l. vinaria vaſa* 206. *D. de V. S. Mornac. in d. l.* 76.

13. An vino vendito vaſa emtorem ſequantur, dubitatum. Negat Accurſius *in l. in teſtamentis* 12. *D. de R. J. Coſtal in l. ædiles* 38 *D. de ædil. ed.* exiſtimantes differre hâc parte legatum vini à venditione. Rectius Cujacius *in d. l. vinaria*, etiam ea vaſa deberi decet, in quibus diffundi vina ſolent. *arg. d. l.* 17. *pr. D. de act. emt. l.* 6. *junct. l. pen. D. de trit. vin. ol. legat.*

14. Taberna vendita merces venditæ non intelliguntur *Coſtal. in l. qui tabernas* 32. *D. de contr. emt. arg. l. tabernæ* 13. *D. de inſtr. vel inſtr. legat.* Arce tamen vendita, tormenta & machinæ tuendæ arci paratæ debentur. *Mornac. in l.* 13. §. *ult. D. de act. emt.* Et vivario vendito animalia quoque debentur *Grot.* 3. *manud.* 14. quod tamen reſtringen-

ſtringendum ad ea, quæ propagationis gratia vivario includuntur. *Arg. ad conſ. Brit. art. 76. gl. 10.*

15. Perfectâ venditione periculum ſtatim ad emtorem pertinet, etiamſi res nec dum tradita ſit. §. *cum autem Inſt. de emt. vend. l. ſi in emtione* 34. §. *penult. D. eod. l.* 7. 8. 16. *de peric. & com. rei vend. l.* 1. 4. 5. 6. *C. eod. l.* 5. §. *mortuo D. de reſcind. vend.* Solus Africanus diſſentit in *l. ſi fundus* 33. *D. locat.* quem fruſtra cum reliquis conciliare conati ſunt, qui diſtinguunt, utrum fundus publicatus fuerit culpâ venditoris, an ſine culpâ. Vide *Hotoman. in epit. Pac.* 5. *ant.* 8. Aliter *Cujac. ad Afric. tract.* 8. Aliter *Accurſ. in d. l.* 33. *& Fab.* 2. *conject.* 4.

16. Ut autem periculum ad emtorem pertinet, ita & commodum *l. ſecundum naturam* 10. *D. de reg. jur. d.* §. *cum autem l.* 1. *C. de per. & com. rei vend. l.* 7. *D. eod.* Cum ergò fructus commoda rei venditæ ſint, non dubitabimus eos emtori adjudicare à die perfecti contractus *l. Julianus* 13. §. *ſi fructibus &* §. *item ſiquid* 13. *D. de act. emt. l. fructus* 13. *& l. pen. C. eod. l. qui fundum* 40. §. 3. *&* 4. *de contrah. emt. Donel. in d. l.* 13. *Weſ. in parat. D. de act. emt. n.* 4. *&* 7. Nec turbat nos ſententia Pauli 2. *ſent.* 17. § *ex die emtionis.*

17. Si res in diem addicta ſit, ſiquidem

purè

purè, periculum ſtatim emtoris eſt: ſin ſub conditione, venditoris: *l.* 2. §. 1. *l.* 3. *l.* 4. *D. de in diem addict.* Tamen adjectione admiſsâ fructus venditori reſtitui debent, *d. l.* 4. §. 4. *l.* 6. *pr. D. eod. l. ult. D. de jur. fiſc.* Quod ſi lege commiſſoriâ res vendita ſit, venditio purè contracta intelligitur, ideò & periculum emtoris eſt, & dominium, & fructus *l.* 1. *l.* 2. *l.* 4. *pr.* & §. 1. *l.* 5. *D. de leg. commiſ. l.* 3. *C. de pact. int. emt. & vend.* Si tamen legi non pareat emtor, rem cum fructibus medio tempore perceptis reſtituere debet *d. l.* 5. *D. de leg. commiſ.*

18. Si re in diem addicta, alius adjecerit, ſeu meliorem conditionem attulerit, venditi actio venditori adverſus victum datur *l.* 4. §. 4. *l.* 6. & *l. ult. D. de in diem addict.* An & vindicatio? Ita videtur: nam & ſi legi commiſſoriæ non paruerit emtor, non ſolum in perſonam actio, ſed & vindicatio competere poteſt. *arg. l.* 4. *C. de pact. int. emt. & vend.* Nec adverſatur *l.* 3. *eod. tit.* Vide *Duar. ad tit. de leg. commiſ. cap.* 2. *Donel. in l.* 1. *de pact. int. emt. & vend.*

19. Dominium in emtorem non tranſit, niſi pretium ſolverit, aut aliter ſatisfecerit, aut fides ei habita ſit de pretio §. *vendita Inſt. de rer. diviſ. l* 5. § *ſed ſi dedi* 18. *D. de tribut. act.* Unde quæſitum, an qui ſimpli-

citer tradidit, eo ipſo fidem habuiſſe de pretio videatur? Verius eſt, in dubio venditionem præſenti pretio factam cenſeri. *arg. d.§. venditæ Fab. ibid. Gail. 2. obſ. 15. num. 6. Fab. de Mont. tract. de emt. quæſt. princ. 5. num. 37. Möller. 4. ſemeſtr. 28. num. 5. Berlich. part. 1. concl. 66. num. 46.* Diſſ. *com. Dd. in d. §. venditæ Coſtal. in l. 19. D. de contr. emt. Sich. in l. 30. num. 11. C de jur. dot. Tiraquel. de retr. conv. in fin. num. 77. Menoch. 3. præſumt. 79.*

20. Si duobus eadem res ſeparatim vendita ſit, quæritur uter potior ſit, qui ante contraxit, an cui priori tradita eſt? Is potior cui priori tradita eſt, ſive ab eodem domino, ſive ab eodem non domino vendita ſit. *l. quotiens 15. C. de rei vind. l. ſive autem 9. §. ſi duobus D. de Public. in rem act.* Nec adverſatur *l. ſi ea res 31. §. ult. D. de act. emt. l. nemo 126. §. ult. D. de reg. jur. Cujac. in l. quoties 98. D. eod. Coſtal. & alii in d. §. ſi duobus.*

DISPUTATIO DECIMA SEXTA, DE

Reſcindenda Venditione.

Reſp. WICHMANNO WARNERS, *Ieverâ-Friſio.*

I. RESCINDITUR venditio multis de cauſis: ſed præcipuè vel ex edicto Ædilium, vel ex *l.* 2 *C.de reſc.vend.* Ex edicto Ædilium, ſi aut morbum vitiumve rei reticuerit venditor, aut adeſſe dixerit, quod abeſt, aut Æditiis ſtipulationibus nolit cavere emtori *l.* 1. §. 1. *& ſeqq.l.*2 5. §.*penult.l.ædiles* 38. *pr.D. de ædil. ed. l. ex emto* 11.§.*animalium D. de a. e. l.ſi ita quis* 31. *de Evict.*

2. Morbum intelligimus corporis magis quàm animi; tamen & animi, ſi propter eum rem habere non liceat: ut ſi ſervus fur, fatuus, fugitivus, erro ſit: ſi jumenta pavida *l.* 1. §.*pen.l.*4.§.1.*& ſeqq. l. bovem* 43. *D.de ædil. ed.* Quid ſi ſervus veterator ſit? Et hic redhiberi poteſt: nec rectè pugnam agnovit Budæus inter *l. præcipiunt* 37. *& l. ult. D. eod. Cujac.* 8. *obſ.*9.

3. Quid ſi mutus ſit ſervus, an redhiberi poteſt? Affirmat Ulpianus in *l. mutum* 9. *D. eod.* Negat Gajus in *l.* 3. *D.eod.* Nullum hic agnoſcimus diſſidium, tametſi ratio componendi difficilis eſſe videatur. Vide *Accurſ. in d. l.* 3. *verb. muti. Gothofr.*

 ibid.

ibid. Cujac. in l. morbus 113. *D. de V. S. in fin.*

4. Dantur ex edicto ædilitio actiones duæ, Redhibitoria & Quanto minoris. Illa vel intra ſex menſes utiles, vel intra duos: hæc intra annum. Illa ad reſolvendum emtionem in totum redhibitâ re, refuſoque pretio: hæc ad reſolvendum pro parte, nempe, quanto minoris res eſt propter morbum vitiumve, *l.* 1. 21. *l.* 23. §. 1. *l.* 27. 28. 29. 38. 55. 60. & 61. *D. h. tit.* Quod ſi plures res venditæ ſint, de ſingulis ſeparatim agitur, ſi non univerſæ uno pretio venierint *l.* 34. & *ſeqq. l.* 38. §. *ult. l.* 64. §. 1. *D. h. tit.*

5. Ex *l.* 2. *C. de reſc. vend.* reſcinditur venditio ob enormem læſionem. Enormiter autem læſus dicitur venditor, cum nec dimidiam partem veri pretii habet. *d. l.* 2. & 8. *h. tit.* emtor verò, cum res emta non æquat dimidiam partem pretii ſoluti. *Molin. tract. commerc. quæſt.* 14. *n.* 174. & *ſeqq. Duar. ad d. l.* 36 *D. de V. O. Mynſ.* 4. *obſ.* 73. *Fach.* 2. *contr.* 16. Diſſ. *Rebuff. tract. de reſcis. contr. glos.* 15. *n.* 1. In ineundâ autem æſtimatione tempus & locum contractus ſpectamus. *d. l.* 8. *Donel. d. l.* 2. *num.* 2. *Everh. conſ.* 78 *num.* 13. & *conſ.* 139. *num.* 7. *Coſtal. l.* 11 §. *ſciendum D. de minor. Coler. deciſ.* 225 *Sand.* 3. *deciſ.* 4. *tit. def.* 16. *Rebuf. de reſcis contr. gl.* 15. *n.* 46.

6. Habet locum hoc beneficium non ſo-

lum

lum in re immobili, ſed & mobili. *Imbert.* 1. *Inſt. for.* 34. *Coſtal. l.* 1. *D. de minor. Arg. ad conſ. Brit. art.* 282. *verb. pour deception d'outre moitié. Gipb. ad d. l.* 2. *pag.* 306. Et licet nonnulli ex Dd. hoc reſtringant ad res mobiles pretioſas; verius tamen eſt, ad utraſque pertinere. Diſſ. *Rebuf. d. gl.* 15. *n.* 34. 36. Sane venditis fructibus futuris, uſufructu, alea, & ſimilibus rebus, hoc beneficium ceſſat. *Mornac. in l.* 4. *D. de uſufr. Fab. ad tit. C. de reſc. vend. def.* 6. *Sand. d. def.* 16. *Rebuf. d. gl.* 47. Hereditatem vero aleæ non recte comparat *Papon.* 16. *tit.* 3. *art.* 18. *Sand. d. tit.* 4. *def.* 15. Confer *Rebuf. n.* 48. *Mayn.* 3. *deciſ.* 63.

7. Datur beneficium læſo: non læditur autem qui ſciens rem majoris pretii minimo projicit *l.* 1. §. *uſque adeò D. de injur. l. quod quis culpa* 203. *D. de R. I. l. quæritur.* 14. §. *ſi venditor, D. de ædil. ed. Bartol. in d. l.* 2. *n.* 14. *Bald. n.* 7. *Caſtr. n.* 7. *Boer. deciſ.* 142. *n.* 3. *Tiraq. tr.* 1. *de retract.* §. 1. *gloſ.* 18. *n.* 14. Diſſ. *Covarr.* 2. *var. reſol.* 4. *n.* 2. *Pinel. ad l.* 2. *part.* 1. *cap.* 2. *n.* 11. *Donel. in ead. l. n.* 10. *Sarmient.* 1. *ſelect. interpr.* 11. *n.* 6.

8. Itaque ſi quis in auctione ſtudio vincendi inſaniat, non poterit ei ex hac lege ſuccurri: quod ſi imprudens captus ſit, ſuccurrendum eſt *arg. l. ſi quos debitorum* 16. *C. de reſc. vend. l.* 2. *C. de fid. & jur. haſt. fiſc. l.* 2. *C. Si propt. publ. penſit. Rebuf. ad conſt. reg.*

 tract.

tract. de reſcis. contr. gl. 15. *n.* 38. *Pinel.part.* 2. *n.* 21. *& ſeqq. Vaſq.* 6. *contr.* 61. *n.* 1. 2. *&* 3. *Fab. ad h. tit. def.* 4. *Sande d. tit.* 4. *defin.* 12. *Fach.* 2. *cont.* 21. Diſſ. *poſt gloſ. Bart. & Bald. Angel. idem Faber. dec.* 10. *de error. pragmat. err.* 9.

9. His conſequens eſt, in donatione non habere locum hoc remedium. *Donel. h. n.* 62. *Giphan. pag.* 313. *Conn.* 7. *com.* 9. *n.* 11. Quid ſi venditio facta ſit cum pacto donationis: *Quanto majoris eſt, tibi dono*? Etiam hoc caſu remedium ceſſat. *Facit l. damus* 52. *l. in ſumma* 65. §. *id quoque D. de cond. indeb. l. ſatisfactio.* 52. *D. de ſolut. & lib. Donel. d. loc. n.* 21. *Ferret. in l.* 36. *de V. O.* Diſſ. *Con. d. cap.* 9. *Coſtal. l.* 38. *D. de contr. emt. Pinel. part.* 1. *cap.* 2. *n.* 20. *Sarm. d. cap.* 11. *n.* 4. *& lib.* 7. *cap.* 12. *Fach.* 2. *contr.* 19. *Rebuf. d. gl.* 15. *n.* 20. *Mayn.* 3. *dec.* 60.

10. Habet cæteroqui locum, non ſolum in emtione, ſed & in locatione *l.* 2. *D. locat. Don. h. n.* 55. *Pinel. p.* 1. *c.* 3. *n.* 17. *& ſeqq. Rebuf. de reſciſ. contr. gloſ.* 15. *n.* 5. Diſſ. *Fab. dec.* 8. *err.* 8. in permutatione *l.* 2. *D. de rer. permut. l.* 1. *D. eod. l.* 1. *D. de contr. emt. Donel. n.* 58. *Pinel. d. c.* 3. *n.* 13. Diſſ. *Mayn.* 3. *dec.* 59. *Fab dec.* 8. *err.* 9. in datione in ſolutum *l. ſi prædium C. de Evict. Pinel. p.* 1 *c.* 4. *n.* 8. in diviſione bonorum, *arg l. cum pater* 77. §. *hereditatem* 18. *D. de leg.* 2. *l.* 1. *&* 3. *C. Comm. utr. jud.*

*jud. Donel.n.*59.*Rebuf.n.*26.27. Si tamen diviſio forte facta ſit, ceſſat hoc remedium, *Pinel. pag.* 2. *cap.* 1.*n.*6. *Fab. dec.* 8. *err.* 2. *Gomeſ.* 2. *reſol.* 14.*n.* 4. *Gipk. pag.* 312.

11. An in dote? In dote non videtur neceſſarium hoc remedium,cum & olim quod inæqualiter factum erat corrigeretur, etſi enormis læſio non eſſet *l.jure ſuccurſum* 6.§. *ult.l.ſi res æſtimata* 12.§. 1 *D.de jur.dot. Pinel. part.* 1.*c.* 1.*n.*10. *& ſeqq. Fach.* 2. *contr.* 29. *Gomes.l.Taur.* 50.*n.*44. Confer *Sainſo.* 24. §. 3. Ubi memorat arreſto fratri denegatam reſtitutionem, qui in dotanda ſorore enormiter læſus erat. Quid ſi mulier pactis dotalibus læſam ſe dicat, ultra duplum ejus, quod ſtatuto conſequi poterat? Non habet hujus legis beneficium *Moller.* 1.*ſemeſtr.*13. *n.*10.

12. In contractibus ſtricti juris non habet locum hæc conſtitutio; nihil enim cum emtione venditione commune habent. Nominatim ceſſat hæc conſtitutio in contractu do ut facias: veluti; Do tibi fundum, ut præſtes mihi annua X. Etiamſi annua XXV. ex fundo redigantur, non tamen ad reſcindendam conventionem agi poteſt. *Sand. d. tit.*4.*def.* 17. Diſſ. *com. Dd. eoſque ſecutus Pinel part.* 1.*l.* 2.*cap* 3.*n.* 5. *& ſeqq. Rebuf. d.gl.* 15.*n.*7.*&* 8.

13. Eâdem ratione recte defenditur,in traſ-

factione non eſſe locum huic conſtitutioni. *l. Lucius* 78. *§. ult. D. ad SC. Trebell. l. in ſumma* 65. *§.* 1. *D. de cond. indeb* *Afflict. deciſ.* 220 *Everh. conſ.* 241. *n.* 12. *Conn. d. c.* 9. *in fin. Donel. h. n.* 61. *Mornac. in l.* 7. *&* 9. *D. de tranſact. Gail.* 2. *obſ.* 70. Diſſ. *Rebuf. d. tr. de reſcis. contr. gl.* 15. *n.* 18. *Coſtal. d. l.* 65. *D. de cond. in deb. Pinel. d. part.* 1. *cap.* 4. *n.* 12. *& ſeqq. Fach.* 2. *contr.* 26. *VVeſ. par. de tranſact. n. ult.*

14. Illud penè extra contentionis aleam collocandum cenſemus, ſuccurri per hanc conſtitutionem non minus emtori atque venditori. Imò tanto magis, quanto facilius emtor quam venditor capi poteſt. *arg. l. in omnibus* 68. *D. de R. I. l.* 1. *D. de contr. emt. l.* 1. *§. cauſa, D. de ædil. ed. Donel. h. n.* 48. *Pinel. part.* 1. *c.* 2. *in pr. Duar. d. l.* 36. *de V. O. Covar.* 2. *reſol.* 3. *Sand. d. tit.* 4. *def.* 13. Inceptæ autem ſunt rationes, quibus moti Cujac. 16. *obſ.* 18. *&* 23. *obſ.* 32. Fab. *dec.* 8. *err.* 7. *Mayn dec. Thol.* 3. *dec.* 58. ferè & *Chopp.* 1. *de mor. Pariſ.* 3. *n.* 21. in controverſiam id deducere ſunt conati.

15. Cũ venditor ex hac conſtitutione agit, aut rem reſtituere debet emtor recepto pretio, aut ſi maluerit, ſupplere quod juſto pretio deeſt. Non ergo ſufficit offerre dimidium juſti pretii. *Mayn.* 3. *dec.* 64. Inde quæritur, utrumque ne ſit in obligatione alternative, an alterum duntaxat? Verius eſt,

reſ-

reſciſſionem principaliter in obligatione verti, facultatem vero ſupplendi quod juſto pretio deeſt, emtori lege dari, *arg. l.* 2. *l.* 8. *C. h. tit. l. miles* 6. §. 1. *D. de re jud. l* 12. §. 1. *verſ. Marcellus D. de jur. dot. Don. n.* 40 *Giph. p.* 318. *Molin.* §. 33. *n.* 42. *Gomeſ.* 2. *reſol.* 2. *n.* 22. *Covar.* 2. *reſol.* 4. *n.* 14. Diſſ. *Coſtal. l.* 42. *D. de noxal. act. Gail.* 1. *obſ.* 62. *n.* 9. Aliter *Pinel. part.* 3. *c.* 3. *n.* 7. *quæſtionem hanc inutilem judicans.*

16. Si rem reſtituat emtor, an fructus quoq; interim perceptos reſtituere debet? Debet: ita tamen, ut compenſentur cum uſuris pretii, ſuperflui reſtituantur *arg. l. emtor.* 65. *D. de rei vind. l. cum autem* 23. §. *cum redhibetur l.* 31. §. *pen. D. de ædil. ed. l.* 4. §. 4. *l.* 6. *pr. l. ult. D. de in diem addict. l* 4. §. 1. *l.* 5. *D. de leg. commiſ. l. quod ſi minor* 24. §. *reſtitutio l. patri* 27. §. 1. *D. de minor. l. ſi prædium* 16. *C. de præd. min. Covar.* 1. *reſol.* 3. *n.* 9. *Giph. h. pag.* 315. Diſſ. *Gomeſ.* 2. *reſol.* 2. *n* 24. *& c.* 4. *n.* 21. *Parlad.* 2. *rer. cotid. ult. part.* 5. §. 16. *n.* 12. *Pinel. part.* 2. *cap.* 4. *Fach.* 2. *contr.* 24. *Mynſ.* 4. *obſ.* 73. *n.* 8. *Sand. d. tit.* 4. *def.* 12.

17. Quod ſi ſumtu ſuo rem meliorem fecerit, etiam ſumtuum habenda eſt ratio: in quibus æſtimandis aliâs præſens tempus reſpicimus, alias id tempus quo impenſa facta eſt. *arg. l. in fundo* 38. *l. ſumtus* 48. *D. de R. V. l. domos* 58. *D. de leg* 1. *l. Paulus* 29. §. *domus* 2. *D. de pign. & hypoth.* Vide *Coſtal.*

in d. l. 38. *Pinel. part.* 2. *cap.* 3. *n.* 1. *Fach.* 2. *contr.* 20. *Sand.* 3. *tit* 15. *def.* 4. Et contra, ſi culpâ ſuâ rem deteriorem reddiderit, etiam damni habenda ratio. *Donell. h. n.* 14.

18. Quid ſi emtor interim alii rem pignori dederit, an extinguitur pignus re redhibita? Extinguitur *arg. l.* 4. §. 3. *D. de in diem addict. l.* 3. *D. Quib. mod. pign. ſolv. l.* 1. §. *ult. l. lex vectigali* 31. *D. de pign. & hyp. Pinel. d. cap.* 3. *n.* 11. *Molin. de feud.* §. 33. *gl.* 1. *verb. droict. de relief n.* 45. *Fach.* 2. *contr.* 23. *Rebuf. de reſciſ. contr. gl.* 15. *n.* 2. & 29. *Myn.* 3. *dec.* 69. *Neguſ. de pign. part.* 5. *membr.* 1. *n.* 43. Diſſ. *Coraſ. in l.* 3. *D. de ſervit. & l.* 4. *D. de in diem addict. Boer. deciſ.* 181. *n.* 10. *Cuj.* 1. *reſp. Scæv. in d. l.* 31. *Fab. dec.* 23. *err.* 2. ubi refutat Pinellum.

19. Quid ſi emtor rem alienaverit, an venditor adverſus tertium poſſeſſorem agere poteſt? Nullo modo: non enim vindicationem, ſed actionem in perſonam habet. *l. actionum genera* 25. *D. de O. & A. l. ult.* §. *ult. D. de contr. emt. l.* 1. §. *heres D. ad SC. Trebel. auth. hoc ſi debitor C. de pign. & hyp. Pinel. part.* 2. *cap.* 1. *n.* 29. *Gomeſ.* 2. *reſol.* 2. *n.* 22. *Fach.* 2. *contr.* 18. Diſſ. *Covar.* 2. *var. reſol.* 3. *n.* 10.

20. Ad actionem, quod attinet non nova aliqua ex hac conſtitutione naſcitur, ſed actione emti, venditi, locati, con-

ducti

ducti &c. intra annos triginta agitur. Ita rectè *poſt gloſ. & Dd. com.* Donel. *h. n.* 44. *& ſeqq. Giph. pag.* 315. *Fach.* 12. *contr.* 31. Diſſ. Græci, reſtitutionem in integrum concedentes *Harmenop.* 3. *part. promt.* 3. *Euſtath. de tempor. cap. de quadr.* Aliter Pinel. *part.* 2. *cap.* 1. *n.* 26. exiſtimans condictione ex lege agendum.

21. An renuntiare contrahentes huic beneficio poſſunt? Quid ni? id enim evincit regula juris *l. pen. C. de pact.* Sed an generalis renuntiatio ſufficit? Affirmat Donel. *h. n.* 6. Giph. *pag.* 310. Rectius gloſſographi & interpretes communiter exigunt renuntiationem ſpecialem *arg. l. quæritur* 14. *§. ſi venditor D. de ædil. ed. l.* 4. *§. quæſitum D. Si quis caut. in jud. l. ult. §. item quæſitum D. de cond. indeb. Covar.* 2. *reſol.* 4. *Fach.* 2. *contr.* 20. Alii aliter. Vide *MozZ. tract. de empt. vend. cap. Quib. caſ. annul. emt. n.* 20. Senatus Pariſienſis ne ſpecialem quidem probat. *Rebuf. de reſciſ. contr. gl.* 15. *n.* 21.

DISPUTATIO DECIMA SEPTIMA,

DE

Pactis inter emtorem & venditorem.

Reſp. HENRICO de HEUSCH *Rheno-Traject.*

1. SI res in diem addicta ſit, melior intelligitur conditio quam venditor comprobavit, cui licuit non addicere *l. ſi venditor* 14 *§. ſed ſi neuter D. de in diem addict.* Non adverſatur huic reſponſo alia ejuſdem capitis ſententia, quâ dicitur; ſi poſterior emtor meliorem conditionem non adferat, perinde hoc habendum, ac ſi non exiſteret *l.* 4. *§. cum igitur D. eod.*

2. Si prior emtor à poſteriore victus ſit licitatione, nullam habet alter adverſus alterum actionem: nec enim inter ipſos quicquam contractum eſt. *l. ult. D. h. tit.* Venditor ergò in perſonam aget prioris emtoris, ut rem cum fructibus perceptis reſtituat *d. l.* 4. *§. idem Iulianus l.* 6. *D. h. tit. l. ult. D. de jur. fiſc.* An etiam in rem agere poterit? Hoc quoque affirmari poſſet, non tamen abſque diſtinctione.

3. Lex commiſſoria nihil eſt aliud quam pactio emtionis, quâ id agitur, ut ſi intra diem

diem pretium ſolutum non ſit, & venditor rem veniſſe nolit, res ſit inemta, *l. 2. & ſeqq. D. de leg. commiſ.* Satis ergò ridiculi ſunt, qui ita loquuntur: *Pactum legis commiſſoriæ.* Eadem pactio in emtionibus quidem æquiſſima eſt: in pignoribus verò propter iniquitatem meritò prohibita *l. ult. Cod. de pact. pignor.*

4. Si emtor legi commiſſoriæ non paruerit, venditori venditi actio competit *l. 4. pr. D. de leg. commiſ. l. 6. §. 1. D. de contr. emt.* An & vindicatio rei? Negat. *l. 3. C. de pact. int. emt. & vend.* Affirmare videtur *l. 4. C. eod.* Nullam hic pugnam agnoſcimus. Vide *Duar. ad tit. D. de leg. commiſ. cap. de effect. Donel. l. 1. C. de pact. int. emt. & vendit.*

5. Venditor prædii pactus eſt, ne id emtor ſe invito alienet: an valet pactio? Valet *l. ult. C. de pact. int. emt. & vend. l. 3. C. de cond. ob cauſ. dat. l. ult. in fin. C. de reb. alien. non alien.* Nec obeſt *l. pen. D. de pact. Hotom. 9. obſ. 5. Baro in d. l. pen. Cujac. in l. ante pen. D. de pact. Meril. in d. l. ult. Sand. de prohib. rer. alien. part. 4. cap. 2. n. 13.* Aliter *Donel. in d. l. ult. n. 4.* Aliter *Coſtal. in d. l. pen.* Aliter *Pac. 2. antin. 11.*

6. Quid ſi fide rupta alienaverit prædium emtor, an tranſit dominium in accipientem? Videtur tranſire, quia condictio venditori datur. *l. 10. & 14. C. de reſc. vend. l. 3. C. de cond. ob cauſ. dat. l. traditionibus 20. C. de pact.*

l. ſi ita 135. §. *pen. D. de V. O. ubi Duar. in com. Coſtal. in d. l. pen. Cuj. Don. Giph. Pac. in d. l.* 3. *Moller.* 5. *ſem.* 7.0. Diff. *Fab. decad.* 87. *deerr. pragm. err.* 5.6.7. *Merend.* 1. *contr.* 31. *Sand. d. cap.* 2. *n.* 18. Diſt. *Everh. conſil.* 50. *n.* 11. *&* *conſil.* 238. *n.* 8.

7. Venditor ſervi pactus eſt, ut is ſervus exportetur: an valet conventio. Affirmat Papinianus in *l.* 6. §. 1. *D. ſerv. export.* Negat idem *l.* 6. *D. eod.* Nulla hic antinomia, cum manifeſtum ſit Papinianum ſententiam ſuam ingenuè retractaſſe. Ita rectiſſimè Cujacius 2 *obſ.* 37 Ineptiſſimè Gothofredus *in not. ad d. l.* 6. Læſtrigonum & Cyclopum gentem aucturos, qui ita ſenſerint.

8. Venditor promiſit, ſe mercem aliquam certo pretio ſingulis annis traditurum: oborta caritate an eodem pretio tradere tenetur? Non tenetur, ſi tanta fuerit caritas, ut veriſimiliter de ea non cogitaverit *l. non eſt ferendus* 12. *D. de tranſact. l. emtor.* 47. § 1. *D. de pact. l. ſi ſervos* 25. *D. de pign. act. l. ſemper* 9. *D. de R. J. l. quicquid* 99. *D. de V. O. cum ſimil.* Vide *Everh. conſil.* 235.

Juſta eſt conventio, qua id agitur, ut ſi quandoque vel intra certum tempus venditor emtori pretium obtulerit, res reſtituatur. *l.* 2. *C. de pact. int. emt. & vend.* Sed ſi emtor promittat, nulli ſe alii niſi venditori venditurum, non intelligitur ſe obligaſſe ad re-

revendendum, quandocunque venditor poſtulaverit *l. qui fundum 75. D. de contrah. emt. l. ſi ſterilis 21. §. pen. D. de act. emt. Bartol. in l. actione C. de tranſact. & in l. ſi eum §. injuriarum D. de injur. Sand. 3. deciſ. tit. 4. def.* 4. Diſſ. *Gloſ. in d. §. injuriarum. Zoan. in d. l. 2. n.* 101.

10. Ex pacto de revendendo non ſolum venditor ipſe agere poteſt, ſed etiam heres ejus, etiamſi heredis nominatim mentio facta non ſit. *l. juriſgentium 7. §. pactorum l. tale pactum 41. D. de pact. l. ſi pactum 9. D. de probat. l. ſi quis 57. l. qui Romæ 122. §. Agerius D. de V. O. Hotom. 6. obſ. 14. in fin. Zoan. in d. l. 2. n. 6. Tiraq. de retract. conv. §. 1. gloſ. 6. Berlich. part. 2. concl. 2. n. 23. Hart. Piſt. obſ.* 154. Diſſ. *Donel. in d. l 2. n.* 12.

11. An ſucceſſor ſingularis? Poteſt, ſi actio ei cedatur: abſque ceſſione ne legatarius quidem ad revendendum agere poteſt. *arg. l. ſi tibi. 17. §. pactum conventum D. de pact. l. privilegia 196. D. de R. J. l. ſervum 44. §. ſed etſi nomen D. de leg. 1. l. ex pluribus 42. D. de admin. tut. l. per diverſas 22. C. mand. Zoan. in d l. 2. n. 7. & ſeqq. Chaſſan. ad conſuetud. Burgund. rubr. 5. des rentes §. 1. n. 39. Molin. ad conſ. Pariſ. rubr. 1. §. 20. n 20. Berlich. d. concl. 2. n 27. Fach. 2. contr.* 11. Diſſ. *Angel. in l. ad officium C. Com. divid. Piſt. d. obſ.* 154. *n.* 14. & 15.

12. Duo vendiderunt lege reemendi: altero quie-

quieſcente, alter in ſolidum agere poteſt oblato pretio: pro parte verò retrahere non poteſt. *l. quod ſi uno* 13. *D. de in diem. addict. l. quod ſi nolit.* 31. §. *ſi plures D. de ædil. ed. junct. l. fundus* 64. *l. fiſtulas* 78. §. *qui fundum D. de contr. emt. l.* 1. §. *ſi pecunia D. depoſ. l. heredes* 25. §. *idem obſervatur D. famil. erciſc. Tiraq. d.* §. 1. *gloſ.* 6. *n.* 37. *Cagnol. in d. l.* 2. *n.* 103. *Alciat. in l. ſtipulationes non dividuntur* 72. *D. de V. O. n* 65. & 66. *Molin.* §. 20. *gl.* 1, *n.* 51. *Coſtal. in d. l.* 13. & 31. *Fach.* 2. *contr.* 2. Cui conſequens eſt, ut ſi plures ſint heredes venditoris, reliquis quieſcentibus unus in ſolidum retrahere poſſit. Vide *Donel. in d. l.* 2. *n.* 15.

13. Retrahere poſſumus non ſolùm ab ipſo emtore, ſed etiam ab herede ejus, etjamſi heredis nominatim non ſit facta mentio *d. l.* 2. *C. de pact. int. emt. & vend.* Nec audiendus hic Donel. *n.* 16. exiſtimans, non produci pactum ad heredem, ſi emtor proprio nomine appellatus ſit. Vide *d. l. juriſgentium* 7. §. *pactorum D de pact.*

14. Quid ſi emtor rem alienaverit in tertium, an & adverſus hunc terrium agere venditor poteſt? Vix eſt, ut id regulæ juris patiantur: nec uſpiam proditum, actionem qua ad retrahendum agitur, perſonalem eſſe in rem ſcriptam. *l. actionum* 25. *D. de O. & A. l.* 3. *l. nimia* 11. *l. eum cui* 13. *C. eod. l. ult.* §. 1. *D. de contrah. emt. Gail.* 2. *obſ.* 16.

Myns.

Mynſ. 6. obſ. 69. Hart. ab Epping. tit. 22. obſ. 5. Hart. Piſtor. 1. quæſt. 21. Berlich. d. concl. 2. n. 13. Fab. dec. 23. err. 2. Diſſ. *Tiraq. d. §. 1. gloſ. 7. n. 6. & §. 3. gloſ. un. per tot. Cagnol. in d. l. 2. n. 8. Arg. art. 266. cap. 8. n. 13.*

15. Minor annis XXV. emit lege revendendi: venditore agente an parere legi abſque decreto prætoris poteſt? Poteſt. *l. verùm 11. §. ſciendum l. quod ſi minor 24. §. 1. D. de minor l. 1. §. ſi communis l. 3. D. de reb. eor. qui ſub tutel. l. 1. & 2. C. de præd. min. Cagnol. in d. l. 2. n. 149. Tiraq. de retr. convent. in fin. n. 10. Pinel. part. 3. l. 1. C de bon. mat. n. 53. Sand part. 1. de prohib. rer. alien. §. 3. n. 19.* Diſſ. *Fab. 2. contr. 3.*

16. Quod ad res attinet, adjici hæc pactio poteſt non ſolùm venditioni rerum immobilium, ſed & mobilium, & incorporalium. *arg. l. illud quæſitum 32. pr. D. ad leg. Aquil. l. 2. C. de reſc. vendit.* tametſi retractus municipalis non niſi in immobilibus locum habeat. *Conſtit. Fred. de jur. protim. 5. Feud. 13. Chaſſan. ad conſuet. Burg. rubr. 10. §. 1. verb. ſon heritage n. 12. Tiraq. de retr. gentil. §. 1. gloſ. 5. & 6 Sand. 3. deciſ. tit. 5. def. 2.*

17. Venditor hanc legem exercere volens offerre emtori debet pretium quo ipſe rem diſtraxerat, non quod nunc ex venditione redigi poſſet *arg. l. 3. pr. D. de inſtr. vel inſtrum. leg. junct. l. jure civili 24. D. de condit. & demonſtr.* Quid ſi emtor procax ac-

cipere recuſet? Obſignatum deponat *l. ſi à te 7. C. de pact. int. emt. & vend. l. ult. D. de leg. commiſ.* Ita rectè Accurſius & plerique Dd. *in d. l. 2. verb. oblatam*: quibus fruſtra ſe opponit Donellus, *in ead. l. 2. n. 11.*

18. Emtor reſtituere rem ipſam debet; nec liberatur præſtando id quod intereſt: *Zoan. in d. l. 2. n. 78. Pinel. ad l. 2. C. de reſc. vend. part. 2. cap. 3. n. 22. Carpzov. p. 2. c. 1. def. 15.* Et quidem cum acceſſionibus & fructibus, quos poſt oblatum pretium percepit *d. l. 2. verſ. habita ratione C. h. tit. Donel. ibid. n. 18. Coſtal. in l. 2. D. de in diem addict.*

19. Quid autem fiet de fructibus pendentibus? Communis opinio dividendos cenſet inter emtorem & venditorem. *Jaſ. in l. qui Romæ pr. D. de V. O. n. 35 poſt. Cuman. ibid. Tiraq. de retr. convent. §. 5 gloſ. 4. n. 5. Covar. 1. var. reſol. 15. n. 6. Teſſaur. deciſ. 56. Cagnol. in d. l. 2. n. 100. Hart. Piſt. 1. quæſt. 24. n. 12. Fach. 2. contr. 14.* Videamus an non rectius Alexander *ad d. l. qui Romæ,* Donellus *ad d. l. 2. n. 10.* ſenſerint, fructus pendentes, quia pars fundi ſunt, ad retrahentem pertinere. *l. fructus pendentes 44. D. de rei vind. l. qui fundum 40. §. 3. & 4. D. de contr. emt. l. Julianus 13. §. ſi fructibus D. de act. emt.*

20. Ad actionem quod attinet, vel ex-vendito, vel præſcriptis verbis ad retrahendum agere poſſumus *d. l. 2. C. h. tit. l. 6. §. 1. D. de contr. emt. l. ſi vir, uxori 12. D. de præſcr. verb.* An & vindicare rem poſſumus? Non poſſumus *d. l. 2. Donel. ibid. n. 10. Gail. 2. obſ. 16. n. 3. & alii. laudati à Tiraq. de retr. conv. §. 1. gloſ. 7. n. 16. & Covar. 3. reſol. 1. n. 2. &* Diſſ. *iidem Tiraq. & Covar. dd. loc. Menoch. conſ. 63. n. 14.* Confer *ſupra theſ. 14. & Fach. 2. contr. 15.*

21. De actione vehementer confligitur, utrum immortalis ſit, an perimatur ſpatio xxx. annorum? Prius placet *Chaſſan. ad conſ. Burg. tit. 4. §. 1. n. 10. & 11. Zoan. d. l. 2. n. 28. & 33. Myuſ. 1. obſ. 16. Moller. 3. ſemeſtr. 19. Fach. 2. contr. 13.* Sed poſterius rectius defendunt *Donel. d. l. 2. n. 12. Argentr. ad Conſ. Brit. art. 266. cap. 8. Balb de præſcr. 4. part. 5. princ. quæſt. 3. Tiraq. §. 1. gl. 2. n. 31. Covar. 1. reſol. 9. Coſtal. l. 19. D. Qui pot. in pign.*

DISPU-

DISPUTATIO DECIMA, OCTAVA,

AD

Conſtit. Freder. de Jure Protimeſeos.

Reſp. Diurtco Andreae.

1. IUS *προτίμησις*, quod & jus retractus, & jus congrui Dd. vocant, damnatum ab Impp. Valent. Theod. & Arcadio, cum conſuetudo plerarunque regionum, tum conſtitutio Frederici reſtituit. 5. *Feud.* 13. Non ſine cauſa: nam quod modo laudari Cæſares *in l.dudum C. de contr. emt.* *προτίμησιν* gravem injuriam vocant, inani honeſtatis colore velatam, non eſt ferendum; cum & in ſacris legibus, & quibuſdam aliis juris civilis partibus eandem videamus approbari. Vide *Levit.* 25. *v.* 23. *& ſeqq. Ruth.* 3. & 4 *Ierem.* 32. *v.* 7. *l.* 3. *C. de jur. emphyt. l. un. C. Non lic. habit. metroc. l.* 1. *C. de metal. l. cum bona* 16. *D. de reb. auct. jud. poſſid.*

2. Quapropter nec concoquere ſatis poſſum eorum Dd. placitum, qui dicunt, actionem retractus odioſam eſſe eo quod juri communi adverſetur *Imbert.* 1. *Inſt.* 33. *in not. lit. d. poſt. Joan. Igne. in d. l. dudum. Afflict. de jure protimeſ. verſ. licet enim ſupra, n.* 4. *Ferron. ad conſ. Burdigal. eod. tit.* §. 1. *n. fin.*

Nul-

Nullo ſane modo actio odioſa dici poteſt, cum de fundo genearchico agitur. Vide *Chaſſan. ad conſ.Burg.rubr.* 10. §. 1.*pr. Donel. in d.l.dudum n.* 13. *Gail.* 2.*obſ.* 19.*Sarm.* 4.*ſelect.interpr.* 1.*n.* 4. *Boer.ad conſ.Bitur. tit.* 6. §. 1.*Pyrrh.ad conſ.Aurel.tit.* 17.*cap.* 1. *Tiraq.in praef.de retr.gentil.n.* 13.*& ſeqq.Molin.* §.20. *gl.* 20.*n.* 5.*Sainſo.* 15.§.1.*gl.* 1.*lit. K.*

3. Habet autem προτιμήσεως locum, cum res immobilis venditur, ut ager, domus, vinea &c. *d. conſt.Fred. à pr.* Hic quaeritur,an rerum immobilium appellatione comprehendantur incorporales, quae immobilibus comparari ſolent? Affirmant *Chaſſan. d. rub.* 10. §. 1.*verb ſon.heritage n.* 12. *Burg.conſ. Flandr. tract.* 2. *n.* 28. *in fin. Berlich.part.* 2. *concluſ.* 39. *n.* 86. *Mornac.in l.* 1. §.*D. Si ag. vectig. vel emphyt. pet.* Negant. *Alexand. lib.* 1.*conſ.* 51. *Sand.* 5.*deciſ.tit.*3.*def.*2.*&* 3. Nobis diſtinctione res expedienda videtur.

4. Si fructus pendentes vendantur, non habet retractus locum: nec enim pars fundi ſunt, niſi quandiu pendent *l.fructus.* 44 *D. de R. V.* Quare nec locum habet cum arbores ſylvae caeduae venduntur, *Argentr. ad conſ. Brit. art.* 60.*gl.*3.*n.*7. *Robert* 3.*rer.judic.*9.*Mornac.in l.*11.*D. de uſufr.* aut glebae bituminoſae necdum effoſſae, ſed effodiendae: tametſi quod ad glebas contrariam placuerit Friſ. 1.*tit.* 12.§. 8 quod ad fructus pendentes Chaſſ. *d.loc.n.* 8.

Res

5. Res mobiles, quantivis pretii, in hâc conſt. immobilibus non æquiparantur. Quare neque in gemmis, neque in mancipiis, jumentis, vehiculis, navibus retractus locum habebit, *Tiraquel.* 1 *gloſ.* 7.*num.* 100. *Chopp.de morib.Pariſ.* 1.*tit.* 1.*num.* 32. tametſi quod ad gemmas valdè pretioſas diſſentiant *Mornac.in l.*37.*D.de ædil.ed.Ferron.ad conſ.Burdig.tit de feud.*§.20.*Mol.ad conſ.Pariſ.tit.de feud.*§.20.*gl.*5.*n.*49. quod ad naves *Amſter.Roſeb.in ſum.tit.*35.§.3.4.& 5.

6. Quid ſi columnæ, marmora, ſtatuæ vendantur? Siquidem infixa ædibus vel fundo non ſint, conſtat retractum ceſſare, quia res mobiles ſunt. Sed ſi fixa ſint, vendantur autem ita, ut excluſa & ſeparata venditor tradat, admittit retractum *Chaſſan.d.loc.num.*15. Item ſi ædes vendantur cum mobilibus quæ in illis ſunt, non ſolum ædes, ſed & res mobiles retrahi poſſe placuit *Aurel.tit.de retrah.vend.ub. Pyrrh. in con m.* Nobis in priori ſpecie contrarium rectius videtur.

7. Porrò retractui Fredericus locum facit non ſolùm fundo vendito, verùm etiam in emphyteuſin conceſſo, vel in longum tempus locato. *d.conſt.in pr.* Quod tamen non ita intelligendum, quaſi fundo locato vel in emphyteuſin conceſſo ipſe fundus retrahatur, ſed ut in conductione propinquus tantundem mercedis offerens, extraneis

ncis præferatur. Vide *Morn.in l.* 1.§.1.*D. ſi ag vectig. vel emphyt. petat. Tiraq. d.* §. 1. *gl.* 14.*n.* 85.*&* §.33.*gloſ.un.n.* 1.*& ſeqq. Afflict. deciſ.* 72. *Berlich. part.* 2.*concl.*39. *n.*72. *& ſeqq. Pyrrh. d. tit. de retr. vend. cap.* 12. *Argentr. art.* 299 *gl.*1: Confer *de locat.Caroc.p.* 5.*quæſt.*38.

8. In permutatione locum retractui negat Frider, *d. conſt.* §. *ex cauſa tamen dotis: Gomeſ. l. T.* 70.*n.* 19. ſi modo fundus cum fundo permutetur, nam ſi res mobilis cum fundo, locus retractui erit. *Chaſſan. d. rubr.* 10.§.9.*n.*10.*&* 12.*Argent.art.*300. *Berlich. d. concl.* 39.*n.* 59. *Grot.* 3. *manud.* 16. *verſ. de plaetſelijcke.* Quid ſi pro fundo partim fundus, partim pecunia detur? Si fundus præponderet, permutatio erit: ſin pecunia, emtio. *Gomeſ.l.T.*70.*n.*15. Quod ſi æquet pecunia fundi pretium, in dubio emtionem potius credemus, non permutationem. *Mornac. in l. quæritur* 10. *D. de ſtat. hom.Guid.Pap.quæſt.*92.*Molin.d.*§.20.*gl.*5. *n.*47.

9. Quid ſi fundus in ſolutum detur, an retrahi poteſt? Ita videtur *arg. l.* 4. *C. de Evict. Tiraq.* §. 1. *gl.* 14. *n.* 2. *Molin.d.tit. de feud.* §. 20.*gl.* 5.*n.*48. *Gomeſ.l.T.*70.*n.* 20. *Ferrer. in not. ad deciſ. Pap.* 259. *in fin. Chriſt. ad conſuet. Mechlin.tit.* 11. §. 1. *n.* 7. Diſſ. *Guid. Pap. d. deciſ.* 257. *Chaſſan. d. tit.* §. 9. *n.* 5. Neque diſtinguimus

G inter

inter dationem in ſolutum voluntariam & neceſſariam, quaſi in illa locum habeat, in hâc ceſſet, *Molin. d. loc.* Diſſ. *Tiraquel. d. loc. num.* 8. *Berlich. d. concl.* 39. *num.* 66.

10. Diviſio rerum communium ſimilis eſt emtioni venditioni *l.* 1. *&* 7. *C. Com. utr. jud.* num ergò retractus in eâ locum habet? Non videtur: *d. conſt. Fred.* §. *ex causâ verb. vel ex teſtamento. Afflict.* §. *licet enim ſupra num.* 36. *Chaſſan. d.* §. *num.* 21. *Molin. d. tit.* §. 1. *gl.* 9. *num.* 43. *Berlich. d. concl.* 39. *n.* 69. *Conf. Tiraq. d.* §. 1. *gl.* 14. *n.* 76.

11. Fundo donato, ſive purè, ſive mortis cauſa, in dotem dato, legato, per fidei commiſſum relicto, dato ex causâ tranſactionis, ceſſat protimeſis *d. conſtit. Frid.* §. *ex causâ tamen.* Quid ergò dicendum ſi fundus partim donetur, partim vendatur? Quid ſi fundo vendito ſtatim donetur pretium emtori? Et ſiquidem fraus abſit, in primâ ſpecie pars vendita retrahi poterit, non donata: in ſecundâ vera venditio videtur; habebit ergò protimeſis locum. *Molin.* §. 20. *gloſ.* 5. *num.* 52. *&* 55. Diſſ. quantum ad ſecundam *Mornac. in l.* 5. §. *ult. D. de donat. int. vir. & uxor.*

12. Quid ſi vendatur quidem fundus, ſed factâ auctione? Sj quidem venditor auctio-

auctionem ſuâ ſponte fecerit, haud dubiè protimeſis habet locum: ſin decreto judicis, non æquè locum habet. *Vide l. cum bona* 16. *D. de reb. auct. jud. poſſ. Chaſſan. d.* §. 9. *à pr. Molin.* §. 20. *gl.* 5. *num.* 9. *Argentr. art.* 265. *verb.ill. convient. Tiraq.* §. 1 *gloſſ.* 14. *n.* 11. *Neoſtad. deciſ.C.H.*29. §. *ſed ſi venditio.*

13. Quid ſi fundus venditus, nondum traditus ſit? Ceſſat retractus donec tradatur, quia nec dum fraudati ſunt propinqui; *arg. d. conſtit. Frid. verb. alienare. Fabr. ad pr. Inſt. de emt. vend, Boër. ad conſ. Bitur. tit. de conſuet. retr.* §. 1. *verſ. ſed quæritur.* Diſſ. *Antw.* 60. §. 3. *Molin. d.* §. 20. *gl.* 3. *n.* 10. Itaque & pœnitere contrahentibus re integrâ licet, & ab emtione recedere. *Arg. d. loc. Molin.* §. 20. *gloſſ.* 5. *num.* 9. 11. *& ſeqq. Tiraquel. d.* §. 1. *gloſſ.* 2. *num* 55. *Chriſt. d. tit.* 11. §. 11. *&* 18. Diſſ. *Sand.* 3. *tit.* 5. *def.* 6.

14. Competit jus retrahendi ex conſt. Frid. imprimis conſanguineis, dein coheredibus & ſociis, tum convicaneis & concivibus. In conſanguineorum numero etiam liberi noſtri computantur: unde dubitatio nata: An filius retrahere poſſit fundum à patre venditum? Fluctuat hic ſuo more *Tiraquel d.* §. 1. *gl.* 9. *n.* 47. *& ſeqq. & Papon.* 11. *tit.* 7. *art.* 2. Nobis diſtinguentium ſententia placet; ut

filius heres non poſſit: qui hæres non extitit patri *Berlich. d. concl.* 39. *n.* 16. *Sand. d. tit.* 5. *def.* 7. Sanè Gomeſium *ad leg. Taur.* 70. *n.* 10. *& Chriſt. d. tit.* 21. §. 3. *n.* 19. qui heredi quoque venditoris jus retractus concedunt, ſequi non poſſumus.

15. Conſanguineorum appellatione adoptatos non comprehendimus. *Tiraq. d.* §. 1. *gl.* 8. *n.* 16. *Joan. Fab. ad* §. 1. *Inſt. de adq. per adrog. Berl. d. concl.* 39. *n.* 20. Comprehendimus legitimatos per nuptias vel reſcriptum. *Affiict. de jur. protim.* §. 1. *n.* 47. *Berl. d. loc. n.* 19. Diff. *Myns.* 1. *obſ.* 35. *Gail.* 2. *obſ.* 19. Comprehendimus cognatos etiam poſt venditionem conceptos & natos *Boer. ad conſ. Bitur. de retr. gentil.* §. 2. *n.* 3. *Chaſſ. d. rubr.* 10. §. 1. *verb: le plus prochain. in fin. Papon. d. tit.* 7. *arr.* 1. *Mornac in l.* 7. *D. de ſtat. hom.* Diff. *Vall. tract.* 4. *de reb. dub. n.* 2. *Tiraq. d.* §. 1. *gloſ.* 9. *n.* 95.

16. Competit cognatis jus retrahendi haut dubie ſecundum gradus prærogativam. Sed ſi in eodem gradu plures contendant, quid fiet? Si res diviſionem recipiat, pro partibus eos admittunt Dd. ſin minus, aut occupantis meliorem fore conditionem cenſent, aut ſorte contentionem dirimendam. *Chaſſan. d. loc. in pr. &* §. 4. *pr. Tiraq.* §. 11. *gloſ.* 10. *Berlich. d. concl.* 39. *n.* 27. *Mornac. in l.* 47. §. 1. *D. de minor.*

Grot.

Grot. d. cap. 6. §. *macr indien.* Sed quid vetat, quo minus etiam poſteriori caſu omnes admittantur, habituri agrum vel domum pro indiviſo communem *Thoming deciſ.* 43. *Arg. art.* 286. *gl.* 2. *conf Fabr. in* §. *ſi plures Inſt. de leg. agnat. ſucceſ. d. conſt.* 13. §. *ſin autem plures.*

17. Si venditor non in extraneum alienaverit, ſed in remotiorem cognatum, an proximior retrahere poterit? Non poterit, quia res in familia manet. *l. unum ex familia* 67. §. 1. *l. peto.* 69. §. *fratre D. de leg.* 2. *l. is qui complures* 94. *D. de leg.* 3. *Chopp.* 2. *c.* 6. *n.* 16. Itaque tota fere Gallia jactari: agnatum adverſus agnatum non uti jure protimeſeos: teſtatur Cujacius 4. *Feud.* 14. tametſi ipſe contrariam ſententiam probet, ſicut & *Gomeſ. ad l. Taur.* 70. *n.* 13. & multi alii, laudati à Berlich. *d. concl.* 39. *n.* 34. *& ſeqq. & Imb. in ench. verb. retractus.*

18. Retrahimus non ſolum ab emtore verum etiam à poſſeſſore in quem emtor alienavit: actio enim de retractu perſonalis quidem eſt, ſed in rem ſcripta *Chaſſ* §. 1. *verb. ou detenteur. Gomeſ. l. T.* 70. *in fin. Tiraq.* §. 8. *gl.* 5. *n.* 8. *Gail.* 2. *obſ.* 19. *n.* 6. *Sand.* 3. *tit.* 5 *def.* 13. *Arg. art.* 273. *n.* 5. Habet & hoc peculiare, quod cedi alii non poſſit, cum pleræque alii cedi poſſint. *Molin. de cenſ.* §. 78. *gl.* 1. *n* 152. *& d.* §. 20. *gl.* 1 *n.* 20.

*Arg.art.*296. *Gail.d.obſ.*19.*n.*10. *Tiraq.* §. 5.*gl.un.*

19. Victus reus rem cum acceſſionibus reſtituere debet, cum fructibus pendentibus & perceptis poſt oblatum pretium. *Chaſſ. d.* §.1.*verb.le pris n.*4. *Tiraq. de retr.convent.*§. 3.*gl.un.n.*23.*Boer.deciſ.*47.*n.*2. Diſſ. *Gomeſ.l.T.*70.*n.*29.Et rem quidem ipſam præciſe reſtituere debet, nec liberatur præſtando id quod intereſt. Neque re amiſſa evictionis nomine obligatum venditorem habet *Gomeſ.*2.*reſol.*2.*n.*40. Sed ſi retrahenti res evincatur, huic obnoxius venditor eſt. *Tiraq. de retr.gentil. in fin.n.*118.

20. Victor pretium ſolutum refundere debet emtori *arg.l.*3.*vers. & ſiquidem C.de jur. emphyt.l.pen.& ult. C. de locat. præd.civil.vel fiſcal.l ſi ſervus* 14. *D. cond. furt.l.*52.§.29. *D. de furt. Berlich.d. part.* 2. *concl.* 41. *n.* 5. *Chaſſ.d.loc.n.* 1. & 9. Item impenſas *arg.l. debet* 27. *D. de ædil. ed. Boer. d. deciſ.* 47. *Chaſſ.d.*§.*verb.les frais n.*3.*Gail.d c.*19.*n.*9. Non tamen proxenetica, quæ nulla neceſſitate præſtita ſunt *Chaſſ.ibid. n.* 4. *Berlich. d. concl.* 41.*n.*38. *Conf. Mechl.*11.§.29. *Grot.* 3. *cap.* 16. *verſ. die de naeſting. Molin. d.* §. 20.*gl.*9.*n.*2.

21. Actio retractus ex conſt. Freder. inſtituenda eſt intra dies xxx. Sed mores fere ſubſtituerunt annum & diem *Gail.d.cap.*19. *n.*13.*Chaſſan.d.*§.1.*verb. dedans l'an & jour.*

Chri-

Chriſtin. d. tit. 11. §.2.*n.*15. De quo anno quæritur, ex quo die ſit computandus? Verius eſt, ſi nihil ſpecialiter conſuetudine definitum ſit ex die veræ traditionis computandum eſſe. *Arg. art.* 265. *verb. il. convient. Gomeſ. ad l. Taur.* 70. *n.* 16. *Gail. d. obſ.* 19. *n.* 17. *&* 18. *Chriſt. d. tit.* 11. §. 9. *n.* 11. *&* §. 10. *n.* 9. *& ſeqq. Neoſt. deciſ. S. C. H.* 29. *Grot. d. cap* 16. §. *de naeſtinge moet Conſ. Molin.* §. 1. *gl.* 1. *n.* 30. *& d.* §. 20. *gl.* 5. *n.* 9. *& ſeqq.*

DISPUTATIO DECIMA NONA,

DE

EVICTIONIBUS.

Reſp. JOHANNES SYPESTEYN Ultraj.

1. EVincere eſt non tantum ſuperare judicio vindicationis, vel quo ſimili, verum etiam rem ipſam, poſſeſſionemve ejus, aut litis æſtimationem auferre *l.* 16. §. 1. *l.* 21. §. 1. *& ſeqq l.* 57. *&* 58. *D. de Evict. l.* 3. *C. eod.* Sed etſi ipſe emtor rem poſſeſſori evincere, aut venditor tradere non potuerint, res evicta dicitur *d. l.* 16. §. 1. *l.* 29. §. 1. *l.* 33. *D. eod. l.* 24. *C. eod. l.* 3. *D. de dol. mal. & met. except.*

2. Evincitur res non ſolum actione in rem, veluti vindicatione, hereditatis petitione *l. 5. D. h. tit. l. 1. C. eod. l. 2. pr. D. de hered. vel act. vend.* Serviana *l. 4. l. 23. C. h. tit. l. 34. §. ult. l. 65. D. eod.* verum etiam familiæ erciſcundæ, communi dividundo *d. l. 34. §. 1.* actione noxali *l. 45. §. 1. D. de leg. 1.* actione præjudiciali *l. 39. §. pater D. h. tit.* perſecutione fideicommiſſaria *l. 26. D. eod.* actione ad exhibendum *l. 3. §. præterea & §. ult. D. ad Exhib.* & ſi qua ſimilia ſunt judicia.

3. Præſtatur evictio non ſolum in venditione, ſed & in permutatione *l. 1. C. de rer. permut. l. ſi permutationis 29. C. h. tit.* re in ſolutum datâ *l. 4. C. eod.* re æſtimatâ datâ *l. 1. C. de jur. dot. junct. l. 7. §. 1. D. de Public. in rem. act. l. 3. D. locat l. 3. D. pro emt.* In judicio familiæ erciſcundæ *l. ſi cum venditor. 66. §. ult. D. h. t. l. ſi familiæ 14. C. fam. erciſc.* Communi dividundo *l. 1. & 7. Com. utr. jud.* in legato generis non ſpeciei *l. heres 58. l. ſi res 59. D. h. tit. l. ſi à ſubſtituto 45. §. 1. l. ſi domus 71. §. 1. D. de leg. 1. l. qui concubinam, 29. §. ſi heres D. de leg. 3.*

4. An in tranſactione præſtanda eſt? Eſt, ſi non ipſæ illæ res evictæ ſint, de quibus quæſtio fuit *l. ſi pro fundo 33. C. de tranſact.* An in donatione? Non: niſi per ſtipulationem promiſſum ſit *l. 2. C. h. tit.* nec audien-

diendi, qui *ex l. ſi quis argentum C. de donat.* putant pactum ſufficere. *Giph. ad h. tit. pag.* 463. *Duar. ad l. 2. C. de Evict.* An in dote, ſi res aliena marito data fuerit? Etiam *l.* 1. *C. de jur. dot. l. un.* §. 1. *C. de rei ux. acti.* An in venditione, ſi venditor dixerit, nolle ſe de evictione teneri? Non eſt: de dolo tamen venditor tenetur *l. 6. §. ult. De act. emt.* vel ad pretii reſtitutionem *l.* 11. §. *ult. D. eod.* Vide *Gloſſ. & Cuj. in d. l. 2.*

5. Quid ſi creditores vendant pignora? Si jure creditorum vendant, non præſtant evictionem: ſecus ſi jure communi *l.* 1. *&* 2. *C. Cred. evict. pig. non deb. l. etſi is* 10. *D. de diſtr. pignor. l. ex emto.* 11. §. *ſententiam D. de act. emt. l. ſi mandatu* 59. §. *creditor D. mand.* Multo minus tenentur creditores, ſi ab officialibus pignora judicati exequendi gratia capta diſtrahantur *l. ſi plus* 74. §. 1. *D. h. tit. l. ſi ob cauſam* 13. *C. eod.* Si tamen apparitores dolo projecerint pignora viliore pretio, de dolo actio dabitur *l. ſi pignora.* 50. *D. eod. l. qui erat* 49. *D. famil. erciſc.*

6. Quid ſi auctione facta res venditæ ſint? Præſtanda eſt evictio ſi non jure creditoris, aut judicati exequendi gratia auctio facta ſit. *arg. dd. ll.* Idque nonnulli extendunt etiam ad auctionem à fiſco factam *Bald. in l. 3. C. de jur. fiſc. Caball. de Evict.* §. 1. *n.* 88. *Rebuf. de dilat. art. 2. gl. 1. n* 32.

Sed male: is enim qui rem alienam à fiſco accepit, ſtatim ſecurus eſt *l. 2. & 3. C. de quadr. præſ. §. ult. Inſt. de uſucap.* Vide *Peregr. 6. de jur. fiſc. 4. n. 37.*

7. Quid ſi fundus alienus ignoranti in feudum conceſſus fuerit? Præſtanda eſt evictio *c. 1. de inveſt. de re alien. fact. c un. Si de feud. vaſall. ab aliq. interpel. fuer.* Quid ſi in emphyteuſin conceſſus? Etiam hoc caſu evictio præſtanda eſt *arg. §. adeo Inſt. de locat. cond. junct. l. ſi quis domum 9. l. ſi fundus 33. & ll. ſeqq. D. locat.* Vide *Berlich. part. 1. concl. 24. n. 53. Caball. de evict. §. 4. n. 47. & ſeqq.*

8. Porro præſtanda eſt evictio non ſolum ſi res ipſa evicta fuerit, ſed etſi uſusfructus, vel fructus *l. 15. §. 1. l. fundum 46. pr. l. ſi rem 62. §. ult. D. h. tit.* aut jus aliquod in re, veluti, emphyteuſis, aut pignus *d. l. 46. pr. D. h. tit. l. 32. & 33. l. C. eod. l. ſtipulatio iſta 38. §. ſi quis fortè 3. D. de V. O. Cuj. ib. in com. Berlich. d. loc. Arum. part. 1. deciſ 4. n 12. & ſeqq* Sed etſi poſſeſſio duntaxat evicta fuerit, evictio præſtanda eſt. *d. l. 38. ub Cujac. junct. l. ſi quis fundum 35. D. de act. emt.*

9. Quod ſi ſervitus fundo vendito evicta fuerit, ceſſat evictionis actio; competit autem Quanto minoris: niſi venditor nominatim dixerit, ſervitutem acceſſuram, aut vendi fundum uti optimus maximus eſt *l. in ven-*

vendendo 66. *D. de contrah. emt. l ſi quis fundum* 35. *D. de act. emt. l. cum fundus* 48. *l. pen. D. h. tit. l. quotiens* 61. *D. de ædil. ed.* Nec obſunt *l. ſi quis* 10. *l. fundum* 46. §. 1. *D. h. tit. Cujac. d. loc. Caball. de tract.* §. 5. *n.* 70. *& ſeqq.*

10. Si hereditas vendita ſit, evictio hereditatis præſtatur non rerum ſingularum *l.* 1. *C. h. tit. l.* 5. *D. eod l.* 2. *pr. l.* 7. *D. de her. vel act. vend.* Quod ſi plures res venditæ ſint, tot ſunt de evictione actiones, quot res, tametſi omnes uno pretio venierint, unoque inſtrumento comprehenſæ *l. cum plures* 72. *D. h. tit. junct. l. & ſi uno* 33. *D. de act. emt.* Nec adverſatur *l. ſi quis aliam* 46. §. 1. *D. de Solut. & liber.* Vide *Cujac. tract.* 8. *ad Afric. in explic. l.* 47. *D. h. tit. Vall. de reb. dub. tract.* 9. *n.* 10.

11. An minuitur ſaltem condemnatio, cum res non evicta tanti eſt, ut evictæ quoque pretium conficiat? Affirmat Paulus in *l. ſi duorum* 42. *D. de act. emt.* Negat Africanus in *l. ſi duos* 47. *D. h. tit.* De conciliatione vide *Cuj. d. loco.*

12. Quid ſi non tota res, ſed pars evicta fuerit? Etiam partis evictio præſtanda eſt *l.* 1. *l. bonitatis* 13. *l. nave* 36. *l. ſi ap ham* 44. *l. ſi fundo* 35. *l. ex mille jugeribus* 64. *D. h. tit. l. ſuper emti* 16. *C. eod.* Nec adverſantur *l. ſi dictum* 56. §. *in ſtipulatione D. eod. l. ſi fines* 10. *C. eod.* Vide *Coſtal. in d. l.* 1. *Cujac. in l.*

malum 242. *D. de V. S.* Et ſi quidem pars pro indiviſo evicta ſit, æſtimatur quantitas: ſin pro diviſo, æſtimatur bonitas evictæ partis *d.l.* 1. 13. 16. *Item l.* 45. 53. 64. *h. tit.* Vide *Cujac. in d. l.* 64. *lib.* 7. *Quæſt. Papin. Duar. in d. l. ſi fines. & l.* 16. *C. eod.*

13. Evincere poteſt tertius: venditor ipſe non poteſt: obſtat enim exceptio rei venditæ & traditæ *l. vindicantem* 17. *& ſeqq. D. h. tit. l.* 1. *D. de exc. rei vend. & trad.* Nec venditori ſolum obſtat, ſed & ſucceſſori ejus, ſive in jus, ſive in rem ſucceſſerit *d. l.* 1. §. 1. *l. ult.* §. 1. *D. de exc. rei vend. l. ſive* 14. *C h. tit.* & fidejuſſori *l. exceptione* 11. *C. eod.* An heredi fidejuſſoris? Negat *l. ult. C. h. tit.* Quam conſtitutionem licet Dd. plerique ſequantur, teſte Barboſa *ad l. Lucius* 38. *D. Sol. matr. n.* 24. *& ſeqq. D. Solut. matr.* de æquitate tamen non immerito dubitatum eſt. *Mornac. in l.* 17. *D. h. tit. Pac. in Iſagog.* nimiſque fervide eam conſt. ad heredem mandatoris & creditoris produxiſſe videtur Valla, *tract.* 9. *de reb. dub. n.* 2. *&* 3. *l. ſervum Titii* 49. *D. mand. l. etſi is.* 10. *D. de diſtr. pign.* Conſule *Duar. ad l.* 11. *C. h. tit.*

14. Ut actione evictionis experiri poſſit emtor, denuntiare venditori debet *l.* 49. *l.* 51. §. 1. *l.* 53. §. 1. *D. h. tit. l. emtori* 8. *& l. ſeq. C. eod.* Quid ſi cauſa ita deſperata fuerit, ut ne defendente quidem venditore vin-

cere

cere poſſit? Verius eſt hoc caſu omiſſam denuntiationem emtori non nocere, *arg. d. l.* 53. §. 1. *Molin. ad conſ. Pariſ. tit.* 1. §. 10. *n.* 25. *Vall. d. tract.* 9. *n.* 9. *Papon.* 11. *arr.* 4. *arr.* 10. *Covar.* 3. *reſol.* 17. *n.* 6. *Mynſ.* 1. *obſ.* 37. *Caball. d. tract.* § 3. *n.* 74. Diſſ. *Follar. in add. ad Marant. part.* 6. *membr.* 6. *n.* 16. Quemadmodum nec nocet emtori, ſi in cauſa injuſta ſtatim ceſſerit vindicanti. *Fab. Cod. Sab. tit. de Evict. def.* 8. aut victus non appellaverit *l. Herennius* 63. §. 1. *D. h. tit. ubi Bart. & Dd. Sich. inl.* 8. *C. eod. n.* 23. *Coſtal. l.* 8. §. *ſi ignorantes D. mandat.*

15. Denuntiandum eſt auctori vel heredi ejus, *d. l.* 8. *& ſeq. C. h. tit.* aut ſciente auctore procuratori ejus *l.* 56. §. *ſi præſente D. h. tit.* non fidejuſſori *d. l.* 8. Si plures ſint heredes, omnibus *l.* 62. §. 1. *D. eod.* Denuntiari autem poteſt quocunque tempore, dumne proximè ante condemnationem *l.* 29. §. *ult. D. eod.* Quid ſi in prima inſtantia denuntiatum non ſit, an poteſt id fieri in ſecunda? Ita cenſet Duar. *ad l.* 8. *C. de Evict.* Imbert. 1. *Inſt. forenſ.* 20. *in not. ad verb. autores. arg. l.* 6. §. 1. *C. de his qui not. infam. l.* 7. *D. de tranſact. l.* 1. §. *ult. D. ad SC. Turpil.* Non rectè.

16. Laudatus auctor ſi compareat, utrum judicium in ſe tranſfert, an verò una cum emtore cauſam defendit? Verius eſt, non transferri in venditorem judicium

liberato emtore, ſed adſiſtere eum emtori, utique ſi poſt litem conteſtatam laudatio facta ſit: qui enim eximi judicio emtor poteſt, cum quo lis jam conteſtata eſt? *l. ſi plus* 74. §. *mota. D.h.tit. l. ſi parentes* 20 *C. eod. junct. l.* 1. *C. de ſent. & interloc. l.* 3. §. *idem ſcribit D. de pecul.* Vide *Imb.d.loc.Rebuf. ad conſt. reg. tract. de dilat. art.* 2. *gl.* 1. *n.* 18. *& ſeqq. Arg. ad conſ. Britan. art.* 144. *n.* 3. *&* 4. *Berlich. part.* 1. *concl* 24. *n.* 120. *& ſeqq.*

17. Sane ſive uterque in judicio fuerit, ſive tranſlatum ſit judicium in auctorem, actio rei judicatæ adverſus utrumque datur, adverſus utrumque dirigi executio poteſt, ſi victi ſint. *l. ſi mater* 11. §. *item Jul. &* §. *pen. l. exceptio* 28. *D. de except. rei jud. Imb. d.loc. Arg d. com art.* 151. *gl.* 2. *Berl. d. concl.* 24. *n.* 107. *Kinſch. reſp.* 33. *pr.*

18. Etſi alterius fori auctor ſit, ſequi tamen forum emtoris debet *l. venditor* 49. *D. de jud.* Sed ſi victus emtor in id quod intereſt agat, ſequi forum venditoris debet. *Coſtal. in d. l.* 49. *Duar. tit. de jud cap. de for. compet. Imbert.* 1. *Inſtit. forenſ.* 21. *Sand. lib.* 1. *deciſ. Friſ. tit.* 1. *def.* 5.

19. Si res evicta ſit, ex emto quidem in ſimplum agitur & id quod intereſt *l.* 60. *&* 70. *D. h. tit. l.* 6. *&* 25. *C eod.* ex ſtipulatione etiam in duplum, ſi rei pretioſæ nomine duplum promiſſum ſit *l.* 31. §. *quia adſidua*

ſidua D. de ædil. ed. l. emtori 37. §. 1. *D. h. tit.* Eſtque in æſtimando eo quod intereſt non ſolum damni habenda ratio, & impenſarum, acceſſionumque, ſed & lucri intercepti *l.* 8. 15 *pr.* & §. *ult. l.* 16. *l.* 51. §. *non mirum l.* 66. §. *ult. l.* 70. *D. h. tit. l.* 9. 17. *C. eod.*

20. Si plures ſint venditores, aut plures ejuſdem venditoris heredes, pro partibus ſinguli tenentur. *l. quidam* 12. *l. minor* 39. §. *ſi à me D. h. tit. l.* 2. *C. eod. l. in executione* 85. §. *in ſolidum l. cum ex cauſa* 139. *D. de V. O.* Nec adverſatur *l. ſi rem.* 62. §. 1. *l. rem hereditariam* 65. *D. h. tit.* Quod ſi autorem autoris quis habeat, tam primi quam ſecundi auctoris heredes conveniri poſſunt. *d. l.* 51. §. *non mirum D. h. tit. l.* 2. & *ult. C. eod.*

21. Fatum & injuriam judicis non præſtat venditor emtori *l.* 21. *pr. l.* 51. *pr. D. h. tit. l. non injuria* 15. *C. eod. l.* 1. *C. de rer. permut.* Inde quæſitum, ſi fundus venditus à principe publicatus fuerit, an venditor teneatur de evictione? Negat Paulus in *l. Lucius* 11. *D. de Evict.* Contra Africanus eouſque affirmare videtur, ut pretium emtori reſtituendum putet *l. ſi fundus* 33. *D. locat.* Nos Paulum ſequemur, cum Cujac. *in d. l. ſi fundus tract.* 8. *ad Afric.* quamvis contra eundem in Gallia judicatum teſtetur Morn. *ad d. l. Lucius.* & Africanum ſequatur Don. 13. *com.* 2. & Fab. 2. *conject.* 4. DIS-

DISPUTATIO VIGESIMA,

DE

Locatione Prædiorum Urbanorum & Ruſticorum.

Reſp. HERMANNO CRAZEBERG, *Leera Ooſtfriſio.*

LOcatio conductio eſt contractus ex conſenſu, quo id agitur, ut utamur, fruamur, faciamuſve aliquid certa mercede. Locator eſt, qui dat aliquid utendum vel faciendum: conductor, qui accipit. *l.* 1. *&* 2. *D. loc. cond. l.* 3. §. 1. *D. naut. caup. ſtabul. l.* 2. *D. de O. & A. Cujac.* 2. *obſ.* 28. Alias definitiones vide apud auctores paratitlorum; nec non Hotom. *in epit. & in partit. cap.* 30. *Don.* 13. *com.* 6. *Mozz. de locat. cap.* 1. *n.* 12.

2. Sicut pretium emtionis, ita merces locationis in pecunia numerata conſiſtere debet *l.* 5. §. *at cum do D. de præſcr. verb. l.* 1. §. *ult. D. mand. l.* 1. §. *ſi quis ſervum* 9. *D. Depoſ.* Si tamen fundi locentur, utilitatis cauſa placuit, mercedem etiam in certa quantitate fructuum conſiſtere poſſe. *l. licet* 8. *l. ſi olei* 21. *C. de locat. cond.* Paulo aliter *Hotom. in epit. Giphan. in d. l. ſi olei.* Diſſ. *Donel. d. cap.* 6. *in fin.* Aliter

Coraſ,

Coraſ. 2. miſcel. 6. Aliter *Weſ. in parat. locat. n. 7.*

3. Locatio prædiorum non ſolum in annos ſingulos, ſed & plures fieri poteſt. Neque ſi in annos x facta fuerit, in emphyteuſin tranſit: emphyteuſin enim non ſolus annorum numerus, ſed conventio contrahentium efficit. §. *adeo Inſt. de locat. cond. l. 1. C. de jur. emphyt. l. 1. §. quod ait prætor D. de ſuperfic. nov. 120. c. 5. l. cum in plures 60 D. locat. Conn. 7. com. 12. Pinel ad l. 1. C. de bon. mat. part. 3. n. 66. & ſeqq. Alv. Valaſc. tract. de jur. Emphyt. quæſt. 29. n. 28.* Diſſ. *Sarm. 3. ſelect. interpr. 2. n. 31. & ſeqq. Cujac. in d. §. adeò.*

4. In conductorem neque proprietas, neque poſſeſſio tranſit: eſt tantum in poſſeſſione utendi, fruendive gratia *l. officium 9 D. de rei vind. l. certè 6. §. is qui rogavit D. de precar l. 2. C. de præſcr. 30. vel 40. an.* Nec obeſt, quod naturaliter poſſidere dicatur in *l. communi 7. §. neque colonis D. Com. divid. Cujac. 9. obſ. 33.*

5. Conductor rectè colere, atque omnia ex æquo & bono facere debet *l. ſi merces 25. §. conductor l. quæro 54. §. inter locatorem D. loc. cond. §. pen. Inſt. eod.* Inde quæſitum an faciem fundi locati mutare poſſit, veluti, ex prato facere novalia? Verius eſt non poſſe. Nec adverſatur *l. dominus 55. §. 1. l pen. pr. D. eod. l. ſi cujus 13. §. inde eſt quæſitum*

ſitum D. de uſufr. Moſſ. de natural. locat. n. 10. *& cap.ult.n.* 23. *& ſeqq.*

6. Fructus fundi colonus ſuos facit perceptione §. *is vero Inſt. de rer. diviſ. l. cum in plures.* 60. §. *meſſem D.loc.l.ſi apes* 26. §. 1. *l. ſi ſervus.* 61. §. *locavi D. de furt.l.* 1. §. *cum prædium D. de pign. & hypoth.* Quod autem gloſ. & Bartol. *in d.* §. *locavi* Coſtal. *in l. quod vendidi* 19. *D. de contrah. emt.* notant, colonum non facere fructus ſuos, niſi aut penſionem ſolverit, aut fides ei habita ſit, haut facile probari poterit.

7. Conductor ante finitum locationis tempus decedens tranſmittit jus ſuum in heredem §. *ult. Inſt. de loc.cond l. viam veritatis* 10. *C. eod. l. ſi ſocrus* 18. *C. de jur dot.* An etiam vendere jus ſuum, vel gratis alii concedere poteſt? Videtur: relocare ſanè ædes vel fundum liberè poteſt. *l. corruptionem* 13. *C.de uſufr.l. nemo* 6. *C. de locat. cond. l. ſi tibi aliena n* 7. *& l. ſeq. l. ſi in lege* 24. §. 1. *D. eod.*

8. Res invectæ & illatæ in prædium urbanum tacitè ſunt pignori locatori pro penſionibus: invectæ in prædium ruſticum non ſunt tacite pignori, etiamſi ſciente domino illatæ ſint. Sata vero & nata tacitè ſunt pignori. *l.* 4. *D. de pact.l.*2. *& ſeqq. l. in prædiis* 7. *D. In quib.cauſ. pign.tac. contrah. l.*3. *C. eod.* Sed ſi conductor relocaverit ædes, an ſecundi quoque conductoris res domino

ſunt

ſunt pignori ? Negat Paulus *in d.l.*24.§.1. cui junge Papinianum *l.qui fidejuſſor* 53.*D. h. tit.* Affirmat Ulpianus *qui l. ſolutum* 11. §.*ſolutam D. de pignor. act.* Nullum hic diſſidium. Vide *Coſtal. in d.* §.*ſolutam. Chriſtin. ad conſuet. Mechl. tit. de locat.* §. 14.*n.* 7. *poſt Gloſ. & Bartol. in eod.* §. *ſolutam. Par.* 5. *ant.*19.

9. Remiſſionem mercedis impetrat colonus ob ſterilitatem, ob vim fluminis, graculorum, ſturnorum, hoſtium, ob terræ motum, uredinem &c. *l. ex conducto* 15.*ſi vis & ſeqq. D. locat. cond.* Sed quærunt Dd. quanta debeat eſſe ſterilitas, ut remiſſionem impetret? Non malè id judicis arbitrio relinquemus. Ex definitionibus verò Dd. illa inprimis placet: Remiſſio facienda eſt, cum dimidia pars fructuum, qui cogi ſolebant, cogi non potuit. *Covarr. pract. quæſt.* 30. *Coſtal. d. l.* 15.§. *Papinianus. Gail.* 2. *obſ.* 23. *n.* 1. *Confer MozZ. de accidental. locat. n.* 10. *& ſeqq. Pinel. ad l.*2.*C. de reſcind. vend. part.* 1.*c.*3.*n.*21.*& ſeqq.*

10. Præſtat conductor in re conducta dolum, culpam latam & levem, non leviſſimam. *l.* 5. §. *nunc videndum D. commod. l.* 3.§.1. *D. naut. caup. ſtabul. l.* 9. § *ſi colonis D. locat.* Itaque incendium præſtat, non ſolum ſua, ſed & domeſticorum culpa exortum *l. videamus* 11. §. *ult. & l. ſeq. l. qui inſulam* 30. §. *ult. D. eod.* Nec tamen præſum-

ſumptio illa, quod incendia plerumque culpa inhabitantium fiant, ad condemnationem ſufficit *Gail. 2. obſ. 21. Sand. 3. deciſ. tit. 6. def. 9. Rauchb. part. 2. qu. 10 n. 78. & 79. Afflict. deciſ. 57. Mynſ. cent. 6 obſ. 88. Farinac. qu. crim. 110. n. 127. Menoch. 2. arb. caſ. 390. n. 4.*

11. Onera quoque colonus agnoſcit, ſed communia & quaſi ordinaria. Nam & villam ſartam tectam conſervare debet *d. l. 25. §. conductor. D. locat.* & tributum, cenſum, decimas præſtare. *l. ſine herede 32. §. Lucius. D. de admin. tut. junct. l. 1. C. de annon. & tribut. l. uſufructu 7. §. hactenus l. ſi pendentes 25. §. ſi quid cloacarii D. de uſufr.* Repentina vero neque cogitata non colonus, ſed dominus præſtat. *Pinel. ad. l. 1. C. de bon. mat. part. 2. n. 72. qui tamen id reſtringit ad conductionem longi temporis Grot. 3. manud. 19. §. gemeene laſten Radel. deciſ. 66. Coſtal. in d. l. 7. de uſufr.*

12. Finito conductionis tempore liberum eſt domino fundum relocare cuicunque libuerit; nec enim veteres coloni jus retractus habent. Excipiunt Dd. tres caſus 1. Si ab initio ita convenerit. 11. Si prædia publica locentur *l. congruit & l. ſeq. C. de præd. civil.* Si ſcholaris idem cœnaculum vel ædes conducere velit. *Gom. 2. reſol. 3. n. 5. Mynſ. 4. obſ. 23. Berlich. part. 2. concl. 39. n. 84. Sand. 3. tit. 6. def. 2.* Ex his tertium

tium abſque lege admittere non poſſum: tantum abeſt, ut eos laudem, qui generalius docuere, ſi plures conducere cupiant, eum præferendum, cui res ſolita eſt locari. Vide *Mozz. de natural. locat. n.* 12. *& ſeqq.*

13. Inquilinus ante tempus migrare cogitur, ſi dominus propriis uſibus ædes neceſſarias eſſe demonſtraverit *l. æde* 3. *C. de locat. cond.* Idque locum habet etſi communes ſint ædes, alterque ex dominis habitare deſideret *Coſtal. in l. communis* 23. *D. de in jus voc.* Quid ſi dominus filio vel genero habitationem neceſſariam dicat, an migrare conductor debet? Ita cenſet *Molin. ad conſ. Pariſ. tit.* 1. §. 20. *gl.* 1. *n.* 32. *Sich. ad d. l. æde n.* 6. *Gomeſ. d. c.* 3. *n.* 6. Quorum ſententia licet communis ſit, tamen abſque temperamento probanda non videtur *Giphan. in l. emtorem* 9. *C. de locat. pag.* 333.

14. An ex eadem cauſa colonus migrare cogitur domino poſtulante? Nequaquam: eſt enim diverſa ædium & fundi ratio *d. l. æde & l. qui negotia* 34. *verſ. id enim benigne D. mandat. Gomeſ. d. n.* 6. *in fin. Sichard. d. loc. poſt Bald. in d. l. æde n.* 19. Diſſ. *gloſ. in ead. l. verſ. ſunt ergo quatuor caſus.* An inquilinus qui domino totius temporis mercedes repræſentavit? Minimè; ſibi enim dominus imputet, qui aut exe-

exegit, aut oblatas accepit *Petr. de Ferr. in prax. rubr.* 42.*gl.* 2.*n.*9. *Schneid. ad* §. *ult. Inſt. de locat. cond. n.* 10. Diſſ. *Giphan. d.loc. pag.* 334.

15. Migrare etiam ante tempus conductor cogitur, ſi ædes vel fundum deteriorem reddat, nec colat ita uti oportet. *d. l. æde & l. quæro* 54.§.1. *D. de locat. cond.* Deteriorem autem reddere videtur & qui lupanar exercet, vel quæſtuarias puellas inducit. Quare & ſtudioſum expelli ante tempus poſſe tradiderunt Dd. ſi perſonas inhoneſtas in ædes introducere velit. *Gloſſ. in l. non aliter D. de uſ. & habit. Papon.* 22.*tit.*9. *art.* 14. *Giph. in d. l. emtorem pag.* 334. *arg. l.*4. *C. de ſpectac. & ſcen. Schneid.d* §. *ult. n.* 10. Diſſ. quantum ad ſtudioſum *Sichard. in d.l. æde.n.*12. *Bald. ibid.n.*24.

16. Expelli ante tempus conductor poteſt, ſi penſionem non ſolverit per biennium. *d l. æde junct. l. cum domini* 56. *D. locat. cond.* Quid ſi partem penſionis intulerit? Adhuc expelli poteſt *arg. d. l. æde verſ. in ſolidum Giphan. d.loc.pag.* 333. *Schneid.d. loc.n.*9. & 11. *Gloſ. in d.l. æde. Sichard. ibid. n.*4. *Gomeſ.d.c.* 3. *n.* 6. Quid ſi convenerit ab initio ne expellatur? Tamen expelli poteſt *l quæro* 54.§.1. *D. loc. Schneid. d. loc.* etjamſi jurata foret pactio *Giph. d. loc. pag.* 334. *Covar. ad rubr. de teſtam. part.* 1. *n.* 35. & 36.

17. Ex-

17. Expelli ante tempus conductor poteſt ab emtore fundi, *l. emptorem* 9. *C. de locat. l. ſi merces* 25. §. 1. *D. eod.* à legatario *l. qui fund.* 32. *D. eod. l. nihil proponi* 120. §. *ult. D. de leg.* 1. à fructuario *l. arbores* 59. §. 1. *D. de uſuf.* Quid ſi maritus fundum dotalem locaverit, ſoluto matrimonio ante expletum tempus an uxor expellere colonum poteſt? Ita videtur *l. ſi filioſam.* 25. §. *ult. D. Sol. matr. l.* 1. §. *ult. D. de dot. præleg. Coſtal. in d. l.* 25. *Barboſ. ibid. n.* 2. *& ſeqq. Duar. ibid. Cov.* 2. *reſ.* 15. *n.* 5. *Gomeſ. d. cap.* 3. *n.* 8. *Giphan. in d. l. emptorem pag.* 331. Diſſ. *Sichard. in ead. l. emptorem n.* 14.

18. Si tutor, curator, aut alius legitimus adminiſtrator rem ex officio locaverint, finita adminiſtratione non poteſt conductor à domino expelli ante tempus *arg. l. ſi tutelæ* 8. *D. de admin. tut. junct. l. qui fundum* 7. §. *ſi tutor* 3. *D. pro emt. Gomeſ. d. cap.* 3. *n.* 8. *Giph. d. loc. pag.* 332. *Sich. d. n.* 14. *Barboſ. d. loc. n.* 7. Unde quia maritus hodie eſt legitimus curator uxoris, ſuperior ſententia hodie non æquè procedere poterit. *Papon. lib.* 10. *tit.* 3. *art.* 1 *in not.*

19. Si faber conduxerit ædes propè doctorem vel ſcholarem, expelli eum poſſe ſtudiorum cauſa certatim tradiderunt Dd. *Mozz. d. tract. cap. ult. n.* 14. *Alciat. in l.* 1. *D. Sol. matr. n.* 51. *Menoch.* 2. *arb. caſ.* 237. *Latè Barboſ. in d. l.* 1. *part.* 7. *n.* 54. *& ſeqq.*

Vir.

Viv. 2. com. opin. 88. Sed malè: neque enim quod publico ſtudentium cœtui tributum eſt, id ſinguli aut docentes, aut diſcentes ſibi vindicare poſſunt. *l. un. C. de ſtud. liberal. urb. Rom.*

20. Colonus quoque invito domino migrare ante tempus poterit, ſi uti frui non poſſit ædibus vel fundo conducto *l.* 25. *§.* 1. *& §. planè* 8. *l.* 25. *§. ſi vicino* 2. *l. ſi fundus* 33. *D. h. tit.* Si fundus venditus, vel legatus alii ſit, *arg. d. l.* 25. *§.* 1. *l. qui fundum* 32. *D. eod. l. emtorem* 9. *C. eod.* Neque ſolum ſi prohibeatur frui à domino, ſed etſi ab alio. Item metu ruinæ migrare poteſt, metu adventantis exercitus, vel latronum *l.* 13. *§. exercitu l. habitatores* 27. *§.* 1. *d. l. ſi fundus* 33. *§. ult. & l.* 34. *D. eod.* metu ſpectrorum *Mornac. in d. l.* 27. *§.* 1. *Gothofr. ibid. Gomeſ. d. cap.* 3. *n.* 3. *Covar.* 4. *var. reſol.* 6. *Papon. d. tit.* 3. *arr. app.* 10. *Tuld. ad C. h. tit. n.* 13. Ad metum vero peſtilentiæ vix hoc extendi poteſt *Giph. d. l. emptorem pag.* 335.

DISPU-

ISPUTATIO VIGESIMA PRIMA,

DE

Locatione Operis, Operarum, Navium, Vehiculorum &c.

Reſp. NICOLAO FLAGINCK, *Lingenſi.*

1. SI fulloni veſtimenta polienda dederis, nulla mercede ab initio conſtituta, ſed poſtea tantum daturus, quantum inter vos convenerit, non eſt locatio conductio, ſed contractus innominatus §. 1. *Inſt. de loc. cond. l. 5. §. at cum do l. ſi tibi polienda* 22. *D. de præſcr. verb.* Sed quæritur, utrum articulus ſit do, ut facias, an facio ut des? Priorem intelligit Cujac. *in not. ad d.* §. 1. Nos poſteriorem malumus; nec deterret *d. l.* 5. §. *quod ſi faciam D. de præſcr. verb.*

2. Si cum aurifice tibi convenerit, ut ex ſuo auro certi ponderis, certæque formæ anulos faciat, & accipiat e. g. à te decem; neque locatio eſt, neque articulus innominatus, ſed emtio venditio §. *item quæritur Inſt. de loc. cond. junct. l. Sabinus* 20. *D. de contr. emt.* Nec adverſatur *l. item ſi pretio* 22. §. *cum inſulam D. loc. cond.* Sed nec Hotomannus *in epit.* recte committit in hac ma-

teria *l. in navem* 31. *D. eod. cum l. convenit* 65. *D. de contrah. emt. & l. ſcribit.* 34. *D. de aur. & arg. legat.*

3. Cum conductio utriuſque utilitatem contineat, tam locantis, quam conducentis, ſequitur, non ad exactiſſimam, ſed exactam duntaxat diligentiam conductorem adſtringi *l.* 5. §. *nunc videndum D. commod. l. contractus* 23. *D. de R. J. l.* 3. §. *ait prætor D. naut. caup. ſtabul.* Nec adverſatur §. *pen. Inſt. h. tit. l ſi merces* 25. §. *pen. D. eod. l. in judicio* 28. *C. eod.* Variè Dd. *Gloſ. Hotom. Baro, Vult. Mynſ. Schn. Weſ. in d.* § *pen. idem Hotom.* 4. *obſ.* 22.

4. In ſpecie artifices, diligentiam ſecundum præcepta artis adhibere debent: quod Dd. extendunt uſque ad infimum caprarum vel vitulorum cuſtodem *l. ſi quis domum* 9. §. *Celſus D. locat. Angel. & Schneid. in* §. *præterea Inſt. de leg. Aquil.* Utrum ergo exactam an exactiſſimam? Exactam crediderim, ex natura hujus contractus. Sane Molinæo *in extric. Labyr. n.* 49. 50. *& ſeqq.* Mornacio *ad l. tenetur* 6. §. *ſi vas D. de act. emt.* artificibus periculum indiſtincte adſcribentibus, aſſentiri non poſſum. *d. l.* 9. §. *Celſus. & l. item quæritur* 13. §. *ſi gemma D. locat.*

5. Nec aſſentiri iiſdem poſſum cum ex *d. l.* 22. §. *cum inſulam D. eod.* adſtruere ſatagunt, artifices præciſè cogi ad factum artis

nis ſuæ, nec liberari oblata rei æſtimatione, vel eo quod intereſt. Cur enim artifices præciſè cogamus, cum regula quæ de obligatione ad faciendum loquitur, artifices à reliquis promiſſoribus non ſeparet? *l. ſtipulationes non dividuntur* 72. *D. de V. O. l. ſi quis ab alio* 13. §. 1. *D. de re jud. d. l.* 13. §. *ſi lege l. inſulam* 58. §. 1. *D. locat. cond.* Ac ne librarium quidem excipimus ſtudiorum favore, quem male obtendit Gloſſ. *in l.* 21. §. *ſive autem D. de oper. nov. nunc.*

6. Illud nihilominus verum, ſi artificis induſtria electa ſit, non poſſe eum opus facere per ſubſtitutum *l. inter artifices* 31. *D. de Solut. & liberat. ubi Gloſſ. Azo in ſum. C. locat. n.* 6. *Sich. ad eand. rubr. n.* 5. *& ſeqq. Mornac. ad l.* 21. *C. de epiſc. & cler. Gail.* 1. *obſ.* 97. *n.* 3. Quod autem dicunt Doctorem, qui per annos xx. docuit, docere per ſubſtitutum poſſe, vereor ut ſatis probet *l. nullus* 60. *C. de decur.*

7. Convenire poteſt non ſolum ut opus arbitratu tertii fiat, verum etiam ut locatoris *l. ſi in lege* 24. *l. cum in plures* 60. §. *lege dicta D. locat. cond.* Nec obeſt *l.* 2. §. *non utique D. de condict. quod cert. loc. l. hæc venditio* 7. *l. quod ſæpe* 35. §. 1. *D. de contrah. emt. l. ſtipulatio* 17. *D. de V. O. Gabr. Mudæ in d. l.* 7. *&* 35. *Hotom. in* §. *pen. Inſt. de emt. vendit. Pac. cent.* 5. *antin.* 3. Quod ſi iniquum ſit arbitrium non eſt dubitandum

H 2 judi-

judicio bonæ fidei corrigi poſſe *l. ſocietatem* 76. *& ll. 2. ſeqq. D. pro ſoc.* Nec mutat *l. ult. verſ. omnimodo C. de contrah. empt. l. ſi quis arbitratu* 43 *D. de V. O. l. in compromiſſis* 45. *D. de recept. Pac. d. loc. Cujac. in d. l.* 43. *de V. O.*

8. Operis effectus in partes dividi nequit *l.* 2. §. *item ſi in facto l. in executione* 85. §. *ſecunda D. de V. O. l.* 11. §. *ſi in opere* 23. *D. de leg.* 3. Nec reclamat Alfenus *in l. qui inſulam* 30. §. *qui ædem D. locat. cond.* cum ſcribit, etiam imperfectum opus metiendum, pretiumque pro eo ſolvendum. Sed nec impedimento eſt operis natura, quo minus pœna aut id quod intereſt dividatur *l.* 4. §. *Cato l. ſtipulationes non dividuntur* 72. *D. de V. O. l. ſi quis ab alio* 13. §. *ult. D. de re jud. l. ſi quando* 8. *D. de oper. libert. Vide Dd. in d. l.* 2. 4. 72. 85. *D. de V. O.*

9. Qui operas ſuas locavit, totius temporis mercedem accipere debet, ſi per eum non ſtetit, quo minus operas præſtet. *l. qui operas* 38. *D. locat.* Itaque etſi in annum operæ locatæ ſint, mortuo conductore locatori totius anni merces debetur, ſi non eodem anno ab alio mercedes accepit *l. ſed addes* 19. §. *pen. & ult. D. eod.* Idem de advocato dicemus cui in annum ſalarium promiſſum eſt *d. l.* 38. §. 1. *D. eod.* Sed ſi mortuus ſit advocatus vel locator, hæres non poteſt totius anni mercedes petere *arg. l.* 15. §. 1. *C. de adv.* 1. *l.* 3. §. *ult. C. de adv.* 2. *Diſſ. com. Dd.*

ſecuti

ſecuti Accurſ.in l. 1. §. *Divus D.de extraord. cognit.*

10. Qui vaſa vitioſa locavit, licet ignorans, tamen in id quod intereſt tenetur *l. ſed addes* 19. §. 1. *D. locat.* Nec contradicit *Ulp. in l. Julian.* 13. *pr. junct. l. tenetur* 6. §. *ſi vas aliquod D. de act. emt. Gloſſ. in d. l.* 19. §. 1. *verb. excuſata. Pac. cent.* 8. *antin.* 66. *Hotom. in diſput. de eo quod intereſt cap.* 3. *n.* 12.

11. Veſtimenta locata conductori furto ablata ſunt: furti actio utrum conductori an domino datur? Conductori *l. itaque* 12. *pr. junct. l. is cujus intereſt* 85. *D. de furt.* §. *item ſi fullo Inſt. eod.* Nec adverſatur *l. cum in plures* 60. §. *veſtimenta D. locat. Gloſſ. in d.* §. *veſtimenta verb. agere. Dd. in d.* §. *item ſi fullo. Pac. cent.* 5. *antin.* 21. *Donel. lib.* 15. *com. c.* 30. *verſ. hæc actio:*

12. Si duobus vehiculum locatum ſit, tametſi videantur pro parte uti, dolum tamen & culpam uterque in ſolidum præſtare debet, *l.* 5. §. *ult. D. commod. l. ſi diviſa* 13. *C. de locat. junct. l.* 1. §. *ſed ſi duo* 22. *D. depoſ. eandem* 9. *D. de duob. reis. Hotoman. illuſt. l. quæſt.* 19. Sed an alter in ſolidum conventus tueri ſe poteſt exceptione diviſionis ex nov. 99? Neque id aſſeri, neque negari ſimpliciter poteſt. Vide *l.* 1. §. *planè D. tutel. & rat. diſtrah. l. ſi à reo* 70. §. *ult. D. de fidejuſ. l.* 38. §. *ult. D. de adm. tut.*

13. Auriga vel tabellarius, qui pecunias

merceſve perferendas acceperat, in itinere ſpoliatum ſe queritur: an fides habenda? Non niſi confeſtim id doceat, teſtibus à loci Juridico auditis *arg.l.* 2. *C.de naufr. Mornac. in l. ſi mei cauſa* 12. §. 1. *D. commod. Stracch.de naut.part.* 2. Quiſquis enim caſum allegat, legitimè eum probare debet *Hart. Piſtor.* 1.*quæſt.* 18. *Maſcard.vol.*1. *de probat.concl.*271.*& ſeq.* N c adverſatur, quod vulgo dicitur: Bajulo,de iis quæ portaſſe ſe dicit, plenam habendam fidem: *Maſcard.vol.* 3. *concl.* 1364.*n.* 61. *Rot. Gen. deciſ.*94.*& deciſ.*121.*n.* 5.

14. Nautæ vectura repræſentata eſt: is non culpa ſua, ſed caſu munere vehendi functus non eſt: an vecturam repetere poſſum? Ait *l. ex conducto* 15. §. *item cum quidam D. locat.* Negat *l.pen.* §. 1. *eod.l.pen.C. de cond. ob cauſ. dat.* Nullum hic diſſidium eſt. *Gloſſ. in d.* §.*item cum quidam verb. perſonis Hotom.& Donel. in d. l.pen. C.de cond. ob cauſ. Pac. d. cent.*5.*antin.* 18. *cent.* 3.*antin.* 96. *Stracch. de nav.part.* 3.*n.*24.

15. Si plures navem exerceant, ſinguli in ſolidum tenentur, ſi modo non per ſe, ſed per magiſtrum exerceant *l.* 1.§.*ult.& ll. ſeqq. D.de Exercit. act.* Nec eſt huic contrarium Ulpiani reſponſum *in l. ult.* §.*pen. D. naut. caup. ſtabul. Gloſ. in d.l.*1.§.*ult. verb.in ſolidum. Duar. ad tit. D. naut. caup. ſtabul. Pac. cent.*4.*antin.* 52.

16. Si

16. Si plures frumenta ſua in navem immiſerint, non tabulis aut cronibus diſtincta, tametſi in creditum iri videatur, actio tamen locati competit. Et ſi uni nauta frumentum bona fide reddiderit, dein perierit navis, non tenetur reliquis mercatoribus actione oneris averſi: ſufficit culpam ab eo præſtari *l. in navem* 31. *D. locat: de qua poſt Gloſſographos conſule Cuj.* 7. *obſ.* 39. *Coſtal. in adverſ.*

17. Si jactus mercium navis levandæ gratia factus ſit, æquiſſimum eſt damnum contributione factâ ſarciri *l.* 2. *princ. D. ad leg. Rhod. de jact.* Neque reclamat Ulpianus *in l. qui ſervandarum* 14. *pr. D. de præſcr. verb. Gloſſogr. in d. l.* 14. *verb. nulla tenetur Donel. in com. ad tit. de præſc. verb. cap. ult.*

18. Contribuere autem debent omnes, non ſolum quorum merces navem onerant, ſed & qui gemmas, margaritas habent *l.* 2. §. *cum in eadem* 2. *D. de leg. Rhod.* Quid ſi anuli in ornamentis ſint? Adhuc conferre debent *d.* §. *cum in eadem in fin. Grot.* 3. *manud.* 29. §. *gemunt gelt Weitſen. tract. de avar.* Quid ſi alimenta? Quoniam deficiente annona in commune conferuntur, placuit contributioni non eſſe obnoxia *d.* §. *cum in eadem.* Ergo furtum non facit, qui ſtimulante fame cellam penuariam effringit? Imo facit *l.* 1. § *furtum D. de furt.*

19. Æſtimantur vero jactæ merces eo

pretio, quo emtæ ſunt: Servatæ, quanti venire poſſunt *d. l. 2. § portio autem.* Idque proportione juſtâ, ut plus conferant, quorum merces majoris pretii fuerunt. Quare nequaquam probandum exemplum eſt & computatio quâ nonnulli uſi ſunt. Primi merces, quæ jactæ ſunt, erant x. Secundi xx. Tertii xl. Primus, inquiunt, conferet I. Secundus II. Tertius IV. *Hotom. in epit. ad leg. Rhod. n. 4. in fin.*

20. Publicani qui antehac vectigalia conduxerant, non coguntur reconducere, niſi maximum lucrum fecerint, & non poſſint vectigalia tantidem locari *l. 3. §. cum quinque D. de jur. fiſc. l. locatio 9. §. 1. l. cotem 11. §. ult. D. de Public. & vectigal. Afflict. in c. un. Quæ ſint regal. n. 61. Sixtin. 2. de regal. 6. n. 93. Sand. deciſ. lib. 3. tit. 6. def. 4.* Neque qui licitatione victus eſt, ſtatim liberatur: namque ſi victor idoneus non ſit, victo addici vectigalia poſſunt. *Mornac. in l. 1. & 9. D. de in diem addict.*

21. Conduxerat quis vectigal totius provinciæ: poſt adjectum eſt provinciæ oppidum aliquod: an pertinet ad conductorem hujus quoque oppidi vectigal? Non pertinet. *arg. l. 9. §. huic vicinus D. de uſufr. l. Rutilia 69 l. in lege 77. D. de contrah. emt. Duar. in l ſi ex toto 8. D. de leg. 1. Peregr. de jur. fiſc. lib. 6. tit. 5. n. 34.*

DISPU-

DISPUTATIO VIGESIMA SECUNDA,

DE

EMPHYTEUSI.

Reſp. GERHARDO EEVERDES, *Emdano.*

1. Emphyteuſis eſt contractus ex conſenſu, quo dominus uſum & fructum, & quaſi dominium prædii ſui concedit alteri, in perpetuum, vel ad certum tempus, ſub onere culturæ & vectigalis annui. §. *adeò Inſt. de locat. conduct. l. 1. D. Si ag. vectig. vel emphyt. pet. l. 1. & ſeqq. C. de jur. emphyt.*

2. Prædium diximus, quia non ſolum fundi, ſed & ædes in emphyteuſin concedi poſſunt, *auth. ſi quas ruinas C. de SS. eccleſ. nov.* 120. *cap.* 1. §. *ult. Cuj. in nov.* 7. Scripturæ nullam fecimus mentionem, quia contractus eſt juris gentium, qui ſcripturam non deſiderat. *l. 2. D. de O. & A. l. contractus* 17. *C. de fid inſtrum. Conn.* 7. *com.* 12. *n.* 6. *Giphan. ad l. 2. C. h. tit. Molin. ad conſ. Pariſ rubr. de cenſ. n.* 38. Diſſ. præter vulgus *Coraſ. ad l. 1. C. h. tit. n.* 12. *Hotom. diſp. feud.* 35. *Donel.* 9. *com.* 13.

3. Contrahitur emphyteuſis vel ſimpliciter, vel certæ familiæ, certarum

perſonarum gratia. Priore caſu in quemvis hæredem tranſit: poſteriore familiam vel perſonas non egreditur. Fingamus conceſſam eſſe pro emphyteuta & filiis, filiorum appellatione naturales non comprehendemus *l. filium 6. D. de his qui ſunt ſui vel al. jur.* *Palæot. de noth. & ſpur. cap.* 30. comprehendemus nepotes *l. filii* 84. *l juſta* 201. *l. liberorum* 220. *pr. &* §. *ult. D. de V. S. Möller* 5. *ſemeſtr.* 71. comprehendemus etiam fœminas, cum *Dec. in l. fœminæ n.* 108. *D. de R. J. Alciat. in l.* 1. *de V. S. Molin. in Pariſ. conſ.* §. 19. *n.* 4. *arg. l.* 1. *D. de V. S. l. qui duos* 63. *D. de leg.* 3. *cum ſimil.*

4. Tranſit in emphyteutam pleniſſimum fruendi jus, omneſque reditus atque acceſſiones ad eum pertinent: veluti venationum, piſcationum, aucupiorum, lapidicinarum, fodinarum reditus, alluvionum commoda *arg. l.* 9. *pr. &* §. *ſed ſi lapidicinas l.* 13. §. *inde eſt quæſitum D. de uſufr.* Quid ſi inſula juxta fundum emphyteuticum nata ſit? Verius eſt, & hac emphyteutam frui poſſe, non obſtante *d. l.* 9. §. *ſed ſi inſula arg. l.* 1. *verſ. ſiquidem tanta C. h. tit.*

5. Theſaurum quoque in fundo emphyteutico repertum plerique totum emphyteutæ adjudicant. *Coraſ. in d. l.* 1. *n.* 17. *Giph. in l.* 2. *C. h. tit. pag.* 357. & 359. *Arg. ad conſ. Brit. art.* 53. *gl.* 2. *n.* 6. *Burg. ad conſ. Flandr. tract.* 12. *n.* 15. *Schneid. ad* §. *the-*

ſau-

ſauros Inſt. de rer. diviſ. n.6. Nobis rectius videtur, theſaurum dividi inter dominum & inventorem, *arg. d. §. theſauros. junct §. adeò Inſt. de locat. cond. l. fructus 7. §. ſi fundum D. Sol. matr. Specul. de emphyt. n. 158. & ib. Andr. in not. Mornac. ad l. 67. D. de R. V. Sich. in d. l. 1. n. 27.*

6. Pro fructu canonem annuum præſtare emphyteuta domino debet, ſive is conſiſtat in pecunia numerata, ſive in certa quantitate fructuum. Nec dividitur præſtatio canonis, ſi forte plures emphyteutæ heredes exiſtant, *arg. l. communi 7. D. Com. divid. Conn. d. c. 12. Sich. ad l 2. C. h. tit. n. 7. Giphan. ibid. pag 359. Clar. §. emphyteuſis, quæſt. 8. n. 13. Coſtal. ad l. 8. §. ſi unus D. de pign. act. Sand. part. 1. de prohib. rer. alien. cap. 4. n. 19.* Diſſ. *Coraſ. in d. l. 2. n. 11. & 25. Mynſ. 3. obſ. 66. Fach. 1 contr. 97.*

7. Debet etiam fundum arando, ſtercorando, poliendo, inſerendo meliorem facere: ab inſitione enim emphyteuſis dicta eſt. Inde quæſitum, an faciem loci mutare poſſit, veluti ex ſylva facere novalia, ex agro paſcuo vineam? Verius eſt & hoc poſſe emphyteutam. Nec prohibet *l. ſi cujus 13. §. fructuarius 4. l. uſufructuarius 44. & 61. D. de uſufr. Giphan. in d. l. 2 pag. 357. Menoch. conſil. 13. n. 13. & 17.* Ac licet contradicere videantur Jaſ. *in l. 1. C. h. tit. n. 99.* Barboſ. *ad l. divortio §. ſi fundum, n. 20. D.*

Sol. matr. Borch. *de feud. cap.* 2. *n.* 33. *Gail.* 2. *obſ* 67. *in fin.* aliique ab his laudati, commoda tamen interpretatione conciliari nobis poſſe videntur.

8. Onera quoque ſuffert emphyteuta, non ſolum ſtata & annua, veluti, tributa, ſtipendia, decimas: verum etiamquæ temporis cauſa indicuntur, veluti inſtaurandæ viæ &c. *arg. l.* 7. § *quoniam l.* 27. §. *ſi quid cloacarii l. uſufr. relicto,* 52. *D. de uſufr. l. quæro* 28. *D. de uſ. & uſufr. leg. l. ſecundum naturam* 10. *D. de R. J.* niſi fortè canonis indictioniſque magnitudo ſuadeant, onus dividendum eſſe inter dominum & emphyteutam. *Clar. d.* §. *emphyteuſis quæſt.* 46. *Valaſc. de jur. emphyt. quæſt.* 17. *num.* 8. *& ſeqq. Giphan. d. l.* 2. *pagin.* 356. *adde Grot.* 3. *manud.* 18. §. *alle gemeene.*

9. Adhæc damnum omne particulare ad emphyteutam ſpectat: univerſæ rei interitus ad dominum *l.* 1. *C. h. tit.* Sed hæſitatum, quod ſit particulare damnum? Martinus intellexit damnum, quod medietatem fundi non excedit: Bartolus, quod non impedit, quo minus penſio corrodatur ex eo quod ſupereſt. Rectius Bulgarus; etiamſi majorem fundi partem calamitas abſtulerit, damnum emphyteutæ eſt. Ita enim & Græci accepiſſe *d. l.* 1. videntur: *Eclog. baſil. tit.* 20. *pr. Theophr. in paraphr.* §. *adeò Inſtit. d. locat. cond.* & ex Latinis præter

Bulgarum

Bulgarum *Coraſ. ad d. l. 1. num. 15. Sich. ibid. num. 24. & ſeqq. Clar. d. quæſt. 8. num. 8.*

10. Unde apparet, ob ſterilitatem non poſſe emphyteutam impetrare remiſſionem mercedis, tametſi impetret colonus. *Giph. d. loc. Cond. cap. 12. n. 7. Corbul. de jur. emphyt. cap. 15. n. 12. Tuld. ad h. tit. n. 4. Fach. 1. contr.* 89. Neque excipimus eum, qui penſionem non modicam ſolvit domino. Diſſ. *Gail. 2. obſ. 23. n. 24. 25. Clar. d. quæſt. 8. n. 7. Sich. d. loc. n. 26. & 28.* Si tamen hoſtis colonos expulerit, tametſi ager poſtea recuperatus ſit, non tamen tenetur emphyteuta medii temporis canonem ſolvere, niſi fructus quoque ejuſdem temporis recuperaverit. *Molin. ad conſ. Pariſ. §. 85. n. 75. Coraſ. l. 1. C. h. num. 19. Clar. d. quæſt. 8. num. 6. Grot. 3. manud.* 18. §. *ſoperſ. pa. his plib. Fach. 1. contr.* 90.

11. Idem dicemus, ſi inundatione fluminis vel maris fundus perierit, dein reſtitutus fuerit; *Add. ad Clar. d. loc. Alex. volum. 1. conſil. 112. Sich. d. loc. num. 31. arg. l. 3. §. Labeo l. qui univerſus 30. §. item quod mari D. de adq. vel amit. poſſ. l. ſi in venditione 10. §. 1. D. de peric. & com. rei vend. l. cum unus 12. §. ult. D. de reb. auct. jud. poſſid.* ſi modo relicto Alfeno Varo *in l. Attius 38. D. de adq. rer. dom.* ſectemur æquitatem

 Caji

Caji & Pomponii, *in l. 7. §. quod ſi toto. l. ergo 30. §. alluvio. D. eod.*

12. Amittit emphyteuta jus ſuum ſi toto triennio canonem non ſolverit; aut biennio, ſi cum eccleſia contraxerit *l. 2. C. h. tit. nov. 7. c. 3. §. 2. nov. 120. c. 8.* Et quidem ipſo jure, *d. l. 9. verb. volenti ei licere:* & mox *ſed omnimodo eo ſi dominus voluerit repellendo.* dein: *Suo jure is qui emphyteuſin accepit cadat. Gipb. d. l. 2. pag. 361. Saud. d. part. 1 de prob. rer. al. c. 4 n. 16. Vaſq. 6. contr. ill. 64. Corbul. cap. 15. ampl. 45. Donel. 9. com. 15. verſ. nec diſsimilis. Coraſ. in d. l. 2. n. 16.* Sanè ſi neget emphyteuta commiſſum, cognitione & ſententia opus eſt; non etiam ſi fateatur. Ita temperabimus eorum placitum, qui ſententiam declaratoriam requirunt. Vide *Sich. in d. l. 2. n. 18. Borch. d. cap. 3. de feud. n. 25. Mornac. l. ult. D. de tranſact. Mynſ. cent 3. obſ. 65. & cent. 6. obſ. 77. Gail. 2. obſ. 51. n. 7. Fach. 1. contr. 93. Clar. quæſt. 9.*

13. Amittit autem jus ſuum non ſolùm ſi toto triennio nihil ſolverit, ſed etſi non totum ſolverit. *Zoan. 1. rer. cot. 8. Corbul. d. cap. 15. ampl. 5. Coraſ. d. l. 2. n. 11. Salicet. n. 6. Berlich. 2. concl. 46. n. 18.* Neque poſt triennium oblatione moram purgare poteſt *l. 2. C. de fund. patr. Con. d. cap. 12. n. 9. Gipb. d. l. 2. pag. 361.* Si tamen oblatum canonem poſt triennium dominus abſque ulla proteſtatione acceperit, commiſſo renu-

nuntiaſſe videtur *Fac. l.* 72. §. 1. *de Solut. Clar. quæſt.* 10. *Menoch.* 3. *præſumt.* 112. *Corbul. d. cap.* 19. *limit.* 21. *Borch. de feud. cap.* 3. *n.* 28. *Fach.* 1. *contr.* 99.

14. Si dominus pœnam ſtipulatus ſit, canone non ſoluto præſtandam, an eo ipſo videtur commiſſo renuntiaſſe? Verius eſt non renuntiaſſe: altero tamen electo, alterum remedium conſumitur. *arg. l.* 4. §. *ſi ex conventione D. de re jud. l. fundus* 9. *D. de ann. legat. l. reſcriptum* 10. §. 1. *D de pact. l. pacto* 15. *& l. ſeq. D. de tranſact. l. prædia* 28. *D. de act. emt. Coraſ. d. l.* 2 *n.* 11. *Giphan. pag.* 364. *Clar. quæſt.* 8. *n.* 11. *Corbul. d. cap.* 15. *ampl.* 9. *n.* 8. *Donel.* 9. *com.* 14. *verſ. quarta* Diſſ. *Sich. d. l.* 2. *n.* 15.

Amittit etiam emphyteuta jus ſuum, ſi id abſque domini conſenſu alii vendiderit *l.* 3. *C. h. tit.* Quod utrum de venditione perfecta, an adimpleta ſit accipiendum, controvertunt Dd. Sed æquius videtur de adimpleta id intelligi. *Molin. de feud.* §. 20. *gloſ.* 5. *n.* 3. *& de cenſ.* §. 82 *n.* 1. *Coſtal. ad l.* 1. §. *ſi rem depoſitam D. depoſ. Clar. quæſt.* 13. *n.* 3. *Sand. d. cap.* 4. *n.* 13. *poſt Specul. de emphyt. n.* 118. Diſſ. *Giph. pag.* 365. Fluctuat *Coraſ. ad d. l.* 3. *n.* 8.

16. Quid ſi partem duntaxat alienaverit emphyteuta? an amittit totam emphyteuſin? Negantium quidem ſecta invaluiſſe videtur: *Clar. d. quæſt.* 13. *n. ult. Gramm. de-*

ciſ.

ciſ. 49. *Hart. Piſtor.* 1. *quæſt.* 21. *num.* 7. *Tiraquel. de retract. gentil.* §. 23. *gloſ.* 1. *num.* 28. *Zoan. rer. cotid.* 8. *num.* 3. rectè tamen huic ſe oppoſuerunt *Giphan. d. pagin.* 365. *Trentacinq.* 3. *reſol.* 8. *num.* 2. *Sand. d. cap.* 4. *num.* 15.

17. Utrum ſola venditio prohibita eſt, an & donatio? Etiam donatio, & permutatio, in ſolutum datio *d. l.* 3. *C. h. tit. verb. vendere vel transferre, & verb. pretii vel æſtimationis &c. Donel.* 9. *com.* 14. *Molin. de cenſ.* §. 82. *num.* 3. *& ſeqq. Sarmient.* 3. *ſel. interpr.* 2. *Sand. d. cap.* 4. §. 1. *num.* 7. *Fach.* 3. *contr.* 97. *&* 6. *cap.* 98. Diſſ. *Giphan. pagin.* 366. *Sich. ad d. l.* 3. *num.* 19. *&* 20. *Coraſ. num.* 9. qui tamen duo Dd verbis magis, quam re ipsâ diſſentire putant. *Tuld. ad h. tit. num.* 8.

18. Etiam ſi fundum emphyteuticum deteriorem reddat emphyteuta, expelli poteſt. Quod de emphyteuſi eccleſiæ expreſſum *nov.* 120. *cap.* 2. non malè Dd. producunt ad alias emphyteuſes *arg. l.* 3. *C. de loc. l. quæro* 54. §. 1. *D. eod. c. un.* §. *quicunque advocatiam, de pac. ten. Clar. quæſt.* 26. *Chaſſ. ad conſ. Burg. rubr.* 4. §. 6. *verb. conſervare num.* 17. *Giphan. d. l.* 2. *pagin.* 368. *Coraſ. ibid. num.* 13. *Hartman. Piſtor. d. quæſt.* 28. *num.* 3. *Borch. d. cap.* 3. *num.* 33. *Menoch. arb. caſ.* 78. *Mynſ.*

Mynſ. 6. *obſerv.* 86. *Gail.* 2. *obſ.* 67. *n.* 7. *Thoming. deciſ.* 52. *n.* 12. *Zoan. d. cap.* 8. *n.* 7. & 8.

19. Meliorationes quod attinet, ſi quidem emphyteuſis ſine culpâ emphyteutæ finiatur, omnes ei præſtandæ ſunt, ſive ex naturâ, aut lege contractus factæ ſint, ſive præter contractus legem *Clar. quæſt.* 45. *Trentac.* 3. *reſol.* 9. *num.* 2. *Borch. d. cap.* 2. *num.* 31. Diſſ. *Sarmient.* 3. *ſelect. interpr.* 4. *Fachin.* 1. *controv.* 92. *Harp. in addit. quæſt. Clar.* Quod ſi ob culpam expellatur emphyteuta, eas tantum perdit, quas ex lege contractus facere tenebatur. *Molin. de feud.* §. 1. *gloſſ.* 5. *num.* 76. & *ſeqq. Coraſ. d. l.* 2. *num.* 20. *Valaſc. de jur. emphyt. quæſt.* 45. *num.* 3. *Garſ. de melior. cap.* 6. *n.* 20. & *ſeqq. Sand. lib.* 3. *deciſ. tit.* 6. *def.* 6.

20. Quantum ad laudemium, ſi vendatur fundus, quinquageſima pars pretii eſt: ſin donetur, non pretii, ſed æſtimationis *l.* 3. *h. tit. Donel. d. cap.* 14. Quod ſi emphyteuta cum emponematis vendat etiam mobilia ſua, pro mobilibus non debetur, *Mornac. ad l.* 10. *D. de ſtat. homin. Arg. de laudem. cap.* 1. §. 33. & *ad conſ. Britan art.* 59. *gloſſ.* 3. *num.* 3. Neque debetur, ſi hæredes emphyteuſin dividant

Coſtal.

Digitized by Google

Coſtal. ad l. 1. & 10. D. famil. erciſc. Morn. ad l. 52. §. pen. eod. Mod. Piſtor. quaſt. 37. H. Piſtor. 1. qu. 50. n. 55. Coler. deciſ. 33. n. 32. & 40. Videturque onus emtoris potius eſſe, quam venditoris, *arg. l. debet 27. D. de ædil. ed. Gloſ. in l. 3. h. tit. verb. accipere. Coraſ ibid. n. 22. Sich. n. 33. Arg. de laud. cap. 3. Coler. d. deciſ. 33. n. 4. H. Piſtor. d. quæſt. 50. n. 4. Clar. quaſt. 23. n. 4.*

DISPUTATIO VIGESIMA TERTIA, DE SOCIETATE.

Reſp. HENRIC. LUDOLPH. GOCKINGA. *Groen-Friſ.*

1. SOcietas eſt contractus ex conſenſu, quo inter duos pluresve, vel rerum ipſarum, vel lucri & damni communio contrahitur. Itaq; ſecundum naturam hujus contractus eſt, ut utrinque aliquid conferatur: donationis enim cauſa ſocietas non rectè contrahitur *l. 5. §. ult. D. pro ſoc. l. Senatus 35. §. ſi quis ſocietatem D. de mort. cauſ. donat.*

2. Ut ſocietas contracta dicatur, tractatu opus eſt *l. ut ſit. 31. & l. ſeq. D. h. tit.* Itaque ſi duo rem eandem emerint, non illicò ſocietatem contractam dicemus: nec move-

vebimur 2. *C. eod. l.* 4. *l. D. eod. l.* 2. *D. comm. divid.* Vide præter veteres *Zaſ. ad §. quædam Inſt. de act. Mudæ. ad d. l.* 4. *Duar. ad h. tit. cap.* 1. *Donel. ad rubr. C. n.* 8. *Roncbegal. ad l. reos* 11. *D. de duob. reis num.* 44.

2. Contrahitur ſocietas vel omnium bonorum, vel certæ rei, certæve negotiationis, vel ſimpliciter nulla facta mentione rerum. Omnium bonorum ſocietate contracta, quicquid contrahentes tempore conventionis habuere, id ipſo iure communicatur, exceptis nominibus *l.* 1. §. 1. *l.* 2. *l.* 3. *pr. D. h. tit.* Quæ verò poſt contractam ſocietatem uni ex ſociis obvenerint, abſque traditione non communicantur, *l. ſi ſocietatem* 73. *l. ſeq. D. h. tit. l. ſi quis uxori* 52. §. *ſi ex duobus D. de furt.*

4. Feuda non communicantur, ſed fructus duntaxat feudorum *c.* 1. *Qual. ol. feud. pot. alien.* §. *Mediolanenſes, de alien. feud. c.* 1. *de prohib. feud. alien. per Lothar.* §. *unde Lotharius de proh. feud. alien. per Frider. Everh. conſ.* 53. *n.* 9. *Clar.* §. *feudum quæſt.* 31. *n.* 10. *Tiraq. de retr. gent.* §. 1. *gloſ.* 3. *n.* 4. *& ſeqq. Afflict. ad §. in generali, Si de feud. def. cont. fuer.* Idem dicemus, ſi alter ex ſociis habeat bona fideicommiſſo onerata *arg. l.* 3. §. *ſed quia &* §. *ſeq. C. Com. de legat. Hect. Felic. de Societ. cap.* 12. *n.* 34. *Jac. Cor. conſil.* 25. *n.* 19. *& ſeqq. NeoStad. deciſ. cur. Holl.* 25. *in fin.*

5. Sicut autem communicantur omnia bo-

bona, ita etiam erogationes neceſſariæ ex communi arcâ fiunt, & ſocietati imputantur *l. cum duobus* 52. §. *ult. d. l. ſocietatem* 73. *D. h. tit.* Inde rectè infertur, ſi cui alter ex ſociis filiam deſpondeat, dotem ſocietati imputari, non ſoli patri puellæ, *arg. l. capite* 19. *D. de rit. nupt. l. ult. C. de dot. promis. Donel. ad rubr. C. pro ſoc. n.* 19. *Menoch.* 2. *arb. caſ.* 127. *n.* 3. *Cagnol. in l. ſi emancipati n.* 202. *C. de collat. Barboſ. ad leg.* 1. *Sol. matr. part.* 4. *num.* 87. Variè *Mozz. de Societ. cap. de natur. Societ. num.* 42. *& ſeq. Fontanel. de pact. anten. clauſ.* 5. *gloſſ.* 4. *num.* 5.

6. Idem dicemus de ſumtibus ſtudiorum, ſi fortè ſocius omnium bonorum filium ſtudiis initiari curaverit *arg. l.* 2. *C. de alim. pup. præſt. d. l.* 73. §. 1. *D. h. tit. l.* 4. *D. ub. pupil. educ. deb. l. de bonis.* 6. §. *non ſolum. D. de Carbon. ed. l.* 5. §. *non tantum D. de agnoſc. vel al. lib. Mozz. d. num.* 42. Favor enim ſtudiorum pene idem, qui dotis *Bartol. ad l.* 1. *in fin. D. Sol. matr. Jaſ. ibid. n.* 51. *Coraſ. n. ult. Menoch.* 2. *arb. caſ.* 237. *n.* 25.

7. Si ſimpliciter contracta fuerit ſocietas, nulla facta mentione rerum, ea duntaxat communicantur, quæ ex quæſtu cujuſque, id eſt, opera deſcendunt *l. coiri.* 7. *& l. ſeq. D. h. tit.* Hereditas autem, legatum, donatio, ſeu inter vivos, ſeu mortis cauſa, in quæſtu

non

non ſunt. *l. nec adjecit*. 9. *& l. ſeq. D. eod.* Quam definitionem ad conjuges quoque, qui quæſtus duntaxat communionem contraxere, rectè producunt *Barboſ. ad l. ſi ab hoſtibus* §. *fin. num.* 67. *&* 68. *D. Sol. matr. Fontanel. de pact. antenupt. clauſ.* 11. *gloſſ. un. n.* 7. *Herbaj. rer. cotid.* 14. *Cor. conſil.* 18. *n.* 18. *&* 23.

8. Si ſocietas ita fuerit contracta, ut alter ſortem, alter operas conferret, ſors finitâ ſocietate non dividitur, niſi hoc nominatim actum fuerit. §. *de illa Inſt. de ſociet. l. cum duobus* 52. §. *utrum l. ſi id quod quis* 58. *D. h. tit. l. ſi tibi rem* 13. §. 1. *D. de praſc. r. verb. Donel. in l.* 1. *C. h. t. n.* 3. *Schneid. in d.* §. *de illâ. Gail.* 2. *obſ.* 24. *n.* 6. *Cuyck. ad conſ. Cravet.* 158. *Muda. in l.* 29. *D. h. tit. in fin. Mozz. de ſociet. cap. de reb. num.* 4. *Fach.* 2. *contr.* 94. Diſſ. *olim Joan. & Accurſ. quos ſequitur Covar.* 3. *reſ.* 2. *num.* 2. *Menoch.* 2. *arb. caſ.* 125. *num.* 3.

9. Quid ſi ſors illa poſtea perierit? Tota conferenti perit, nec partem ſarcire tenetur ſocius, qui nullam in eâ partem habuit. *Schneid. in d.* §. *de illâ. num.* 6. *Soar. theſ. recept. opin. lit. S. num.* 126. *Covar d. num.* 2. *Mozz. de natur. ſociet. num.* 10. Diſſ. *Kuyck. d. loc.*

10. Quid ſi ab initio convenerit, ut lucrum quidem commune ſit, ſed damnum ſortis ſarciatur ab eo qui operas edit? Pactum

Pactum hoc non valere tradit *Gomeſ. 2. var. reſol. 5. n. 5. verſ. tertio. Gail. d. obſ. 24.* eo quod non ſocietas ſit, ſed contractus uſurarius: aut alioqui contra naturam ſocietatis ſit illa pactio *Mozz. de accid. ſociet. n. 6.* Nobis non ſolum ratio, ſed & ipſa definitio diſplicet. *Hartm. Piſtor. lib. 3. quæſt. 1. n. 31. arg. d. §. de illa verſ. & adeò. Inſt. h. tit. l. ſi non fuerint* 29. §. 1. *D. eod.*

11. Si de partibus ſocietatis nihil dictum fuerit, æquales ſpectantur, & in lucro & in damno. Æqualitatem intelligimus Geometricam, non Arithmeticam: partes enim reſpondent impendio §. 1. *Inſt. h. tit l. ſocietatem* 6. *d. l. ſi non fuerint* 29. *l. quid enim* 80. *D. eod. Hotom. Myns. Vult. & Dd. com. ad d.* §. 1. *Mudæ, ad d. l.* 29. *Hartm. Piſtor. d. quæſt.* 1. *n.* 3. *&* 6. *Menoch.* 2. *arb. caſ.* 125.

12. Quod ſi partes expreſſæ ſint, vel à contrahentibus, vel ab arbitro ab eis capto, hæ obſervandæ ſunt, modo non repugnent bonæ fidei *d. l. ſi non fuerint & l. ſocietatem* 76. *cum ſeqq. D. h. tit.* Bona autem fides dictat, ut plus auferat, qui plus contulit ſocietati *Gomeſ. d. cap.* 5. *n.* 5. *Piſtor. d. quæſt.* 1. *n.* 4 *Mudæ. ad d. l* 29. *Schneid. in d. §. de illa Mozz. de accidental. ſociet. à pr.* Diſſ. olim *Joannes, eumque ſequutus Fulgos. quorum argumenta refellit Mudæ, d. loc.*

13. Quoniam ſocietas omnium ſociorum utilitatem continet, exactam diligen-

tiam

tiam in curandis negotiis communibus ſocii præſtare debent. *§. ult. Inſt. de ſociet. l. cum duobus* 52. *§.* 1. *l. ſocius* 72. *D. eod. l. contractus* 23. *D. de R. J. l.* 5. *§. nunc videndum D. commod. l ſi ſervus* 108. *§. cum quid tibi D. de leg.* 1. Cui conſequens eſt regulam, Non fraudat, qui conditione acquirendi non utitur, in ſocietate locum non habere. Ita recte olim *Hugol. & Bald. eoſque ſecutus Mudæ. ad l.* 68. *§. illud quæritur D. h. tit. Mornac. in ead. l.* 68. *Moz. de natural ſociet. n.* 17.

14. Socius invito ſocio ad mercatum profectus jacturam fecit: non eſt ea jactura communis, ſed ſoli profecto imputatur. Ex contrario ſi lucrum fecerit, non poteſt ſocius ejus aſpirare ad partem lucri, qui particeps periculi eſſe recuſavit *d. l.* 29. *§. ult. & l.* 30. *D. h. tit. l. ſecundum naturam* 10. *D. de R. J. Plat. Angel. Schneid. in §. illud expeditum Inſt. h. tit.*

15. Si ſocius in alia re lucrum fecerit, in alia damnum, non compenſatur lucrum cum damno. *l. non ob eam rem* 25. *l. & ideò* 26. *D. h. t.* Et licet Mornacius ibidem notet, Pariſienſi advocationi magis placuiſſe æquitatem *l. ſi negotia* 11. *D. de negot. geſt.* quam rigorem *d l.* 26. ambigi tamen de illa æquitate non ſinè cauſa poteſt. Vide *Coſtal. in d l. ſi negotia. Mudæ. in l. qui admittitur* 19. *n.* 8. *& ſeqq. D. h tit.*

16. Quantum ad alienationem rerum com-

communium attinet, alienare ſocius plus ſua parte non poteſt, niſi aut ſocii conſentiant, aut res venales ſint, inſtitorque ſocietatis fuerit, qui alienavit. *l. ſi unius* 67. *l. nemo* 68. *D. h. tit. l.* 3. *& ſeqq. C. de com. rer. alien. l.* 3. *§. ult. D. de pign. & hyp. l. Sabinus* 28. *D. com. divid. Bald. Mud. Caſt. in d. l. nemo. Mozz. de natur. ſociet. n.* 16. *& ſeqq.*

17. An ſocius ſocium obligare ære alieno poteſt? Poteſt, ſi in arcam communem pecuniæ verſæ ſint, aut expreſſim in cauſam ſocietatis pecuniæ creditæ ſint *l. omne æs* 27. *l. jure ſocietatis* 82. *D. h. t. Mornac. in l.* 2. *D. de exerc. act. & in d. l.* 27. *Menoch.* 3. *præſ.* 55. *n.* 3. *Cuj. ad d. l.* 82. *lib.* 3. *reſp. Papin. Fab. Cod. Sab. h. t. def.* 1. *Neoſt. dec. ſupr. cur.* 6. Utrum in ſolidum, an pro parte ſocietatis? In ſolidum; quia qui negotiatur, reliquorum quaſi inſtitor eſt. *l.* 1. *§. ult. & l. ſeq. D. de exerc. act. l. qui habebat* 13. *§. ult. D. de inſtit. act. Mozz. de natur. ſociet. n.* 18. *Caſt. in d. l.* 1. *Surd. dec.* 213. *Hart. Piſt.* 3. *quæſt.* 3. *n.* 9. *Deciſ. Rot. Gen.* 39. *n.* 3. *& dec.* 161. *n.* 8. *& dec.* 166. *n.* 2 *Bocr. conſil.* 45.

18. Solvitur ſocietas morte unius ex Sociis etiamſi à pluribus contracta ſit: adeò quidem, ut nec ab initio paciſci contrahentes poſſint, ut heres quoque in ſocietate ſuccedat: *§. ſolvitur Inſt. h. tit. l. nemo* 35. *l. cum duobus* 52. *§. idem reſpondit.* 9. *l. adeò* 59. *l. actione* 65. *§. morte D. h. t. Duar. ibid. c.* 3. *Don.*

Digitized by Google

Don. ad l. 5. *C. eod. Cujac.* 10. *obſ.* 25. Diſſ. *Hotoman. in d.* §. *ſolvitur, & in epit. num.* 12. Excipitur ſocietas vectigalium *d.l adeò & l. verum eſt* 63. §. *in heredem D. h. tit.* de qua tamen exceptione variant interpretes, Vide *Duar. d.cap.* 3. *& Muda. in d. l. adeo* Aliter *Cujac. d. obſ* 25. Aliter *Mozz. cap. Quom. ſolv. ſociet.n.* 3.

19. Solvitur etiam publicatione bonorum, ceſſione, tempore, ſi ad tempus contracta ſit : item ſi finis negotio impoſitus ſit ? Poſtremo renuntiatione unius ex ſociis, dumne ſit fraudulenta. §. *manet. & ſeqq. Inſt. h. tit. l. actione* 65. §. *diximus D. eod.* Sed quæritur an publice proſcribendum vel denuntiandum ſit, diſſolutam eſſe ſocietatem, ne qui ignorantes decipiantur ? Affirmat *Gomeſ. d. cap.* 5. *n.* 6. *Mozz. de ſociet. cap. ult. n.* 12. Nobis neque ſemper, neque nunquam id neceſſarium videtur : *arg. l. ſed. ſi pupillus* 11. §. *de quo palam. & ſeqq. D. de inſtit. act.* Confer *Papon. lib.* 15. *tit.* 2. *arr. app.* 7.

20. Dividuntur res communes actione communi dividundo : actio enim pro ſocio magis ad perſonales præſtationes pertinet *l.* 1. *D. Com. divid.* Actionem vero pro ſocio comparavit Accurſius actioni tutelæ : qua ſicut finita demum tutela

agitur: ita pro ſocio finitâ ſocietate. Sed non ſatis accuratè. *Don. l. ad l. 5. C. pro ſoc. n.* 16. Neutra ſane actio præſcriptione xxx. annorum tollitur, etiamſi ſocietas ultra xxx annos duraverit. *Coſtal. ad l 1. D. famil. erciſc. Zaſ. in §. quadam Inſtit. de act. num.* 11. *Schneid. ibid. tit. de act. famil. erciſc n.* 68. *& ſeqq.*

DISPUTATIO VIGESIMA QUARTA, DE

MANDATO.

Reſp. JOHANNE HINSSEN, *Veſalo Clivenſi.*

1. MAndatum eſt contractus ex conſenſu, quo fides roganti præſtatur, procurandi aliquod negotium ſine mercede. Rogantem deſideramus, quia neque commendatio, neque conſilium, neque exhortatio mandati obligant *l.* 2. *§. ult. l.* 6. *§. planè l.* 12. *§. cum quidam* 12. *& §. ſeq. D. h. tit. l ob hæc verba* 10. *D. de his qui not. infam.*

2. Neque tamen ſemper aut mandantis, aut mandatarii vocem deſideramus: nam & tacite mandâſſe quis intelligitur, & mandatarius ſi literas mandantis receperit, eo ipſo

ipſo mandatum ſuſcepiſſe creditur. *l. 6. §. ſi paſſus l. qui patitur 18. D. eod. l. ſi fidejuſſor 6. C. eod. l. qui res 98. §. qui ſtipulatur in fin. D. de V. O. §. ſi quis alii Inſt. de inutil. ſtipul. Coſt. ad l. 27. §. qui mandatum D. h. tit. Mozz. de mandat. n. 73.*

3. Ex ratihabitione quoque naſcitur mandati actio, teſte Ulpiano *in l. ſemper qui 60. D de R. J.* Nec adverſantur *l. ex mandato 20. §. 1. D. h. tit. l. ſi pecuniam 9. C. de negot. geſt. l. 6. §. item quæritur 9. & §. ſeq. l. Pomponius 9. D. eod. Hotomann. in d. l. 60. Peck. in cap. ratihabitionem de R. J. in 6. Pac. cent. 2. antin. 53. poſt Gloſ. & Dec in d. l. 60.*

4. Utilitatem continet mandatum vel mandantis ſolius, vel mandantis & mandatarii, vel mandantis & tertii, vel mandatarii & tertii, *l. 2. d. h. tit.* Sed quo caſu tertii utilitatem continet, an tertio quoque competit aliqua actio, vel adverſus tertium? Et videtur mandati actio competere, ſi modò eo ſciente aut patiente mandatum ſit, aut ratum habuerit *arg. d. l. 6. §. ſi paſſus d. l. 18. D. h. tit. d. l. 6. C. eod. d. l. 60. de R. J.*

5. Negotia cujusq; generis mandari poſſunt, dummodò honeſta: mandatum enim rei turpis non eſt obligatorium. *l. 6. §. rei turpis D. h. tit. §. illud quoque Inſt. eod.* Scilicet, ſi contrahentes ſpectes; ſecus ſi rem-

 publi-

publicam. Itaque ſi quis cædem alterius mandato fecerit, tam mandans quam mandatarius ordinaria legis pœna plecti poteſt, *l. 3. §. item cujus l. nihil intereſt 15. D. ad leg. Cornel. de ſicar. l. 5. C. de accuſat. l. pen. C. Si reus vel accuſ. mort fuer. l. 1. §. dejeciſſe D. de vi & vi arm. cum ſimil. Duar. ad tit. D. accuſ. cap. 2. Menoch. 22 arb. caſ. 352. 353. Clar. 5. ſent. §. fin. quæſt. 89. Decian. 9. rer. crimin. 39.*

6. Mandatur vel omnium bonorum procuratio, vel certæ alicujus rei. Procurationi omnium bonorum vel adjungitur clauſula, *cum libera* &c; vel non adjungitur. Si adjungatur, procurator ſecundum Dd. etiam alienandi & tranſigendi poteſtatem habet: ſecus ſi clauſula illa fuerit omiſſa. Verum ea diſtinctio legibus non eſt conſentanea. Vide *l. procurator. 58. & ſeqq. D. de procurat. l. creditor 60. §. Lucius Titius 4. D. h. tit. l. reſcriptum 10. § ult. & ll. ſeqq. D. de pact. l. jusjurandum 17. §. ult. D. de jurej.*

7. Cauſas in quibus ſpeciale mandatum deſideretur Dd. enumerant plurimas, ut videre licet apud *Moſſ. de diviſ. mand. n 10. 24. & ſeqq.* Sed multæ ex his aut temperamento indigent, aut reſecandæ ſunt: Ut cum dicunt mandatum generale non ſufficere ad interpellandum, ad

pa-

paciſcendum, ad juramentum deferendum, ad compromiſſum, ad venditionem, ad recipiendam ſolutionem, ad obligandum dominum, ut clauſulam conſtituti inſerere liceat inſtrumento, ad diviſionem, ad reſtituendum alicui libros ſcholarium, & ſi qua alia ejuſdem ſunt farinæ.

8. Si actio ex cauſa venditionis mandetur, cedaturve, ceſſio non valet ultra modum ſoluti pretii. Idem ſi partim vendita, partim donata ſit actio. *l. pen. & ult. C. h. tit.* Excipiunt Dd. caſus ſequentes: Si pretium non modicum ab emtore ſolutum ſit, *Azo & Accurſ. in d. l. pen, verb. venditionis.* Si debitor confiteatur, nullamque alleget exceptionem *Fab. 12. conject. 12. Sand. de ceſſ. act. cap. 11. num. 25.* Si judicis decreto actio vendita ſit, *Sand. ib. num. 24.* Si ceſſa ſit debitore ſciente, & tacente *Menoch. 3. praeſ. 129. n. 42.* Si debitor partem debiti ceſſionario ſolvere cœperit *Fab. Cod. h. tit. def. 10.* Ex his exceptionibus primam rectè rejecit *Parlad. 2. rer. cotid. cap. fin. part. 3. §. 4. num. 9. & ſeq.* Nobis etiam quarta & quinta rejicienda videtur.

9. Diligentiam in exequendo mandato exactiſſimam adhibere mandatarius debet *l. 1. §. ult. D. h. tit. l. à procuratore 13. l. in re mandata 21. C. eod.* Nec adverſatur

§. ult. l. 10. *pr l. fidejuſſor* 29. *§. hoc idem D. eod.* Vide *Cujac. in l. contractus* 23. *D. de R. J. Duar. ad tit. mand. cap.* 2. *Donel.* 13. *com.* 11. *in fin. Pac. cent.* 4. *antin* 83. *poſt. gl. in d. l.* 8. & 10. Neque excipimus procuratorem ad lites, *Argentr. ad conſ. Brit. art.* 34. *glos.* 1. *n.* 13. *Gail.* 1. *obſ.* 45. *n.* 5. *Schneid. ad §. pen. h. tit. n* 4. tantum abeſt, ut probemus eos, qui hunc de lata duntaxat culpa conveniri poſſe ſcripſerunt.

10. Si fines mandati exceſſerit mandatarius, non habet actionem mandati niſi in eam ſummam de quâ rogatus erat. *§. is qui exequitur Inſtitut. h. titul. l.* 3. & 4. *D. eod.* Reliquæ pecuniæ nomine, ſi negotium utiliter geſtum ſit, negotiorum geſtorum agendum Dd. putant: ſed tutius eſt mandatori exceptionem doli mali opponere. *Schneid. ad d. §. is qui exequitur.*

11. Si inciderit in latrones, vel naufragio res amiſerit vel languore ſuo ſuorumque apprehenſus quædam erogaverit, caſibus magis quàm mandato imputari oportet *l. inter cauſas* 26. *§. non omnia D. h. tit.* Hoc reſponſum cum durum videretur, Gloſſographus æquitate temperandum cenſuit: cumque judicando Galli ſecuti ſunt, teſte Mornacio *d. l.* 26. Contra Caſtrenſis cenſuit, textum expreſſum non poſſe à nobis corrigi æquitatis obtentu; ſecundum quem in Sabaudia judicatum refert

fert Fab. *h. tit. def.* 29. Nobis æquitas placet, non tamen abſque aliquâ diſtinctione. *arg. l. cum duobus* 52. §. *quidam ſagariam D. pro ſoc. l. ſi ſervus* 61. §. *quod verò D. de furt. l.* 4. *l.* 20. §. 1. *Cod. h. tit.*

12. Ipſene mandatarius exequi debet mandatum, an & vicaria alterius opera uti poteſt? Poteſt. *l.* 1. §. *quid tamen D. de exercit. act. l.* 5. §. *quod ſi quis* 3. *D. de admin. tut. l. curator* 12. *C. Quidar. tut. poſſ.* Nec admitto exceptionem in Coſtalii. *in l.* 8. *D. h. tit.* Niſi nulla certa negotio gerendo forma præſcripta ſit: Ad quam confirmandam fruſtra ille adducit *l. ſi ego* 6. *D. Quod vi aut clam.*

13. Si plures ſint mandatores ejuſdem negotii, ſinguli in ſolidum tenentur *l. ſi mandatu* 59. §. *Paulus reſpondit D. h. tit.* conventus tamen exceptione diviſionis tueri ſe poteſt, *arg. l. ult. C. de conſtit. pecun. l. ſi fidejuſſor* 10. *Cod. de fidejus. Cujac. in not. ad tit. Inſt. de fidejus. Coſtal. in d. l.* 59. *Capyc. deciſ.* 180. *num.* 2. *Pyrrh. Maur. de fidejus part.* 2. *ſect.* 6. *cap.* 4. *n.* 25. Non idem dicemus ſi plures ſint mandatarii *l. creditor* 60. §. *duobus D. h. tit. junct. nov.* 99. Vide *Ronchegal. ad l.* 9. *D. de duob. reis num.* 244. *& ſeq.*

14. Mandatarius ſi ſuo nomine contrahat, in ipſius perſonâ obligatio conſiſtit: ſecus, ſi nomine mandantis. *l.* 8. §. *ult. & l. ſeq.*

l ſeq. l. 12. §. *ſi mihi mandaveris l. qui negotia* 34. §. 1. *l. ſi mandatu* 45. *pr. D. h. tit. l ſi ita quis.* 135. §. *Seja D. de V. O.* Quid ergò ſi emerit quidem tanquam domino quæſiturus, nec tamen id verbis expreſſerit? Acquirit nihilominus dominium mandanti, inprimis ſi hic mercator, ille inſtitor ejuſdem fuerit, *arg. l. poſſeſſio* 49. §. *ult. D. de adq. vel amit. poſſ. l. ſi procurator* 13. *D. de adq. rer. dom. l. niſi* 25. *l quicquid* 27. §. 1. *eod. Stracch. tract. de adject. quæſt.* 12. *n.* 1. *Jac. Cor. deciſ.* 25. *n.* 28. *& ſeqq.* Confer *Coſtal. ad. l.* 14. *D. Si quis caut. jud. ſiſt. cauſ. fact.*

15. Exequitur procurator mandatum gratis: ſalarium tum demum petere poteſt, cum promiſſum fuerit. Neque excipimus procuratorem litis. §. *ult. Inſtit. h. tit. l. ſalarium* 7. *l qui mutuam* 59. §. *ſalarium D. eod. l. ſalarium* 17. *Cod. eod. Cujac. lib.* 3. *Reſp. Papin. ad d. l.* 7. *Conna.* 7. *com.* 14 *num.* 5. *Hotom in epit D. de procur.* Diſſ *Gloſ. & com. D.d in ead. l.* 7. *Sub. & Donel. in l.* 1. *C. h. tit. Baro & Schneid. in d.* §. *ult.*

16. Solvitur mandatum renuntiatione, dummodò fiat re integrâ *l. ſi mandavero* 22. §. *ult. & l. ſeq. l. ſi quis* 27. §. *qui mandatum D. h. tit.* Solvitur etiam revocatione re integra facta, dummodò ea perveniat ad notitiam mandatarii §. *rectè quoque Inſt.*

Inſt. h. tit. l. ſi mandatum 15. *D. eod.* Hoc ampliùs non malè Dd. tradiderunt, etiam ipſo jure revocari mandatum, ſi procurator mores mutet, bona dilapidet &c. *Alciat. in l. rogaſti §. ſi fugitivus D. de reb. cred. Zaſ. ibid. num.* 9. *Coſtal. ad l.* 1. *D. Qui ſatiſdar. cog. poſt. Bartol. Bald. Dyn. Cuma. Felin. Angel. Jaſ. ab iiſdem laudatos.*

17. Solvitur etiam mandatum morte utriuſque tàm mandantis, quàm mandatarii. Sed ſi ignorans mortem mandantis fortè mandatum adimpleverit, utilitatis cauſa placuit, cum mandati agere poſſe. *l. inter cauſas* 26. *D. eod. §. item ſi adhuc integro Inſt. eod.* Nec adverſantur *l.* 12. *§. ult. & l. ſeq D. eod. l.* 18. *§. Titia D. de mort. cauſ. donat. l. penult. D. de reb. cred. Cujac.* 1. *obſ.* 38. *& in d. l. penult. tract.* 8. *ad Afric.*

18. Si procurator pecunias domini in ſuos uſus converterit, quæritur, quas uſuras præſtare debeat? Verius eſt maximas eum præſtare debere: nam & negotiorum geſtor, & tutor, & curator, & ſyndicus eaſdem præſtare tenentur. *l. qui ſine uſuris* 38. *D. de neg. geſt. l. non exiſtimo* 54. *D. de admin. tut.* Nec rapit nos in contrariam ſententiam *l. idemque* 10. *§. ſi procurator* 3. *D. h. tit. l. tutor.* 7. *§. pecunia & § quæ autem D. de admin. tut. Cujac* 13. *obſ.* 15. *&*

inparat. C. de uſur. Diſſ. *Pac, cent.* 2. *anin*, 65.

DISPUTATIO VIGESIMA QUINTA, DE

QUASI CONTRACTIBUS.

Reſp. ALBERTO BECKER, *Veſalo-Cliuenſi.*

1. EGimus de contractibus: ſequuntur quaſi contractus; qui ſunt duorum vel plurium in idem placitum conſenſus præſumtus. De horum numero dubitatur: nam enumeratis *in Inſt.* & *l.* 5. *D. de O.* & *A.* Cujacius precarium adjicit, *in l. contractus* 23 *D. de R. J.* Hotomannus *ad tit. Inſt. de Quaſ. contr.* etiam rem judicatam, jusjurandum, interrogationem in jure factam. Nos enumeratis contenti ſumus.

2. Prima ſpecies, ſi abſentis & ignorantis negotia geſta ſint. Abſentem intelligimus, non ſolum eum qui verè abeſt, ſed & qui juris interpretatione pro abſente habetur. Itaque ſi pupilli, ſi minoris, ſi fatui vel alterius cui curatores dari ſolent, ſi defuncti

defuncti negotia geſſeris, actiones negotiorum geſtorum locum habent *l.* 3. §. *hæc verba l.* 6. *pr. l.* 12. §. *ult. D. de neg. geſt. l.* 4. §. *ult. l. ſi tut.* 13. *D. tutel. & ration. diſtrah. & tit. de contr. tut. & util. cur. cauſ. act.* Hoc amplius ad executores teſtamentorum, ad œconomos eccleſiarum, orphanotrophos & ſimiles perſonas non malè Dd. has actiones produxiſſe videntur.

3. Diligentiam, qui amici abſentis & ignorantis negotia gerit, exactiſſimam adhibere debet §. 1. *Inſt. h. tit. l.* 2. *l. ſi neg.* 11. *l. debitor* 13. *D. de neg. geſt. junct. l. in re mandata* 21. *C. mand. l.* 1. §. *ſæpè evenit.* 35. *D. Depoſ.* Ita rectè Cujacius ſenſit, *ad d. l. contractus*, Donellus, 15. *com.* 15. Vultejus, *diſcept. Schol.* 15. Ferretus *ad d.* §. 1. Diſſ. *com. Dd. Angel. Hotoman. Schneid. & alii in d.* §. 1. *Azo in ſum. C. de neg. geſt. num.* 15. *Tuld. ibid. num.* 4. *Pereſ. num.* 4. *Sich. ad l.* 20. *C. eod. Baro ad* §. *ult. Inſt. de ſocietat. Argentr. ad conſ. Britan. art.* 34. *glos.* 1. *num.* 26.

4. Si parens geſſerit negotia filii, non habet contrariam actionem, niſi probet ſe repetendi animo geſſiſſe *l.* 1. *l. alimenta* 11. *C. de negot. geſt.* Nec adverſatur *l. Neſennius* 34. *D. eod. ub. Coſtal. Tuld. d. loc. num.* 6. Non idem dicemus ſi vitricus privigni, frater ſororis, aut maritus uxoris negotia geſſerit. *l. ſi negotium* 16. *C. eod.* Nec movet

vel *leg. ex duobus* 27. §. 1. D. *eod. l. quod in uxorem* 13. *leg. paterno affectu* 15. *C. eod.*

5. Tutor tametſi & ipſe aliena negotia gerit, non tamen exactiſſimam diligentiam, ſed exactam adhibere tenetur. *leg.* 2. *l.* 4. *l.* 7. *C. arb. tutel. leg.* 1. *D. tut. & ration. diſtrah. leg. à tutoribus* 33. *leg. tutores* 39. §. *tutor* 6. *&* §. *ſeq. D. de admin. tut. Petr. Fab. ad l. contractus D. de R. J. Dec. ibid. n.* 37. *Duar. ad tit. D. de admin. tut. cap.* 5. *Alciat. in l. magna negligentia* 226. *D. de V. S. Mynſing. in* §. *actionum Inſt. de act. n.* 66. Diſſ. *Cujac. & Hotom. in d. l. contractus.* Aliter *Argentr. di art.* 34. *n.* 37. *Donel.* 15. *com.* 20.

6. Si filius familias geſſerit tutelam, an pater quoque ex ea adminiſtratione conveniri poteſt? Poteſt: & quidem in ſolidum, ſi agnoverit tutelam: ſin minus, peculio tenus *leg. filiusfam.* 7. *D. de tutel.* Nec adverſatur *lex. Lucius* 21. *D. de admin. tut. Cujac. tract.* 7. *ad Afric. in explic. leg.* 46. *D. de negot. geſt. Pac. cent.* 5. *antin.* 76. *Monta. de tutel. cap.* 39. *num.* 205.

7. Communio rerum citra ſocietatem, quaſi contractus eſt: quæ quia non minus ac voluntaria ſocietas omnium utilitatem continet, idcirco conſors conſorti præſtat dolum, culpam latam & levem, non

non leviſſimam *leg.* 5. §. *nunc videndum D. Commod. d. leg. contractus* 23 *D. de R. J. l. ſi is cum quo* 20. *D. Com. divid l. & puta* 16. §. *ſed & ſi dolo leg. heredes* 25. §. *non tantum* D. *fam. erciſ.* Cui conſequens eſt ut maritus quoque, qui jure municipali bonorum communium adminiſtrator eſt, de levi duntaxat culpa teneatur. Adde *arg. l. ſi conſtante* 24. *l. in his rebus* 66. *D. Solut. matr. Argentr. ad conſ. Brit. art.* 419. *gl.* 2. *n.* 6. *& ſeqq. Barboſ. ad l. ſi mora n.* 36. *D. eod.*

8. Si convenerit inter conſortes, ne unquam bona communia dividantur, non obſtante conventione ad diviſionem provocare etiam unus ex his poteſt. *l. in hoc judicium* 14. §. *ſi conveniat D. com. divid. l. nulla* 70. *D. pro ſoc. l. cum pater* 77. §. *dulciſſimis D. de leg.* 2. Sed etſi per totos xxx. annos nemo ad diviſionem provocaverit, non tamen prohibentur id poſt annum triceſimum facere: *dd. ll. zaſ. ad* §. *quædam Inſt. de act. n.* 11. *Schneid. ad eund.* §. *loc. de famil. erciſc. act. n.* 68. *& ſeqq. Coſtal. ad. l.* 1. *D. fam. erciſ. Pereſ. ad tit. C. com. divid. n.* 6.

9. Si teſtator teſtamento prohibuerit diviſionem rerum hereditariarum, valebit prohibitio, ſi ad tempus facta ſit: ſin in perpetuum, inutilis erit, *arg. d. l.* 14. §. *ſi conveniat: junct. l. pactum* 46. *D de pact. l. nemo* 55. *D. de legat.* 1. *Paul. de Caſtr. leg. ſi.*

non ſortem §. *ſi centum D. de cond. indeb. Jaſ. ibid. n.* 4. *Schneid. d.* §. *de act. com. divid. n.* 21. *& ſeqq.* Diſſ. *Glos. in d l. ult. C. Com. divid. Alex. in d.* §. *ſi centum. Bartol. in d. l.* 14. §. *ſi conveniat.*

10. Quid ergò judicandum de ſtatuto illo, ſeu mavis conventione illuſtris alicujus familiæ, qua cautum, ut ſi plures fratres ſint, maximus natu uxorem ducat, reliqui cœlibes & in perpetuâ communione degant? Improbat hæc ſtatuta *Zaſ. d. loc. num.* 13. & nos improbamus, quantum ad cœlibatum: quantum ad communionem, non omninò, *arg* §. *præterea tit. de prohib. feud. alien. per Frider.*

11. Si in dividendis rebus communibus enormiter quis circumſcriptus ſit, haud dubiè ſuccurrendum ei *ex l.* 2. *C. de reſc. vend. arg. d. l.* 77. §. *hereditatem* 18. *D. de leg.* 2. *Donel. ad d. l.* 2. *num.* 59. *Giphan. ibid. pag.* 312. Quod ſi enormis læſio non ſit, ſuccurrendum tamen Dd. putant *ex l.* 3. *C. Com. utr. jud. Molin. ad conſ. Pariſ.* §. 22. *num.* 42. *Argentr. ad conſ. Britan. art.* 267. *Fach.* 8. *contr.* 36. Sed meritò de hâc ſententiâ dubites. *Confer. Fabr. de err. pragm. dec.* 8. *err.* 1. *Giphan. ad d. l.* 3.

12. Si forte facta ſit diviſio, non poteſt reſcindi, ac neque major neque minor adverſus

verſus eam reſtituendus videtur, *arg. l. verum* 11. §. *item non reſtituetur D. de min.* *Pinel. ad l.* 2. *C. de reſc. vend. part.* 2. *cap.* 1. *num.* 6. *Gom.* 2. *var reſol.* 14. *num.* 4 *Fab. dec.* 8. *err.* 2. *Sand. lib.* 4. *tit.* 11. *defin.* 1. Quod ſi convenerit, ut major dividat, minor eligat, non denegabimus minori reſtitutionem. *Fab. d err.* 2. *n.* 5. *Confer Moller.* 2. *ſemeſtr.* 28. *Mornac. ad l.* 5. *D. de tranſact.*

13. Heres adeundo hereditatem ex quaſi contractu obligatur legatariis & fideicommiſſariis. Nec heres duntaxat, ſed & bonorum poſſeſſor; perinde enim obligatur jure prætorio, ac heres jure civili, *l.* 5. §. *heres D. de O. & A. l. penult.* §. 1. *D. de ſepar. bon. l.* 1. *&* 2. *D. de bon. poſſ. l.* 1. *D. de legat. præſt. bon. poſſ. cont.* Præſtat autem heres legatariis dolum, culpam latam & levem, nôn leviſſimam *l. cum res* 47. §. *penult. & ult. l. ſi ſervus* 108. §. *cum quid tibi D. de leg.* 1.

14. Indebiti ſolutio non eſt contractus, ſed quaſi contractus, *d. l.* 5. §. *is quoque D. de O. & A.* §. *penult. Inſt. de obl. ex q. contr. ub. com. Dd.* Diſſ. *Donel.* 14. *com.* 16. *&* 17. Condicitur autem ex quaſi contractu non ſolum quod nullo jure debetur, ſed & quod ſummo jure civili debetur, naturali jure non debetur. Quod verò jure naturæ

turæ debetur, licet jure civili non debeatur repeti tamen non poteſt. *l.naturaliter* 13. *l. ſi non ſortem* 26. §. *indebitum l. qui exceptionem* 40.43.47. *D. de cond. indeb. l. quia naturalis* 10. *D. de Sc. Maced.*

15. Debitum in diem, vel ſub conditione, an repeti poteſt ſi ſolutum ſit ante diem? Negant JC. *in l. in diem* 10. *l. quod ſi* 18. *l. Julianus* 60. §. 1. *D. de cond. indeb. junct. l. ſub conditione* 16. *D. de ſolution. l. quod in diem* 12. *D. de acceptil.* Affirmat. *l. ſub conditione* 16. *D. de cond. indeb. junct. l. quod in diem* 7. *D. de compenſat.* Nullum hic diſſidium eſt. Vide *Fabr.* 4. *conject. ult. Cujac.* 13. *obſ.* 20. *Duar. ad tit. de cond. indeb. cap.* 5. *Petr. Fab. ad l. definit* 66. *D. de R. J.*

16. Quo caſu ante diem ſolutum repeti nequit, quæritur, an ſaltem interuſurii nomine aliquid repeti poſſit propter repræſentationem? Affirmat Duar. *d. cap.* 5. Negat Robert. 1. *ſent.* 26. Coſtal. *ad d. l.* 10. Pereſ. *ad tit. C. de cond. indeb. n.* 5. Fortè non malè adhibuerit quis diſtinctionem Molinæi, *tract. de contr. uſur. quæſt.* 74. *n.* 497. *& ſeq.*

17. Dedi decem, quoniam negotia mea à te geſta putabam: an repetere antidoron ex falſa cauſa datum poſſum? Non poſſum *l. damus* 52. *l. in ſumma* 65. §. *id quoque D. de cond. indeb.* Nec adverſatur *l. ſed & ſi* 25. §. *conſuluit D. de hered. petit.*

Vide

Vide *Duar. ad h. tit. cap. 4. & ad tit. D. de O. & A. cap. 2. Donel. 12. com. 2. verſ. Quæſitum eſt Covar. ad cap. 7. de teſtam. n. 33. Zaſ. 1. ſingul. reſp. 3. Tuld. ad h. tit. C. n. 5.*

18. Tuum quidem recepiſti, ſed ab alio quam vero debitore, an habet locum condictio? Negat *l. repetitio 44. D. de cond. indeb.* Affirmat *l. ſi pœnæ 19. §. 1. d. l. in ſumma 65. §. ult. D. eod.* Agnoſcit pugnam Budæus *ad l. ult. D. de ædil. ed.* Sed male. *Gloſ. in dd. ll. Duar. ad tit. de cond. indeb. cap. 7. Cuj. 8. obſ. 9. Donel. 14. com. 13. Giphan. ad l. 2. C. h. tit. pag. 236. Charond. 2. veriſ. 15. Pa. cent. 4. antin 1.*

19. Si duę res alternativè debeantur, veluti Pamphilus aut decem, utraq; per errorem ſoluta, an ſolventi datur electio utramlibet condicendi? Affirmat Papinianus *l. cum is qui 23. pr. & §. ult. D. h. tit.* Negat Ulpianus *leg. ſi non ſortem 26. §. pen. D. eod.* Non eſt quod hæſitemus: contentionem enim ſuſtulit Imp. *in leg. pen. C. eod. Cujac. 8. obſ. 35. Alciat. 1. parad. 8. Pac. cent. 4. antin. 6. Donel. in d. l. pen.*

20. Condicimus indebite ſolutum cum fructibus, non tamen cum uſuris *l. indebiti 15. d. l. in ſumma 65. D. de cond. indeb. l. 1. C. eod. ub. Donel. n. 54. Cujac. 8. obſ. 34.* Quod ſi ſors debita fuerit, uſurę ſolutæ indebitæ, uſuræ non repetuntur *l. ſi non ſor-*

tem

tem 26. *pr. D. eod.* Nec adverſatur *l. indebitas* 18. *C. de uſur.* Sed & ſi minor accepta mutuò ſorte uſuras ſolverit, dein beneficio ætatis in integrum reſtitutus fuerit, ſi nominatim de uſuris non fuerit pronuntiatum, non poteſt eas repetere *l. ult.* §. *ult. D. de cond. indeb.* Nec obeſt *l. novatione* 18. *l. emtor.* 27. *D. de novat. l. eos* 26. *pr. C. de uſur. Pac. cent.* 4. *antin.* 19.

21. Qui ſolvit indebitam pecuniam, condictioni expreſſim & ſpecialiter renuntiavit: an non obſtante renuntiatione condicere poterit? Affirmat Bartol. *in l. ult.* §. *idem quæſiit D. de cond. indeb.* Jaſ. *ibid.* quos ſequitur Duar. *cap.* 11. Nobis rectius contrarium adnotâſſe videtur, Fulgoſ. & Coſtal. *ad d.* §. *idem quæſiit. arg. l. indebitum* 9. *C. de cond. indeb. l. quod quis* 50. *D. eod. l. cujus* 53. *D. de R. J. cum ſimil.*

DISPU-

DISPUTATIO VIGESIMA SEXTA, DE

F U R T I S.

Reſp. THEODORO BARLEN, *Hilto-Cliv.*

1. EGimus de obligationibus ex contractu : ſequuntur obligationes ex maleficio. Hæ omnes unius generis ſunt, & ex re ſeu facto naſcuntur *l.4 D.de O. & A. pr. Inſt. de oblig. quæ ex del. naſc.* Nec adverſatur, quod dicta quoque, & libelli, & conſilia puniantur *l. aut facta* 16. *D. de pœn.* §. 1 *Inſtit. de injur.* Sunt autem maleficia vel publica, vel privata. Privata furtum, rapina, damnum injuria datum, injuria.

2. Furtum, à ferendo dictum, eſt contrectatio fraudulosa, lucrifaciendi gratia, vel ipſius rei, vel etiam uſus ejus, poſſeſſionisve *l.1.§. ult. D. de furt.* Eſtque vel manifeſtum, vel nec manifeſtum. Manifeſti tenetur, qui deprehenſus eſt in ipſo actu, vel cum re furtivâ antequam pertuliſſet quo deſtinabat : nec manifeſti, qui deprehenſus non eſt. *l. 2. & ſeqq. D. eod.* §. *furtorum Inſt. eod.*

3. Contrectationem cum dicimus, non tantum ablationem intelligimus, ſed interdum

terdum & contrectationem ſolam §. *furtum autem* 6. *Inſt. eod. l. ſi quis* 7. *D. eod. l. ſive* 10. *D. de condict. furt. l.* 3. §. *ſi rem.* 18. *D. de adq. vel amit. poſſ.* Illud nihilominus verum, ſi quis ex acervo frumenti modium ſuſtulerit, tametſi totum acervum contrectaverit, tamen in id duntaxat teneri quod abſtulit *l. vulgaris* 21. *pr.* §. *ſed ſi de nave* & §. *ſeq. l.* 22. §. 1. *D. h. tit.* Nec adverſatur *ead. l.* 21. §. 8. & § *ult. d. l.* 22. §. *ult. l.* 3. §. *ult. D. inc. ruin. nauf.* Vide *poſt gloſſographos Bartol. in d. l. vulgaris.*

4. Fraudulosam eſſe contrectationem non ſufficit; etiam lucrifaciendi animum requirimus *l. verum eſt* 39. *l. qui injuriæ* 53. *D. h. tit.* Nec tamen rectè ex eo inferes, ſi quis ſtimulante fame cibum alteri abſtulerit, furtum eum non facere. *Proverb.* 6. 30. *c. fraternitas* 12. *quæſt.* 2. *c. ſi quis propter neceſſitatem de furt.* Diſt. *Covar. in c. peccatum part.* 2. §. 1. *n.* 3. *Clar.* 5. *ſent.* §. *furtum n.* 24. *Chaſſan. ad conſ. Burg. rubr.* 1. §. 5 *verb. s'il n'a grace n.* 15. & *ſeqq. Grot.* 2. *de jur. bell.* 2. *n.* 7. & *ſeqq. poſt Bald.* & *Dd. in l.* 2. § *ſi conſervatis D. ad leg. Rhod.*

5. Rem intelligimus mobilem, non immobilem *l. verum eſt* 25. *D. h. tit.* §. *quod autem ad eas res, verſ. abolita, Inſt. de uſucap.* etiamſi modici ſit pretii, veluti pavo, gallina, columba: imò etſi ovum ſit *l.* 5. §. *gallinarum D. de adq. rer. dom. l. ſi pavonem.* 37. *D. h. tit.*

h. tit. nov. 69. *cap.* 1. *verſ. quid enim* Hoc amplius interdum liberorum hominum furtum fit §. *interdum Inſt. h. tit. l. eum qui* 14. §. *ſi filiusfam.* 13. *l. ſi mater* 38. *D. eod tit.*

6. Furti tenetur non ſolum qui amovet, verum etiam is cujus ope conſilio furtum factum eſt. Sunt autem verba hæc: *ope, conſilio*: disjunctim, non conjunctim accipienda, ut ſufficiat ad furti actionem vel opem tuliſſe, vel conſilium dediſſe *l. ſæpè* 53. §. *ult. D. de V. S. l. qui ſervo* 36. §. *plus Pomponius. l. ſi quis uxori* 52. §. *neque verbo. l. ſi is* 66. §. *eum qui D. h. tit.* Nec adverſatur §. *interdum quoque* 11. *in fin. Inſt. eod. Cujac. in d. l. ſæpè.*

7. Si plures tignum ſuſtulerint, quod tollere ſinguli non poterant, ſinguli in ſolidum tenentur, *d. l. vulgaris* 21. §. *pen. D. h. tit. l. ita vulneratus* 51. *in fin. D. ad L. Aquil. l.* 1. *C. de cond. furt. l. tres tutores* 55. §. 1. *D. de admin. tut. l. ſemper* 15. §. *ſi in ſepulchro* 2. *D. Quod vi aut clam.* Nec adverſatur *l.* 1. *D. Si famil. furt. fec. l. ſi familia* 9. *D. de juriſd. l. illud quæſitum eſt* 32. *D. ad leg. Aquil. l. ſi multi* 6. *D. de public. Hotom. ill. quæſt.* 33. *Cujac.* 8. *obſ.* 20. *Duar. in d. l.* 7. *D. de juriſd.*

8. Qui pecuniam adminiſtrandam vel perferendam accepit, an furti tenetur, ſi eam ſuppreſſerit vel in uſus ſuos converterit? Tenetur: ita enim de tutore, curatore, tabel-

bellario, mulione reſponſum *l. tutor* 33. *D.h.tit l.ſi is cui* 7. *C. eod.l.* 1. §. *hunc tamen* 22.*l.* 2.§. 1 *D.tutel.& ration diſtrah.l.ſi tibi dederim* 25. *D. de donat.* Nec obeſt *l. ſacrilegi* 9. §. *Labeo &* §. *is autem D. ad leg. Jul. pecul.* Vide *Duar. ad eund. tit. cap.* 4. *Sich. in d. l.* 7. *Moller.* 4. *ſemeſtr.* 2. *Clar. d.* §. *furtum num.* 22. *& in addit. num.* 86. *Chaſſan. ad conſuet. Burg. rubr.* 1. §. 5. *num.* 9.

9. Quamvis actiones furti concepti prohibitique ſublatæ ſint, tamen hodièque judex ex juſtâ causâ poteſtatem facere poterit, rem furtivam in alienis ædibus perquirendi. *Clar.d.* §.*furtum num.* 3. *Boër. deciſ.* 174.*num.*4. *Papon. lib.* 23. *arreſt. tit.* 6. *arr.* 3. *Chaſſan.d.*§. 5.*verb.pro primâ vice.* 18. *Schneid. in* §. *conceptum Inſt. h. tit. num.* 2. *poſt Bartol. in l.requirendi num.* 2. *C. de ſerv. fugitiv.* Diſſ. *Abb. in c. qui cum furem* 6. *de furt.*

10. Pœna furti manifeſti quadrupli eſt, nec manifeſti, dupli: illa ex edicto prætoris, hæc ex XII. Tabulis. §. *pœna Inſt. h. tit. princ. Inſt. de perpet. & tempor. act.* §. *ſunt autem Inſt. de noxal. act.* *A. Gell.* 11. *noct. Attic. ult.* Quadruplatur autem, ſiquidem domino res ablata ſit, verum rei pretium: ſin non domino, id quod intereſt *l.* 14. §. *idem ſcribit*, *l. in furti* 50. *l. furtivam* 74. *D. h. tit.* Et ita quidem, ut quadru-

quadruplum totum pœna ſit, extrinſecus competat rei perſecutio §. *ult. Inſtit. h. tit.*

11. Sed hoc quidem cum civiliter de furto agitur: at cum accuſatur fur apud Præfectum Urbi, extra ordinem coërcetur. Quæ extraordinaria coërcitiò an poſſit etiam capitis eſſe, non immeritò quæritur? Nos affirmabimus, ſi circumſtantiæ crimen exaſperent: at ob ſimplex furtum capitis pænam irrogari poſſe, id verò pernegamus, *Exod.* 22. *verſ.* 1. *& ſeqq. Deut.* 24. *v.* 7. *Joſ.* 7. *l.* 3. *D. Si quadr. paup. fecisſ. dic. l. liber homo* 13. *D. ad leg. Aquil. l. ult. D. de dej. vel effuſ. Theoph. ad tit. Inſtit. de jur. nat. gent. & civ. Alciat. in l. probrum D. de V. S. Bodin.* 6. *de repub. ult. Grot.* 2. *de jur. bell. & pac.* 1. *n.* 14.

12. Furti actio ei datur, cujus intereſt. Itaque & creditori datur, & conductori, & commodatario ſi dominus elegerit commodati actionem. Depoſitario verò, emtori ante rem traditam, mulieri re dotali ſubrepta, fidejuſſori re debitoris ablata, legatario, vel ei cui ex teſtamento vel ſtipulatu debetur, non datur §. *furti autem & ſeqq. Inſtit. h. tit. l.* 14 *& l. ſeq. l. is cujus intereſt* 85. *D. eod. l. ult. C. eod.*

13. Condictio furtiva domino datur adverſus furem vel furis hæredem, non in id

quod

quod pervenit, ſed in ſolidum *l. 7. §. condictio, l. in condictione 9. D. de condict. furtiv, l. ad ea 157. §. ult. D. de R. J. l. 2. §. ult. D. vi bon. raptor. Duar. ad tit. D. de cond. furt. c. 3. Hotom. in epit. ibid. Sich. ad eand. rubr. n. 3. Fab. 1. conject. 12. & 4. conject. 1. Schneid. ad §. ult. Inst. h. tit. n. 3.* Diſſ. *Cujac. 7. obſ. 37. & 13. obſ. 37.*

14. Furem cum dicimus, videndum an furis appellatione comprehendatur & ille cujus ope conſilio furtum factum eſt? Negat Ulpianus *in l. proinde 6. D. de cond. furt.* Diſtinguit Paulus *in d. l. ſæpe 53. ult. D. de V. S.* Aliter diſtinguere videtur Pomponius, *l. 4. §. ſi opem D. de pecul.* Nullam hic agnoſcimus diceſſionem. Vide *Cujac. in d l. ſæpè. Pac. cent. 4 antin. 24.*

15. Amiſit quis dominium rei ſibi ſurreptæ: an amittit etiam condictionem? Amittit ſi ſuo facto deſiit eſſe dominus: ſecus ſi facto alieno *l. ſive 10. §. pen. & ult. & ll. ſeqq. d. de cond. furt.* Nec quicquam obſtat *l. ſi ſervus 14. pr. D. eod. Gloſſogr. in d. l. 14. verb. extitiſſet. Pac. d. cent. 4. antin. 26.*

16. Qui furti egit, extrinſecus vel vindicare, vel condicere rem, vel ad exhibendum agere poterit. Accuſatio verò cum actione furti conjungi nequit, cum rei perſecutoria poteſt. *d. §. ult. Inſt. h. tit. d. l. 7. §. furti actio D. de cond. furt. l. interdum 56. §. 1. D. de*

D.de furt.l. quotiens 31.§.1.*l.qui ſervum* 34. *D.de obl.& act.* Nec obſunt *l.*32.*l.pen.eod. l. un. C. Quand.civ. act.crim. prajud.* Vide *Cuj.*8.*obſ.*24.& 20.*obſ.*26. *Hotom.ill.quæſt.* 29. Diſſ. *Gomeſ.*3.*var.reſol.*5.*n.*4.

17. Conſuetudo quæ rem furtivam fiſco vindicat, meritò damnatur: impingit enim in ſumma præcepta juris. Nec minus improba eſt, qua fiſcus aut currum onuſtum ſi hominem oppreſſerit, aut navem vado hærentem, miſerandaſve naufragorum reliquias involat: quid enim juris habet in aliena calamitate? *l. un.C.de naufr.auth.navigia C. h. tit. ub. Sichard. Conſt.crim. Karol.V.cap* 218.*Argentr.ad conſuet. Britan.art.*56.*gloſ.*1.*n.*44. *Schneid. ad d.* §. *ult. Inſtit.h.tit.n.*8. *Damhoud.prax.crim.cap.*110.*n.*51. Hoc amplius non nihil ex iniquo habent ſtatuta, quæ dominum rem furtivam vindicantem jubent emtori reſtituere pretium. *Sich.in l.* 2.*n.*2.*C.de furt.*

18. Pœnam dupli vel quadrupli in foro conſcientiæ neque deberi neque exigi poſſe, ſcripſernnt *Jaſon.in l.*3.*n.*23.*D.de juſt. & jur. Bald. in l. jubemus* 14. §. *verum n.*3. *C. de ſacroſ.eccl. Gloſſogr. in c.fraternitas* 12. *q.*2.*Clar.d.*§.*furtum n.*16.& §.*fin.quæſt.*80. *n.*7.*Gomeſ.in* §.*ex maleficiis Inſt.de act.n.*14. Verum, non dubitamus id perperam ab eis factum eſſe. Vide *P. Martyr. claſ* 2. *loc. com.*9. *n.*43. & *claſ.*4. *loc.*15. *Calvin.* 4.

Inſtit. 20. *n.* 19. *Perkinſ. de caſib. conſc.* 3. *caſ.* 1. *Ameſ.* 5. *d. conſc.* 3. *n.* 4. *Grot.* 2. *de jur. bell.* 20. *n.* 10. *Chaſſ.* 1. §. 7. *verb. l'amende n.* 4. *Dec l. quod à quoquam* 46 *ff. de R. J. n.* 3. Si modo pœna reſpondeat delicto.

19. Rapina eſt violenta ablatio rei mobilis animo lucrifaciendi. Hujus pœna eſt intra annum utilem quadrupli, ita ut quadruplum non totum pœna ſit, ſed inſit quadruplo rei perſecutio. Nec tamen propterea mitius cum raptore, quàm cum fure manifeſto agitur. *princ. Inſtitut. vi bonor. raptor. l.* 2. §. *in hac actione* 13. *D. eod.* §. *vi autem Inſt. de action. Dd. ad d. princ.*

20. Qui vi res alienas rapuit, tenetur etiam furti. *d. princ. Inſt. vi bon. rapt.* Utrum manifeſti, an nec manifeſti? Nec manifeſti *l.* 1. *D. eod.* Imò manifeſti *l. ſi vendidero* 80. §. *cum raptor. D. de furt.* Nullum hic agnoſcimus diſſidium. *Cujac. in parat. C. vi bon. rapt.* & 9. *obſ.* 2. *Hotom. ad d. princ.* Diſſ. *Baro* & *Mynſ. ad d. pr.* Aliter *Vultej. ibid.* Aliter *Bacchov. ibid.* Sanè actio quod metus cauſa cum actione vi bonorum raptorum non concurrit *l. item ſi cum exceptionem* 14. §. *qui vim* 12. *D. Quod met. cauſ.*

21. Si quis rem ſuam rapuerit, vel quam ſuam exiſtimabat, quaſi liceat domino rem ſuam poſſeſſori vi auferre, non vi bonorum raptorum tenetur, ſed condictione *ex l. ſi*

quis

quis in tantam C. und. vi. Ex qua dominus amittit dominium, non dominus & rem & æſtimationem reſtituere compellitur. Amitti dominium ipſo jure cenſemus, contra Gloſſ. & Menoch. *remed. recup. poſ. 9. n.* 305. Sed cum eodem Menoch. *n.* 268. *& ſeq.* Gomeſ. *ad leg. Taur.* 45. *n.* 191. ſententiam conſtitutionis ad res incorporales porrigi poſſe putamus. Illud utique planum eſt, vehementer peccare eos qui ſcripſerunt, licere domino rem ſuam rapere vel furari, ſi deſperet poſſidentem juris via convinci poſſe. Vide adductos *à Chaſſ. d.* §. 5. *verb. s'il n'a grace n.* 32.

DISPUTATIO VIGESIMA SEPTIMA,

DE

DAMNO INJURIA DATO,

Reſp. Matthaeo Smallegange, *Goeſa-Zeland.*

1. DAmnum injuria datum nihil videtur aliud eſſe, quam delictum, quo dolo vel culpa adverſarii patrimonium noſtrum deminuitur. *l.* 3. *D. de dam. infect. l.* 1. *l.* 5. §. 1. *& paſſim D. de leg. Aquil.* Species pene innumeræ ſunt, quarum aliæ primo, aliæ tertio

 legis

legis Aquiliæ capite vindicantur.

2. Primo capite qui alienum hominem, alienamve quadrupedem, quę pecudum numero ſit, injuria occiderit, quanti id eô anno plurimi fuit, tantum æs domino dare damnatur. *l,2.pr.D.ad leg.Aquil.* Hominem alienum cum dicimus, ſervum intelligimus, non liberum. Nec tamen invito legiſlatore ſi filiusfamilias cæſus ſit, patri actionem dabimus *d.l.5.§. ult.l.7.pr. & §. ſi quis in colluctatione D. eod l. ut tantum 14. §.1.D. de ſerv.corr.*

3. Quin etiam patrefamilias occiſo utilis actio uxori & liberis danda videtur, in id quod intereſt ratione mercedum medicis præſtitarum, alimentorum quibus carent cariturique ſunt. *arg. d. ll. & l.liber homo 13. D. ad leg. Aquil. l. 1.§. hæc autem verba 6. l. ult. D. de dej. & effuſ. l. 3. D. Si quadr.paup. feciſ. dicat.Covar.2.var.reſol.10. n.6. Gomeſ. 3. reſol. 3.n. 37. Clar.5. ſent.§. homicidium n.23. Coſtal. in d.l.3. D. Si quadr. Farin. quæſt. 119. part. 4. per tot.* Nec movet nos *l.huic ſcripturæ 15.in fin. & l.ſeq. D. ad leg. Aquil. l. 5.§. hæc autem actio D. de his qui dejec. vel effud.*

4. Homo à Primo mortifere vulneratus eſt, à Secundo occiſus: utrum uterque de occiſo tenetur, an ſolus Secundus? Secundus auctore Celſo & Marcello, *l. item Mela 11.§. Celſus D. ad leg. Aquil.* Imo uter-

que

que auctore Juliano *Lita vulneratus* 51. *D. eod.* Agnoſcit diſſidium Cujacius 27. *obſ.* 13. Rectius alii ſanando vulneri intenderunt. Vide *poſt. Gloſ. in d.l.* 51. *Coſtal. ibid. Zaſ. in ſingul. intell. ad d.* §. *Celſus. Clar.* §. *homicidium n.* 46. *Covar. in clem. ſi furioſus part.* 2. § 2.

5. Si in rixa homo occiſus ſit, ictus uniuſcujuſque contemplandi ſunt, ut appareat quis occiderit: Si non appareat, omnes quaſi occiderint, tenentur. *l. ult. D. ad leg. Cornel. de ſicar. d.l. item Mela* §. *ſed ſi plures. D. ad leg. Aquil.* Nec adverſatur *l.* 5. *verſ. Satius enim D. de pœn. Gomeſ. d. cap.* 3 *n.* 36. *Clar. d.* §. *homicidium n.* 37. *Gail.* 2. *obſ.* 169. *Coler. deciſ.* 151. *n.* 8. & 15. *Sand lib.* 5. *tit.* 9. *deciſ.* 5.

6. Si homo dolo malo occiſus ſit, concurrit cum actione legis Aquiliæ accuſatio legis Corneliæ de ſicariis, neque alteri per alteram fit præjudicium *l. inde Neratius* 23. §. *ſi dolo D. ad leg. Aquil. l. Prætor.* 7. §. *atquin ſolemus &* §. *ſeq. D. de injur. l. un. C. Quand. civ. act crim. præjud.* Nec contradicit Paulus *in l.* 5. *D. de publ. jud.* Gloſſogr. *in d. l.* 23. *Cujac.* 20. *obſ.* 25. *Baro ad* §. *liberum eſt Inſt. h. tit.*

7. Verbum, *plurimi*, non ſolum æſtimationem peremti corporis denotat, ſed eo amplius, quicquid peremto corpore damni nobis illatum fuerit. Itaque ſi ſer-

vus ab alio heres inſtitutus peremtus fuerit, ante quam juſſu noſtro hereditatem adiret, etiam hereditatis æſtimatio fiet §. *his autem verbis Inſt. de leg. Aquil. l. ait lex* 21. *&* *ſeqq. D. eod.* Nec adverſatur *l. pretia* 63. *D. ad leg. Falcid.*

8. In ineunda æſtimatione affectio communis, non ſingularis ſpectanda eſt. *l. ſi ſervum* 33. *D. ad leg. Aquil. d l. pretia* 63. *D. ad leg. Falcid.* Nec reclamant JCti. *in l. ſi in emtionem* 35. *D. de minor. l. in fundo* 38. *D. de rei vind. l. cum ſervus* 54. *D. mandat. l. ſervus* 7. *D. de ſerv. export. l. libertus.* 36. *D de bon. libert. Donel.* 26. *com.* 15. *Schneid. ad pr. Inſt. de leg. Aquil. n.* 11. Sed nec illud adverſatur, quod interpretes tradunt, in delictis haberi etiam rationem ejus, quod extra rem intereſt. *Coſtal. ad l.* 3. *D. in lit. jur.*

9. Capite tertio legis Aquiliæ cavetur de omni cætero damno, ſi quid cæſum, ruptum, ſciſſum, colliſum, effuſum, aut quoquo modo corruptum ſit. Æſtimatur, quanti ea res diebus triginta retrorſum computatis plurimi fuerit. *l. ſi ſervus* 27. §. *tertio & ſeqq. D. h. tit.* §. *capite tertio Inſt. eod.* Species infinitæ ſunt: ſed nos eas perſequamur, quæ aliquid difficultatis habent.

10. Navis tua fune rupto, vel cum à nullo regeretur, incurrit in ſcapham meam, an tenearis mihi de damno? Negat Ulpianus *in l. quemadmodum* 29. §. *ſi navis tua junct.* §. *ſi na-*

ſi navis alteram D. h. tit. Hic Faber 5. *conject.* 17. contendit lectionem mendoſam, demtaque negatione legit *in d. §. ſi navis tua : Cum domino agendum eſſe :* Rectene? Nequaquam: nam & librorum autoritas reclamat, & nulla neceſſitas emendationem nobis exprimit. Vide *Cujac.* 25. *obſ* 10.

11. Si arcendi incendii cauſa ædes vicini interciderim, an teneor ei lege Aquiliâ? Non teneor, ſive pervenerit jam incendium ad me, ſive nec dum pervenerit. *l. ſi quis fumo* 49. §. 1. *D. ad leg. Aquil. l.* 3. §. *pen. D. de incend. ruin. naufr.* Nec adverſatur *l. ſi alius* 7. §. *eſt & alia D. Quod vi aut clam. Gloſſ. in d. l.* 49. *verb. extinctus. Pac. cent.* 8. *antin.* 47. *Maſcard. vol.* 2. *de prob. concl.* 893. *n.* 6. *Farin. rer. crim. quaſt.* 110. *n.* 144.

12. Diſſipatis incendii metu ædibus alicujus, an vicinia facta contributione ſarcire ei hoc damnum tenetur? Affirmant communiter Dd. *arg l.* 1. *&* 2. *D. de leg. Rhod. Bald. in ead. l.* 2. *n.* 1. *Mornac. in d. l.* 49. *D. h. tit. Gail. lib.* 2. *obſ.* 22. *Farin. d. quaſt.* 110. *n.* 151. *& ſeq.* Sed videndum ne verior ſit contraria Bartoli ſententia, *ad d. l.* 7. §. *eſt & alia D. Quod vi aut clam.* Sane argumento legis Rhodiæ communis ſententia defendi nequit. Confer *Tuld. ad tit. C. de leg. Aquil. n.* 3.

13. Chirographum meum corrupiſti,

quo continebatur obligatio pecuniæ ſub conditione debitæ: an lege Aquiliâ condemnari potes antequam conditio extiterit? Potes: *l. in lege* 40. *D. h. tit.* Nec adverſatur, quod judicium accipi ante quam debeatur non poſſit: *l. non quemadmodum* 35. *D. de jud. l.* 9. §. *ult. D. de pign. act.* Vide *Gloſſ. in d. l.* 40. *verb. debeam vincere. Coſtal. ibid. & in d. l.* 35. *Pac. cent.* 3. *antin.* 26. *Gail.* 2. *obſ* 74. *Gomeſ. ad l.* 40. *Taur. n.* 79.

14. Tabulas teſtamenti apud ſe depoſitas quis corrupit: & depoſiti tenetur, & ad exhibendum, & lege Aquiliâ *l. qui tabulas* 42. *D. h. tit.* Atqui de dolo actione conveniri poteſt. *l. ſi qui tabulas*, 35. *D. de dol. mal.* quæ cum alia actione concurrere nequit. *l.* 1. *& l. eleganter* 7. *D. eod.* Hæc non ſunt contraria *Gloſ. in d. ll. Cujac. in com. ad d. l.* 35. *Pac. cent.* 2. *antin.* 87.

15. Tabernarius in ſemita, noctu, ſupra lapidem lucernam poſuerat: eam prætericns ſuſtulit. Tabernarius fugientem inſecutus, dum lucernam eripere vult, facta rixa oculum ei eruit, damni injuriæ nomine tenetur *l. ſi ex plagis* 52. §. 1. *D. h. tit.* Non malè ex hoc reſponſo colligimus, ſolam rerum defenſionem, ad excuſationem cædis vel vulneris non ſufficere. Confer *l.* 3. *D. de juſt. & jur. l.* 4. §. 1. *l.* 5. *pr. l. ſcientiam* 45. §. *pen. D. h. tit. l. furem* 9. *D.*

ad

ad leg. Cornel. de ſicar. Dec. in d. l. 3. n. 31. Garz. ibid. n. 24. & ſeqq. Zoan. de tripart. deſenſ. part. 1. n. 42. & 49. Coſtal. n. d l. 45. D. h. tit. Diſſ. *Jaſ. in d. l. 3. n. 23. Clar. 5. ſent. § homicidium n. 25. & 47. Farin. quæſt. 125. n. 168. & ſeqq.*

16. Medicus imperitè ſecans aut perperam medicamentum dans, lege Aquiliâ tenetur; *§. imperita Inſt. h. tit. l 7. §. ult. l. 8. pr. D. eod.* Judex malè judicans actione in factum tenetur ex quaſi delicto *l. 5. §. ſi judex D. de O. & A. pr. Inſt. de oblig. ex quaſ. del.* Non eſt abſtruſa valdè diverſitatis ratio. Variè *Dd. Mynſ. Schneid. Weſ. Hotom. Bachov. d. pr. Inſt. Donel. 15. com. 28. in fin. Corſ. 1. indag. 24. Heig. part. 2. quæſt. 26. Vaud. 1. quæſt. 10. Giphan. 4. diſput. 35. n. 30.*

17. Anthiam piſcem habebam, quo duce & illice utebar ad magnas capturas: is à te exoſſatus eſt: in æſtimando damno non ſolum corporis peremti habenda ratio, ſed & prædæ interceptæ: *arg. d. l. ſi ſervum 33. d. l. 21. & ſeqq. D. h. t.* Nec quicquam mutat. *l. ſi ſterilis 21. §. cum per venditorem D. de act. emt. l. ſi is cui 71. §. 1. D. de furt. l. ult. D. de petic. & com. rei vend. cum ſimil. Hotom. in epit. h. tit. n. 12. Plin. 9. rer. nat. 59.*

18. Si meſſem meam in herba ſuccideris, aut immiſſo pecore depaſtus fueris, haut dubiè Aquilia, vel de paſtu pecoris

teneris *l. ſi ſervus* 27. *§. ſi olivam D. h. tit. l. ult. C. eod. l. qui ſervandarum* 14. *§. ult. D. de praeſcr. verb. Paul.* 1. *ſent.* 15. Sed utrum herbeſcens ſeges æſtimanda, an matura? Cynus, Caſtr. Jac. Rav. Alber. eoſque ſecuti Boer. *ad conſuet. Bitur. tit.* 10. §. 1. Chaſſ. *ad conſ. Burg. tit.* 1. §. 6. *verb. damnorum*, Menoch. 2. *arb. caſ.* 149. *n.* 21. herbeſcentem duntaxat æſtimandam cenſuerunt, *arg. d. l.* 27, §. *tertio D d. l. ult. C. ad leg. Aquil. l.* 2. §. *quaeſitum eſt D. de priv. del.* Contra ſine cerebro eſſe, qui talem æſtimationem inire volunt, ſcripſit Argentr. *ad conſ. Britan. art.* 386. *gloſ. un* ſecutus Speculatorem *lib.* 4. *tit. de injur. & dam. dat.* §. 2. *n.* 21. & in ſimili quæſtione, Molin. *ad conſ. Pariſ.* §. 1. *gloſ.* 8. *n.* 32. Nobis vero prioris ſententiæ auctores tam acerbam cenſuram nequaquam meruiſſe videntur.

19. Si familia alicujus damnum injuria dederit, utrum pro numero ſervorum ſæpius æſtimatio præſtanda, an ſufficit tantum præſtitiſſe, quantum unius nomine ſi damnum dediſſet, præſtaretur? Poſterius veriſſimum eſſe, patet ex *l. illud quaeſitum* 32. *D. h. tit. junct. l.* 1. §. *ſi plures D. ſi famil. furt. feciſ. dic.* Nec mutat *l. ſi familia* 9. *D. de juriſd. Duar. ad l.* 7. *D. eod. Cuj.* 8. *obſer.* 20. *Pac.* 1. *antin.* 56. *Hotom. illuſtr. quaeſt.* 33.

20. Actio legis Aquiliæ in directam & utilem diſtinguitur. Illa competit, cum

dam-

damnum corpore & in corpus datum eſt: hæc cum in corpus,non tamen corpore noſtro. Itaque ſi ſervum alienum de ponte in flumen præcipitaveris, iſque ſuffocatus fuerit,directa actio competit.*§.ult.Inſt.h.tit. l.* 7. *§. pen.l.* 27. *§. ſed & ſi quis milium* 19. *D. eod.* Nec adverſatur *d. l.* 14. *§. ſed etſi calicem D. de præſcr. verb.* Vide *Cuj. in not. ad d.§.ult. Baron. & Hotom. ad eund.* §.

21. Hominem vel pecus alienum ita incluſiſti, ut fame necaretur: utilem actionem adverſus te concedit Imperator *in d.§. ult.* At Diocletianus actionem legis Aquiliæ in duplum. *l.*5.*C.h.tit.* Jureconſulti vero actionem in factum *l. item ſi obſtetrix* 9. *§. ſi quis hominem l. quemadmodum* 29. *§. magiſtratus D. h. tit.* Nec hæc ſunt contraria. Vide *Cujac. d loc.poſt gloſ.in d.l.* 9. *& Græcos in d. l.* 5, *Baron. Hotom. Schneid. & alios in d.§.ult.*

22. Statuto cautum eſt, ut damnum æſtimet is qui paſſus eſt: Valet haut dubie ſtatutum, ſed quoniam ſingulare eſt, & ſtrictè interpretandum; *Hart. Piſtor. lib.* 1. *quæſt.* 16. *n.* 22. quæſitum eſt, an ſit intelligendum, etiam de rebus furto ablatis? Et ſatis probabiliter de his quoque intelligere poterimus *Maſcard. vol.* 1. *de probat. concl.* 472. *n.* 16. Valet etiam conventio hujuſmodi, ut damnum paſſus id æſtimet: Sed ſi inique æſtimet actor, non obſtante

ſtatuto vel pacto judex corrigere iniquitatem poterit. *Everh. conſil.* 103. *n.* 7. *Maſcard.d.loc.n.* 34.*&* *ſeqq.*

DISPUTATIO VIGESIMA OCTAVA,

DE

INJURIIS,

Reſp. JOHANNE COESVELDT, *Doesb. Gelrus.*

1. INjuria nihil eſt aliud quam contumelia contra bonos mores alicui illata: eaq; fit tribus modis: re, verbis, & literis. Quæ verò geſtu obſceno, aut pictura fit, ad unam harum ſpecierum non incommodè referri poteſt. *l.* 1. *& ſeqq. D. de injur. pr. Inſt. eod.*

2. Verbis haut dubiè injuria fit, cum crimen objicitur: quid ſi vitium naturæ aut fortunæ? Etiam ex hoc maledicto injuriarum actio naſci poteſt *l. item apud Labeonem* 15. §. *convitium* & §. *ſeqq. D. h. tit. l.* 3. *D. de lib. & poſth. hered. inſtit. l.* 2. §. *quid enim tam durum C. Quand. & quib. quart. pars deb. l ſi tibi ſervitutis* 31. *C. de liber. cauſ.* Confer *Gomeſ.* 3. *reſol.* 6. *n.* 2. *Clar.* 5. *ſent.* §. *injuria n.* 15. *Farinac. qu.* 105. *n.* 24.

3. Sed quod ad crimen attinet, vetus eſt quæſtio, utrum ita demum injuriarum actio detur, ſi innocenti objectum ſit, an etſi nocen-

centi? Paulus reſpondit,eum qui nocentem infamavit, non eſſe æquum ob eam rem condemnari. *l.eum qui* 18. *D.h.tit.* Hoc reſponſum variè Dd. lancinant, ut videre licet apud *Farin.d.quæſt.* 105.*part.* 5. *Covar.* 1. *var. reſol.* 11. *n.* 6. *Gail.* 2.*obſ.* 99. *Arg. ad conſ.Brit.art.* 627.*n.* 5. Nos nihil intereſſe exiſtimamus, utrum infamandi, an detegendi animo; in judicio, an extra judicium crimen objectum ſit.

4. Peculiariter etiam quæſitum de teſte, cui crimen objectum eſt elevandi teſtimonii gratia, an eo nomine injuriarum agere poſſit? Verius eſt poſſe, ſi modò crimen à litigante confictum ſit; cæterum ſi fama vulgatum probare non potuerit, parcendum ei videtur *l.* 5. §. 1. *D. Qui ſatiſd. cog. junct. l quis quis* 6. *C. de poſtul. l. miles* 11. §. *mulier D. ad leg. Jul. de adult. l.* 1. §. *quorum D. ad SC. Turpil Imb.* 1. *Inſt. for.* 45. *Rebuf. tract. de reprob. teſt..art.* 5.*gl. un. Mornac. ad l. Lucius* 21. *D. de his qui not. infam.* Diſſentire videntur pro parte *Coſtal. ad d. l.* 5. *Gail.* 2.*obſ.* 101.*n.*6.*&* 7. *Clar.* 5.*ſent.*§.*fin. quæſt.* 5.*n.*43.

5. Quid autem ſi damnato id ipſum crimen objiciatur,cujus jam pœnam ſuſtinuit? Siquidem ſalva exiſtimatione punitus ſit, æquum eſt, actionem injuriarum ei dari: ſin exiſtimationem conſumſerit pœna, vix eſt, ut eo nomine queri poſſit: quid

enim exiſtimationi jam conſumtæ decedere poterit? *Zoan.tripart.defens.part.* 2.*n*.11. & *ſeqq*. Diſſ. *Argentr.art*.627.*n*. 5.

6. Quid ſi convitians paratus ſit autorem laudare, an abſolvendus illo auctoritatem non defugiente? Nequaquam *arg. l. un. C. de famos lib.l.non ſolùm* 11. §. *ſi mandatu D h. tit. Coler.deciſ.* 161.*n*.41. *Schneid. ad* §. 1. *Inſt.h.tit. n.* 6. Generaliter enim in delictis laudatio auctoris locum non habet *l.* 5.*C.de accuſ.l.*8.*C.de Calumn.l.* 1.§. *incidit D. ad SC. Turpil. l.* 1. §. *quoties D. de vi & vi arm. Rebuf.tract.de dilat.art*. 2 *gl*.1.*n*.30. *Berlich. part*. 5. *concl.* 67. *n.* 50. *Coler. deciſ.* 161.*n*.41. *Papon.lib.* 6.*tit*.4. *arr*.14.

7. Convicio provocatus, ſi dixerit, *Mentiris*: non tenetur injuriarum *l. quæ omnia* 25.§.1. *D. de procur. l.qui cum major.* 14. §. *ſi libertus D. de bon. libert. Gail. d.obſ.* 101. *n*.4. & *obſ*.100. *per tot. Wurms.tit* 47. *obſ*.15. & 18. *Zoan. in tripart. defens. part.* 1. *n.* 54. Sed ſi convicium convicio ultus ſit, tametſi injuriam feciſſe videatur, non tamen abſurdum erit, paria delicta mutua compenſatione tolli, *arg. l. viro atque uxore* 39. *D. Sol. matr. Arg. art.* 628. *gloſ. un. Tuld ad tit. C. de injur. n.* 4. Diſſ. Dd. com. quorum alii ſummota compenſatione provocato omnino ignoſcunt; alii mitius eum puniendum cenſent. *Jaſ. & alii in l. ut vim D. de juſt. & jur. Bajard. ad Clar.* 5. *ſent.*§. in-

injuria n. 64. *&* 65. *Farin. d. quaeſt.* 105. *n.* 306. Sane Bologneti ſententia, qui *ad d. l. ut vim. n.* 94. *&* 95. ſcripſit, nobilem convicium à plebejo ſibi factum etiam colapho vindicare poſſe, nequaquam eſt probanda. Diſſ. *Berlich. part.* 5 *concl.* 64. *n.* 30.

8. Literis injuria fit, cum in alicujus infamiam carmen componitur, vel hiſtoria, aut inſcriptio *l.* 5. § *ſi quis librum & ſeqq. D. h. tit.* aut inventus libellus famoſus non corrumpitur ſed vulgatur *l. un. C. de famoſ. libel.* Sed ſi libello alterius rei gratia conſcripto, alicujus exiſtimatio quaſi in tranſitu ſuggilletur, auctor quidem tenetur, vulgator non tenetur. *l.* 15. §. *ſi quis libello. l.* 37. *D. h tit.*

9. Facere injuriam illi duntaxat poſſunt, qui doli capaces ſunt: pati, etiam qui doli capaces non ſunt, veluti impuberes nec dum proximi pubertati, furioſi, dormientes. *l.* 3. *pr. &* §. 1. *D. h. tit.* Quin etiam mortuis videtur injuria fieri, ſi cadaver vexetur, aut ſtatua ſaxis cædatur: quam injuriam heredes & bonorum poſſeſſores exequi ſolent *l,* 1. §. *et ſi fortè* 4. *l. ſi ſtatua* 27. *D. h. tit. junct. l.* 1. *D. de his quæ ut indign. l. oſſa* 8. *D. de relig. & ſumt. fun. Farin. d. quæſt.* 105. *n.* 85.

10. Patimur injuriam non ſolùm per noſmet ipſos, verum etiam per ſervos noſtros, per liberos quos in poteſtate habemus, per uxorem, per ſponſam. §. *patitur Inſt.*

Inſt. h. tit. l. 1. *§. item aut per ſemetipſum l.* 1 5. *§. ſponſum & §. ult. l.* 16. *D. eod.* Adjiciunt Dd. per cognatum etiam toti cognationi, Per ſubjectas perſonas abbati, epiſcopo, ſeniori, magiſtratui, civitati injuriam fieri *Dd. in d. §. patitur. G. Pap. decis.* 464. *Gomes d. c.* 6. *n.* 6. *Menoch. de arb. caſ.* 262. *Bajard. ad Clar. d. §. injuria n.* 38. *Farin. d. quæſt.* 105. *n.* 288. Verum non perſuadent.

11. Pœna injuriarum ex XII. Tab. propter membrum ruptum talio fuit; propter os fractum numaria aſſium XV. *§. pœna Inſt. de injur. Gell* 20. *noct. Attic. cap.* 1. Utraque rectè ſublata eſt, inprimis talio: neque enim juſtitiæ diſtributrici conſentanea eſt. *Ariſt.* 5. *Eth. cap.* 8. *Favorin. apud Gell. d. cap.* 1. *Bodin. lib.* 6. *de republ. cap. ult. Grot. lib.* 1. *de jur. bel. & pac. cap.* 2. *& lib.* 2. *c.* 20.

12. Novo jure permittit prætor injuriam paſſo, eam æſtimare, & vel tanti reum condemnat, vel etiam minoris *d. §. pœna Inſt. h. tit.* Quæ pœna locum habet, non ſolum ſi ex edicto agatur, ſed etſi ex lege Cornelia *l. conſtitutionibus* 37. *§.* 1. *D. eod.* Spectatur autem in ineunda æſtimatione tempus admiſſi, non quo agitur, *l. injuriarum* 21. *D eod.* Ac licet jurisjurandi his locis nulla fiat mentio, rectiſſimè tamen illud receptum, ut juramento actori delato injuria æſtimetur, *arg. l.* 5. *§. ult. l. cum furti* 9. *D.*

9. *D.de in litem jurand.l.ſi quando* 9. *C.und. vi.* Diſſ. *Tuld. in Cod.ad h.tit.n.* 10.

13. Si plures injuriæ illatæ ſunt, ſingularum æſtimatio peti poteſt. Si tamen eodem momento & impetu, veluti ſi eodem tempore & domum tuam Titius vi introierit, & convicio dicto te verberaverit, plures quidem injuriæ ſunt, de ſingulis tamen ſeparatim agi nequit, ſed omnes conjungendæ ſunt. *l.* 7. §. *ſi mihi plures l. ſi plures* 34. *D. h. tit. Cujac.* 26. *obſ.* 18. Confer *Farinac. d.quaſt.* 105. *n.* 174. *Sande lib.* 5. *deciſ. tit.* 8. *def.* 1.

14. Illud difficilius, ſi mortuo injuria facta ſit, & plures exiſtant heredes vel bonorum poſſeſſores qui agere velint, utrum ſinguli in ſolidum, an pro partibus hereditariis agere poſſint? Sed cum ad ipſorum exiſtimationem hæc injuria pertineat; cum actionem ſuo nomine habere dicantur; *l.* 1. §. *etſi fortè* 4. & §. *quotiens* 6. *D. h. tit.* cum tot ſint injuriæ, quot perſonæ eorum qui aut faciunt, aut patiuntur *d. l. ſi plures* 34. *D. eod. l. ſi familia* 9. *D. de juriſd.* denique cum pater, maritus, filiafam. nupta, ſinguli in ſolidum agant, *l.* 1. §. *ult. D. h. tit.* recte judicatum arbitror, etiam heredes ſingulos in ſolidum agere poſſe. *Sand. d. tit.* 8. *def.* 2. Diſſ. *Imol. l.* 2. §. *Cato n.* 44. *D. de V.O. Farin. quaſt.* 107. *n.* 368.

15. Tollitur injuria diſſimulatione, quæ

ex familiari converſatione & uſu potiſſimum colligitur. Cæterum neque deprecatio vapulantis, neque dilatio actionis, neque orationis dominicæ recitatio, neque ſacræ cœnæ communio ſola ſufficiens diſſimulationis argumentum eſt. §. *ult. Inſt.h.tit.l.ſi tibi* 31.*C.de liber.cauſ.Joan.Fab.& Schneid. in d.* §.*ult. Berl.* 5.*concl.*70.*n.*19.*& ſeqq. Farin.d.qu.* 105 *n.*376. *Sand. d.tit.* 8.*def.* 12. Nec excipimus injuriam manu factam, puta verberando, vulnerandove: hæc quoque diſſimulatione tollitur. Diſſ. *Farin.d.quæſt. n.*345.

16. Tollitur pacto, tranſactione, jurejurando *l ſi tibi* 17.§. 1 *l.ſi unus* 27. §. *pacta D. de pact. l. non ſolum* 11. §. 1. *D. h. tit.* Nec adverſatur *l.* 1. *l.* 6. §. *pactuſque D. de his qui not. infam.* Sed ſi fortè contumeliæ damnum mixtum ſit, quæritur, an remiſſa injuria, cenſeatur etiam remiſſa perſecutio damni? Verius eſt, non cenſeri remiſſam. *arg. l. ſi pro fure* 7. *D. de cond. furt. l.* 2. *D. de priv. del. l. cum ex uno* 32. *l. qui ſervum* 34. *l. quotiens* 41. §. 1. *D. de O. & A. l.* 15. §. *ſi quis ſervo verberato D. h. tit. Clar.* §. *fin. quæſt.* 58. *n.* 38. *Gomeſ. d. cap.* 6. *n.* 13. *Farin. d. quæſt.* 105. *n.* 365. *Mynſ. cent.* 4. *obſ.* 10. *Berlich part.* 5. *concl.* 70.*n.*26.

17. Poſtremò tollitur injuriarum actio anno *l ſi non convicii* 5. *C. h. tit.* Sed de hoc anno

anno non una nata eſt controverſia. Quæritur enim, annus ſitne intelligendus continuus, an utilis? Nos iis aſſentimur qui utilem intelligunt: *arg. l. 6. D. de alien. jud. mut. cauſ. l. 1. & 6. D. de calum. l. 1. pr. & §. annus 39. D. de vi & vi arm. l. 1. §. hanc actionem D. Si mul. ventr. nom. in poſſ. cal. cauſ. es dic. l. in honorariis 35. D de O. & A. cum ſimil. Gail. 2. obſ. 105. n. 3. Cuj. in l. 14. §. 1. D. Quod met. cauſ. Gov. 1. var. lect. 10.* Diſſ. *Mynſ. cent. 5. obſ. 7. Wurmſ. tit. 47. obſ. 1. Hart. ab Epping. tit. 49. obſ. 2. Weſ. in parat. n. 13. Schneid. ad § ſed & lex Cornelia Inſtit. h. tit. Clar. d. §. injuria n. 9. Farin. quæſt. 10. n. 22.*

18. Dein dubitatur, an etiam ob injuriam literis factam intra annum agendum ſit? Multi perpetuam actionem eſſe putant, eo quod literæ ſemper loquantur. *Zas. in l. cum lex n. 22. D. de legib. Gail. 2. obſ. 104. n. 4. VVurmſ. d. tit. 47. obſ. 11. VVeſ. d. loc.* Nobis verò neque ſententia hæc, neque ratio ſententiæ placere poteſt. *Rauchb. 1. quæſt. 48. n. 4. & 5. Coler. de proces. exec. part. 4. cap. 1. n. 92. Berlich. part. 5. concl. 69. n. 50. & 51. Fach. 9. contr. 9.*

19. Adhæc controvertitur, an actio quoque ex lege Cornelia deſcendens anno terminetur? Verius eſt, hanc cum civilis ſit & injuriam manu factam vindicet, perpetuam eſſe. *pr. Inſt. de perp. & tempor. act. Clar. d. n.*

d.n. 9. *Farin.d. quæſt.* 10. *n.* 23. *Rambbar.d. qu.* 48. *n.* 3. *Hart. Piſtor.* 4. *quæſt.* 20. *Myns. cent.* 1. *obſ.* 84. & *cent.* 5. *obſ.* 7. *VVamſ. d. obſ.* 1. *Sand.* 5. *tit.* 8. *def.* 3. *Neoſt. deciſ. cur. prov.* 13. Diſſ. *Azo in ſum. C. h. t. n.* 17. *Gomeſ. d. cap.* 6. *n.* 15. *Fr. Marc. part.* 2. *deciſ.* 192. *n.* 2. *Oldend. de act. claſ.* 7. *act.* 19. *n.* 7. *Mol. ad conſt. Elect. part.* 4. *conſt.* 46.

20. Moribus alia actio introducta eſt, qua ad palinodiam agitur. Hanc civilem putamus, non criminalem *Mynſ. cent.* 2. *obſ.* 98. *Gail.* 1. *obſ.* 65. *Epping. d. tit.* 49. *obſ.* 3. *n.* 6. Diſſ. *Marant. part.* 4. *de judic. diſt.* 1. *n.* 10. Annalem, non perpetuam. *Vult. ad* §. *pœna Inſt. h. tit. n.* 8. Diſſ. *Berlich. part.* 5. *concl.* 62. *n.* 43. Cumulari cum prætoria actione non poteſt, niſi id conſuetudine ſit inductum: deficiente enim conſuetudine ad jus commune recurrimus, quo regulariter cumulationes actionum ſunt prohibitæ, *l.* 78. §. *pen. D. de leg.* 2 *l.* 6. *D. de excep. rei jud. l.* 33. *l.* 84. §. *qui ſervum D. de leg.* 1. *l.* 1. §. *quia autem D. Quod legat.* Diſſ. *Gail.* 1. *obſ.* 65. *n.* 5. *Berlich. d. concl.* 62. *n.* 7.

21. Condemnatum injuriarum infamia ſequitur *l.* 1. *D. de his qui not. infam.* Sed an judex condemnare etiam ſalvâ exiſtimatione poteſt? Poteſt ſanè, ſi graviorem pœnam extra ordinem irroget *l. quid ergo* 13. §. *pen.*

pen.D.eod. alias non poteſt *l. Divus* 40.*D. h.tit. l. non poterit* 63. *D. de furt. l.* 1.§. *quorum D. ad SC.Turpil. l.* 5. *C.ex quib.cauſ. infam.irrog. Zaſ.ad l. acta* §.*de amplianda n.* 7.*D. de re jud.* Diſſ. *Dd.com. Gail.*1.*obſ.*65. *in fin. Blarer. ad l.diffamari, in protheor.part.* 2. *n.* 3. *Boer deciſ.* 64. *n.* 10. *Berlich.de part.* 5.*concl.* 64. *n.* 34. *Chaſ.ad conſ. Burg. tit.* 4. §. 5.*gl. pen. n.* 36. *Clar.d.* §. *injuria n.* 10.

DISPUTATIO VIGESIMA NONA,

DE

QUASI DELICTIS.

Reſp. Georgio Lamsvveerde *Ultraj:ct.*

1 QUaſi delictum à vero peccati magnitudine diſtat: illud enim dolo, hoc culpa contrahitur. Illic ex noſtro, hic etiam ex alieno admiſſo tenemur. *pr. Inſt. de oblig. ex quaſ.del. l.* 5.§.*ſi judex D.de O.& A. l. ult. D.de extraord. cognit.* Species numerantur iſtæ: Si judex litem ſuam fecerit: Si dejectum effuſumve ſit, qua vulgò iter fit: Si ſuſpenſum vel poſitum: Si furtum aut damnum factum ſit in nave, caupona, ſtabulo.

2. Quan-

499. in ſolidum teneri ſcribunt. Non recte: impingit enim eorum ſententia in *d.l. filiusfam.* 15. §. 1. *D. de judic.* Impingit etiam in commune Dd. placitum, quo tradunt in pœnali & famoſa diſpoſitione latam culpam non æquiparari dolo. Vide *Alciat. in l. magna* 226. *D. de V. S.*

5. Tertio videndum, imperitiam cum imputamus judici, utrum exactam ille, an exactiſſimam diligentiam in cognoſcendo adhibere debeat? Verius eſt, actionem in factum ob levem quidem, non etiam ob leviſſimam culpam dari: *arg. l. ult D. de magiſtr. conven. l. Magiſtratus* 6. *D. de admin. rer. ad civit. pertin. l. judices* 9. *C. de judic. Arg. ad conſuet. Britan. art.* 34. *gloſ.* 1. *n.* 1. *Menoch. d. caſ.* 339. *n.* 21. Quare ſi in cauſa ardua atque difficili erraverit, recte reſponſum eſt, non eſſe hoc ei imputandum: veluti, ſi erraverit in materia *l. Gallus D. de lib. & poſth. hered. inſtit.* Diſſ. *gloſ. in d. pr. Inſt. verb. videbitur. Alex. d. lit. f. Mynſ. d. pr. n.* 3. *Schneid. n.* 15. *Farin. d queſt.* 111. *n.* 566. exiſtimantes etiam ob hunc errorem, mitius tamen, judicem puniendum eſſe.

6. Quarto excutiendum, rectene Cujacius ſcripſerit, *in not. poſter. ad Inſt.* imperitiam tantum judici pedaneo, non jus dicenti imputari? Nobis magis communis opinio placet, quæ tam judices ordinarios,

quam

quam delegatos actioni in factum ſubjicit. *arg. l. 1. & ult. & auth. novo jure C. de pœn. jud. qui mal. jud. Gloſ. in d. l. ult. verb. de ea re D. de Extraord. cognit. Bartol. ibid. n. 1. Mynſ. pr. Inſt. de oblig. ex quaſ. del. Farin. d. quæſt. 111. n. 447.*

7. Quinto, ſi ex conſilio adſeſſoris vel alterius Juriſperiti male judicatum ſit, utrique ne, an alterutri id imputandum. Varie de ea re ſentiunt DD. ut videre licet apud *Specul. lib. 2. tit. de requiſ. pecul. n. 5. & 13. Farin. d. quæſt. 111. n. 459. & ſeqq. & n. 467. Menoch. d. caſ 339. n. 16. Zaſ. in l. 5. §. ſi judex n. 6. D. de O. & A. & in l. 2. D. Quod quiſque jur.* Nos eos ſequimur, qui hoc adſeſſori vel perito, non judici imputant *arg. d. l. 2. D. Quod quiſq jur. in al. Deci. ad l. conſilii 47. n. 2. & 3. D. de Reg. jur. Sich. ad l. 1. n. 44. C. de ſent. ex peric. recit. Duar. ad d. tit. Quod quiſque jur. cap. 2.*

8. Sexto, ſi ſententia ſit ipſo jure nulla, an nihilominus hâc actione judex tenetur? Tenetur: leges enim non diſtinguunt hâc parte inter ſententiam nullam & iniquam: Quin etiam per ſordes lata ipſo jure nulla eſt *l. venales 7. C. quand. prov. non eſt nec.* Ob ſordes autem judicem teneri, pluſquam manifeſtum eſt *d. l. 15. §. 1. D. de jud. d. l. ult. C. de pœn. jud. qui mal. Bachov. ad pr. Inſt. h. tit.* Diſſ. *Gloſ. in l. ult. verb. ſi judex D. de Extr. cognit. Farin. d. quæſt. 111. n. 474.* Sed

etſi

etſi pars læſa appellaverit, aut cum poſſet, non appellaverit, verumtamen eſt; judicem teneri. *Farin. d. quæſt.* 111. *n.* 509. *& ſeqq. Schneid. ad d. pr. Inſt. h. tit. n.* 13. *Menoch. d. cap.* 339. *n.* 10. *&* 11.

9. Septimo, cum Dd. actionem hanc producant ad arbitrum, arbitratorem, examinatorem teſtium, executorem, tabellionem ſeu notarium, *Farin. d. quæſt.* 111. *n.* 440. 455. *Weſemb. in parat. de extraord. cognit. in fin. Menoch. d. caſ.* 339. *n.* 6. *&* 18. *Schneid. ad d. pr. Inſt. n.* 7. *& ſeqq.* videndum eſt, an id recte ab eis factum ſit? Non male, quantum ad arbitros, *arg. l.* 1. *D. de recept. l. pen C. de pact.* Quantum ad reliquos, vix eſt ut id defendi poſſit.

10. Poſtremo, ſi judex hâc actione conventus ſatisfecerit parti læſæ, quæritur, an regreſſum habeat adverſus alterum litigatorem? Verius eſt, non habere: *l.* 5. *§. pen. D. Ne quis eum qui in jus voc. vi exim. arg. l.* 1. *§. plane l. ſi ex duobus* 15. *D. tutel. & rat. diſtrah. l. ſi plures* 38. *§. ult. D. de admin. tut. nov.* 18 *cap.* 1. Nec adverſatur *l. miſſi* 6. *C. de exact. tribut.* Sed nec placent limitationes quas adducit *Farin. d. quæſt.* 111 *n.* 504. *& ſeqq.*

11. Secunda ſpecies eſt, ſi ex cujus ædibus, cœnaculo, apotheca, horreo, ſive propriis, ſive conductis, dejectum effuſumve quid ſit, qua vulgo iter fieri ſolet

quo caſu adverſus dominum vel habitatorem actio in factum datur: ſi liber homo perierit, in aureos L. ſin vivat, nocitumque ei ſit, quantum ob eam rem judici æquum videtur: cæterarum rerum nomine in duplum *l. 1. pr. & §. hæc verba 6. D. de his qui effud. vel dejec. §. item is Inſt. h. tit.*

12. Hoc edicto tenetur dominus ex admiſſo ſervi, maritus ex facto uxoris, pater ex facto liberorum, magiſter ex facto diſcipuli, hoſpes ex facto hoſpitis *leg. 1. §. 4. & §. pen. l. 5. §. 1. & §. ſi horrearius l. hoc edictum. 6. § pen. D. de his qui dej. vel effud.* Cui conſequens eſt, ut ſi ex cubiculo ſtudioſi dejectum ſit, locator teneatur: nam nec cubiculum idem quod cœnaculum: nec ſtudioſus habitat, ſed peregrinatur ſtudiorum gratia *d. l. 1. §. pen. d. l. 5. §. 1. & 2. D. eod. l. pen. §. in factum D. naut. caup. ſtabul.*

13. Ex hoc edicto, ſi liber homo perierit, pœna eſt aureorum quinquaginta: ex edicto Ædilium Curulium pœna eſt aureorum ducentorum *l. qua vulgo iter fit 42. D. de ædil. ed.* Cur tam varie? An quod ædilitium edictum recentius ſit, & auctis opibus civitatis propoſitum? An magis quod gravius ſit, alere ferum animal, qua vulgo iter fit, quam recipere in ædes hominem ſocordem & negligentem?

14. In

14. In æſtimando damno non ſolum mercedes medicis præſtitæ & reliqua impendia in curationem facta æſtimantur, ſed & operæ quibus quis caret, aut cariturus eſt, ob hoc quod inutilis eſt factus *d.* §. 1. *Inſt. h. tit. l. ult. D. de his qui dejec. vel effud.* At quomodo operæ? Reſpondent nonnulli, ſecundum computationem Macri *in l. computationi* 68 *D. ad leg. Falcid. Specul. lib.* 4. *tit. de injur.* §. *ſequitur n.* 6. *Gomeſ.* 3. *var. reſol.* 6. *n.* 11. *Farin. quæſt.* 119. *n.* 99. *Boer. ad conſ. Bitur. tit.* 10 §. 1. *in fin.* quem compilavit *Chaſ. ad conſ. Burg. tit.* 1. §. 6. *verb. damnorum n.* 6. Non recte: non enim ſicut alimenta, ita operæ omnis ætatis ſunt. *l. ult. D. de oper. ſerv. l. quod ſi artificem* 32. *D. de rei vind. l. qui libertinus* 37. *D. de oper. liber. Cujac.* 9. *obſ.* 38. *Argentr. ad conſ. Brit. art.* 607. *n.* 3. *Mornac. ad d. l.* 32.

15. Cicatricum & deformitatis æſtimationem fieri negat JC. *in d. l. ult. D. de his qui dejec.* Excipiunt aliqui virginem, cujus facies ſi fœdata ſit, deformitatis habendam rationem cenſent, quia difficilius reperiet maritum *Gomeſ. d. cap.* 6. *n.* 12. *Farin. d. quæſt.* 119. *n.* 116. *Berlich. part.* 5. *concl.* 70. *in fin.* auctore Jac. de Raven. *in l. ex hac lege D. Si quadr. paup. fec. dic.* Verum recte hanc exceptionem reprobavit Ar. Pinel. *ad l.* 1. *C. de bon. mat. part.* 1. *n.* 4.

16. Tertia ſpecies eſt, ſi quis in ſug-

grunda, protectove, vel ſupra eum locum qua vulgo iter fit, id poſitum vel ſuſpenſum habeat, quod ſi cadat, nocere poſſit. Quo nomine popularis actio in decem aureos datur, *l. 5. §. prætor ait 6. & ſeqq. & §. ult. D. de his qui dejec. vel effud. d. §. 1. verſ. cui ſimilis eſt. Inſt. h. tit.* Quod ſi deciderit quod poſitum vel ſuſpenſum erat, pro dejecto habetur; ideoque priore actione agi poteſt *d. l. 5. §. pen.*

17. Si filiusfamilias ſeorſim à patre habitet, utraque actio in ipſum datur, non in patrem de peculio *l. 1. §. ſi filiusfamilias D. d. tit. §. ſi filiusfam. Inſt. eod.* Sed ſi filiusfam. condemnatus nihil in bonis habeat, quærunt Dd. an pater ex legitima ejus teneatur judicatum ſolvere? Et recte reſpondent, non teneri: quia vivente patre nihil juris habet filius in legitima *l. 1. §. ſi impubere 21. D. de collat. Schneid. in d. §. ſi filiusfam.* Durius tamen Speculator dixit, *tit. de exec. ſent.* patrem in fraudem legitimæ abjicere bona in mare poſſe.

18. Quarta ſpecies eſt, ſi in nave, caupona, ſtabulo furtum damnumve factum ſit, tenetur eo nomine nauta, caupo, ſtabularius actione in factum in duplum: ſi modo factum ſit ab eo cujus opera nauta vel caupo utitur, vel qui in caupona habitat. *§. ult. Inſt. h. tit. l. 5. §. ult. D. de O & A. l. ult. D. naut. caup. ſtabul. l. un. D. furt. adverſ. naut. caup. ſtabul.*

19. S

19. Si nauta prædixerit vectoribus, ut unusquiſque res ſuas ſervet, non amovet à ſe periculum, niſi vectores conſenſerint prædictioni *d. l. ult.* §. *item ſi prædixerit D. naut.caup.ſtabul.* Eâdem ergo ratione dicendum, ſi caupo clavem cubiculi tradiderit viatori, non aliter periculi exſortem fore, niſi hoc prædixerit, & viator conſenſerit *Gloſ. in d.* §. *item ſi prædixerit, Schneid. d.* §. *ult. Inſt.h.tit.n.*4. *Myns.n.*5. Confer *Duar. ad tit.D.naut.caup.ſtabul.*

20. Si in folle, quem viator intulerat, res magni pretii fuiſſe dicat, nec tamen id teſtibus probare poſſit, an ſtabitur ejus juramento? Non pœnitet communis diſtinctionis, ut ſi follem reddat caupo violato ſigno vel commiſſura, ſtetur juramento viatoris, ſi modo ejus conditionis ſit, ut veriſimile ſit eum res precioſas habuiſſe. Nam ſi mendicus follem intulerit, lupinos potius in eo fuiſſe credemus quam uniones. *Facit l. ſi quando* 9. *C. Vnd. vi l. ſemper* 15. § *ſed quod* 9 *D. Quod vi aut clam. Bartol ad l. in actionibus D. de in lit jur. n.* 23. *Specul. lib* 4. *tit. de furt. n.* 17 *& ſeqq Clar* §. *furtum n.* 27. *Maſcard. de prob. concl.* 472 *n.* 14. *Schneid. d.* § *ult. n.* 5. Diſſ. *Jaſ. in d. l.* 9 *n.* 48 *Giphan. ibid.* Vid. *Baſil. l.* 53 *tit. de jur. naval. Rhod.* §. 13.

DISPUTATIO TRIGESIMA, DE DUOBUS REIS.

Reſp. RUMOLDO van DAM. *Vltraject.*

1. ENumeravimus ſpecies obligationum: adjiciamus nunc acceſſiones earundem. Hæ vel perſonarum, vel rerum ſunt. Perſonarum, veluti, duo rei, fidejuſſio, conſtitutum. Duo rei ſunt duo creditores, quibus ſingulis ſolidum debetur: vel duo debitores, qui ſinguli ſolidum debent.

2. Conſtituuntur non ſolùm ſtipulatione, ſed & cæteris contractibus, veluti emtione, venditione, locatione, conductione, depoſito, commodato; ſi duo vel plures eandem rem in ſolidum emant, vendant, locent &c. Sed & teſtamento fieri poſſunt duo rei, ut puta, ſi pluribus inſtitutis heredibus teſtator dixit, Titius aut Mævius Sempronio decem dato. *l. eandem* 9. *pr. D. de duob. reis. l. item quæritur* 23. §. *duo rei D. locat. l ſi Titio* 16. *D. de leg.* 2. Et licet Valla, *de reb. dub. tract.* 18. *n.* 11. exiſtimet, cæteris contractibus non propriè, ſed quodammodo duos reos fieri, ſententiam tamen

men ejus *l.* 5. §. *ult. D. commod.* non ſatis firmare videtur.

3. Obligantur etiam in ſolidum duo exercitores ex contractu magiſtri ſui *l.* 1. §. *ult. & l. ſeqq. D. de exerc. act.* duo mercatores ex contractu inſtitoris, *l. habebat.* 13. §. *ult. & ll. ſeq. D. de inſtit. act.* duo tutores ex adminiſtratione tutelæ *l. ſi plures* 38. *D. de admin tut. l.* 1. §. *nunc tractemus & ſeqq. D. tutel. & ration. diſtrah. l.* 2. *C. de divid. tutel. l.* 6. *C. ar' . utel.* duo opus facientes, duo fures, ex opere vel furto ſimul facto, *l ſemper* 15. §. *ſi in ſepulchro D. Quod vi aut clam. l. vulgaris* 21 §. *ſi duo D. de furt. l ita vulneratus* 51 *in fin. D. ad leg. Aquil.* Verùm poſtrema ſpecies nihil ad præſens inſtitutum: nec propriè duo rei ſunt, quos tutela vel curatio obligat. In prima ſpecie non impropriè duos reos agnoveris.

4. Porrò ſtipulatione duo rei credendi fiunt, cum duobus ſeparatim ſtipulantibus ita promiſſor reſpondet: *Utrique veſtrum dare ſpondeo.* Promittendi, cum interroganti, *Titi, x. aureos dare ſpondes? Mævi, eoſdem decem aureos dare ſpondes?* uterque ſeparatim reſpondet, *Spondeo. pr. Inſt. h. tit. l.* 4. *D. eod.* Sed quæritur, an intervallum inter Titii Mæviique reſponſionem intercedens, vitiet obligationem? Negat Ulpianus *l.* 3. Affirmat Julianus *l.* 6. Venulejus *l.* 12. *D. h. tit.* Nulla hic diſſenſio eſt. Vide *Ronchegal. in d. l.* 3. *&* 6.

5. Neque ſolùm ſtipulatione dandi duo rei fieri poſſunt, ſed & ſtipulatione faciendi; veluti, ſi à duobus fabris ejuſdem peritiæ eaſdem operas ſtipuleris *l*. 5. *D. h. tit.* Quo caſu licet fictionem nonnulli intervenire putent, ut eadem res in obligatione eſſe videatur, *Schneid ad pr. Inſt h. tit. n.* 9: non tamen reſponſo JCti id ſatis convenire videtur.

6. In univerſum autem ut duo rei promittendi fiant, requirimus primò, ut exprimatur, ſingulos in ſolidum teneri *nov.* 99. *cap. un.* cum olim ſufficeret id agi à contrahentibus *l*. 4 *&* 8 *D. h. tit. l. cum apparebit* 47 *D. locat.* Cujac. *in d. nov.* Diff. *Schneid. pr. Inſt. h. n* 12. Itaque ſi tres caverint inſtrumento, ſe pecuniam accepiſſe, non ſunt plures rei debendi *l.* 5. *C ſi cert. pet. l. reos* 11. § *ult. D. h. tit.* Eſtque rectiſſimè pro regula traditum: In dubio non præſumi duos reos, ſed ſingulos pro parte virili obligatos. *Ronchegal. in d.* §. *ult. n.* 16. *& ſeqq. Pyrrh. tract. de fidejuſſ. part.* 2. *ſect.* 6. *cap.* 4. *n.* 17. *Afflict. deciſ.* 215. *Capyc. deciſ.* 18. *n.* 3. *& dec.* 180. *n.* 1. *&* 2.

7. Loquitur autem *d. nov.* 99. de duobus reis debendi: igitur ad duos reos credendi non eſt producenda: ſingulis ſolidum debetur, ſi hoc actum, licet non expreſſum ſit *arg. l. præcipimus* 32. *in fin C. de appel. Joan. Fab. ad auth. hoc ita C. h. tit. Rittershu.*

part.

part, 3. novel. cap. 6. n. 12. Sed nec ad omnes reos debendi pertinet: non certè ad eos, qui teſtamento conſtituuntur *d. nov.* 99. *verb. ſumat. & verb. conventionem. Moller.* 5. *ſemeſtr.* 62. An ad exercitores? Verius eſt, ne ad hos quidem pertinere.

8. Secundò requiritur, ut uterque reus obligari poſſit: nam ſi, verbi gratia, ſtipuleris à Titio & pupillo abſque tutoris auctoritate, ſolus Titius tibi obligabitur. *l. his verbis* 8. *l. ſi ex duobus* 12. §. 1. *D. h. tit. junct. l. in perſonam* 30. §. 1. *D. de pact.* Aliquando & neuter condemnabitur, ſi nimirum in fraudem juris conreus adſumtus ſit, *arg. l.* 7. §. *ſed Julianus D. de SC. Maced. Argentr. ad conſ. Brit. art.* 464. *gloſ. un. in fin.* Confer *Robert.* 2. *rer jud.* 5. *quæſt.* 2.

9. Tertiò, ut par ſit utriuſque obligatio. Itaque & res eadem debet eſſe in utraque obligatione, & quantitas, & eadem doli culpæque præſtatio *l.* 2. *l.* 3. *in fin. l. eandem* 9. *pr. &* §. 1. *l. ult. D. h. tit.* Diſparitas verò temporis & loci non vitiat obligationem; ut ſi alter purè, alter in diem vel ſub conditione obligetur. Si alter ex Aſia, alter ex Africa centum ſe daturum Capuæ ſpondeat *l. ex duobus* 7. *& d. l.* 9. §. *ult. D. h. tit.*

10 Quantum ad reos ſtipulandi attinet, ſufficit hoc inter contrahentes actum eſſe, ut utrique ſolidum debeatur, etſi verbis non

non ſit expreſſum. Uterque tamen jus ſtipulandi habere debet: utrique eadem res promitti. Itaque non ſolum inanis eſt conventio, ſi alteri v. alteri x. promittas: ſed etſi utrique uſumfructum, qui non poteſt eſſe idem in utriuſque perſona, vel utrique dotem ſpoponderis *l. ſi id quod* 15. *D. h. tit. l. ſtipulatio iſtá* 38. §. *ſed ſi quis uti frui* 12. *D. de V. O. l.* 4. *in fin. D. de novat.*

11. Quantum ad effectum, ſi duo ſint rei credendi, ſingulis ſolidum debetur. Itaque petitione unius jus alterius perimitur *l.* 2. *l.* 3. *in fin. D. h. tit.* §. 1. *Inſt. eod.* Sed quæritur, an quod unus exegit, id communicare conreo teneatur? Si ſocii ſint, aut hoc inter eos actum fuerit, tenetur: ſin minus, non tenetur. *l. in lege* 62. *D. ad leg. Falcid. junct.* §. *ſi quis alii Inſt. de inut. ſtipul.* Ita malumus, quam cum Gomeſio & aliis diſtinguere inter conreos ex cauſa oneroſa & conreos ex lucrativa *Gomeſ.* 2. *reſol.* 12. *in fin.* Neque probo quod Ronchegallus tradidit, *ad l. reos* 11. *n.* 76. *h. tit.* etſi neque ſocietas, neque pactio intervenerit, officio tamen judicis conreo ſubveniendum eſſe.

12. Quæritur etiam, cum debitum unus petit, an cavere teneatur, ſe defenſurum debitorem adverſus petitionem alterius? Affirmant nonnulli, *per l. fideicommiſſa* 11. §. *ſic eveniet* 21. *D. de leg.* 3. *Schneid. ad* §. 1. *Inſt. h. tit.* Verum ex adducto juris capite non

recte

recté hanc cautionem commenti eſſe videntur. Actionem ſanè ei qui ſolidum ſolvit, adverſus conreum promittendi cedere debet *l. cum apparebit* 47. *D. locat. d. nov.* 99. *cap.* 1.

13. Quæ ſolutionis, eadem eſt acceptilationis ratio: unus enim accepto ferens promiſſori, totam obligationem perimit *d. l.* 2. *D. h. tit. l. & per jusjurandum* 13. §. *ult. D. de acceptil. l. ſi rem* 31. *D. de novat.* Nec diverſa eſt jurisjurandi ratio, ſi debitor uno deferente juraverit ſe dare non oportere *l. in duobus* 28. *pr. D. de jurej.* Pactum verò unius alteri neque nocet, neque prodeſt: idque ſive ſocii ſint, ſive ſocii non ſint *l. ſi unus* 27. *pr. D. de pact.* Nec adverſatur *l. ſi duo* 34. *D. de recept l.* 5. *D. Si quis caut. jud. ſiſt. Cujac. in d. l. ſi unus. Pac. cent.* 3. *antin.* 18 *Borch. de pact. cap.* 2. *diviſ.* 3. *n.* 18. *Lud. Charond.* 1. *deciſ.* 21. *concil.* 6. Diſſ. *Donel. ad tit. C. de duob. reis cap.* 5. *n.* 1. & 6. Confer *Conna.* 6. *com.* 5. *n.* 12. & *ſeq.*

14. An novare unus obligationem poteſt? Ait Venulejus *in l. ſi rem* 31. §. *ſi duo D. de novat.* Negat Paulus *in d. l. ſi unus* 27. *D. de pact.* Agnoſcit pugnam Faber 11. *conject.* 18. Zaſius *in d. l. ſi unus.* Cujac. *in d. l. ſi unus & lib.* 22. *obſ.* 6. qui tamen duo Venulejum ſequuntur. Conciliationi ſtudent Donellus *ad tit. C. de duob. reis cap.* 5. *n.* 6. Pacius 1. *antin.* 96. Robert. 1. *ſent.* 25.

Illi quidem diſtinguendo; Robertus verò emendando. Nobis ex primo ordine Zaſius & Cujacius placet: ex ſecundo Pacius. Robertus omninò diſplicet.

15. Quantum ad reos promittendi, hi ſolidum ſinguli debent: ſed ex *d. nov.* 99. *cap.* 1. beneficium diviſionis habent, ſi uterque præſens & ſolvendo ſit. Ita rectè *d. nov.* plerique Dd. intelligunt. Vide *Cujac. ibid. Duar: ad h. tit. cap.* 2. *& ad l. ſi ex toto* 8. §. *ſi ita ſcriptum D. de leg.* 1. *Giph. ad l.* 2. *C. h. tit. Mynſ. Schneid. & alios ad* §. 1. *Inſt. eod. Wurmſ. tit.* 28. *obſ.* 13. *Zanger de except. part.* 3. *cap.* 19. *n.* 14. Diſſ. *Donel. ad auth. hoc ita C. h. tit. Borch. d. loc. n.* 16. *Bronch. cent.* 2. *aſſ.* 96. *Gudel.* 3. *de jur. noviſ. cap.* 11. *in fin.*

16 Actionem reorum credendi non dividit *d. nov.* 99. *Schneid. ad d.* §. 1. *Inſt. h. tit.* Nec creditor ipſe diviſiſſe actionem cenſetur, ſi ab uno partem exegerit, ſed ſi à ſingulis *l. reos* 23. *C. de fidejuſ. l.* 3. *reos* 11. *pr. D. h. tit. l. ſi ex toto* 8. §. 1. *D. de legat.* 1. *Ronchegal. ad l.* 3. *verſ. utique D. h. tit. n.* 19. *Hart. Piſt.* 1. *quæſt.* 9. *n.* 1. *Robert.* 4. *rer. jud.* 7. *Sanxon. ad conſ. Turon. tit.* 20. §. 4. *gloſ.* 2. *Tuld. ad h. tit. C. n.* 3. Diſſ. *Thoming. deciſ.* 47. *n.* 9. *& ſeqq.* Sed nec ad conreos ex teſtamento beneficium diviſionis pertinet. *Moll. d. lib.* 5. *ſemeſt.* 62. *Ronchèg. in d. l.* 3. §. 1. *n.* 128. Nec ad exercitatores ex contra-

ctu

ctu magiſtri obligatos *Roncheg. d. loc. n.* 95. *&* 96.

17. Fingamus unum ex duobus reis debendi ſolidum ſolviſſe, an repetere partem à conreo poterit? Non aliter, niſi ſocii ſint, aut ita convenerit, aut actio ei à creditore ceſſa ſit. *l. ſi in rem* 12. *C. de reb. cred. d. nov.* 99. *d. l. in lege.* 62. *D. ad l. Falcid. Faber. d. lib.* 11. *conject.* 17. Cujac. *d. nov.* 99. Diſſ. *Roncheg. ad l. reos* 11. *n.* 40. *&* 47. *Giphan. ad l.* 2. *C. h. tit. Gomeſ. d. cap.* 12. *n.* 3. *Moz. tract. de ſtipul. cap. Qui poſ. ſtipulari n.* 19. *Pereſ. ad h. tit. n.* 12. *& ſeq.* quorum alii officio judicis, alii actione negotiorum geſtorum, conreo ſubveniendum putant: alii inter cauſam onerosam & lucrativam diſtinguunt.

18. Porrò ſicut ſolutio unius, & acceptilatio prodeſt utrique *d. l.* 2. *D. h. tit. d.* §. 1. *Inſt. eod.* ita etiam jusjurandum, ſi alter deferente creditore juraverit, ſe dare non oportere *d. l.* 28. §. *ex duobus D. de jurej.* & conventio unius interrumpit præſcriptionem utriuſque: ſicut & contra interruptio ab uno reo ſtipulandi facta utrique prodeſt. *l. ult. C. h. tit.* Mora verò unius alteri non nocet *l. mora* 32. § *pen. D. de uſur. l. in condemnatione* 173. §. *unicuique D. de R. J.* An pactum unius alteri prodeſt vel nocet? Ait *lex. idem in duobus* 25. *D. de pact. l. pen. D. h. tit.* Neg. *l. quo tutela*

73. §. ult. de R. J. l. ſi unus 27. §. ante omnia D. de pact. l. ſi duo 34. D. de recept. Conciliationis fundamentum non male petitur ex *l. fidejuſſ. 23. D. de pact. l. 3. §. 3. & ſeqq. de liber. legat.* Cujac. *in d. l. fidejuſſ. 23. Hotom. in d. l. 25. Conna. 6. com. 5. n. 11. Roncheg. ad l. 9. §. ſed, ſi quis D. h. tit n. 35.* Confer *Donel. ad h. tit. Cod. cap. 9. & cap. 7. n. 4.*

19. Compenſatio quoque vice ſolutionis cedit: *l. 4. §. ſolviſſe D. de re judic. l. 4. C. de Compenſat.* num ergò alter ex reis debendi conventus compenſationem objicere poterit ejus ſummæ quam creditor conreo debet? Non poteſt, niſi ſocii ſint. *ſi duo 10. D. h. tit l. ejus quod 9. C. de Compenſat. l. in rem ſuam 18. §. 1. D eod.* Neque intereſt quantum ad ſocios, utrum ſocii omnium bonorum, an certæ rei vel negotiationis fuerint. *Roncheg. ad d. l. 10. n. 11.* Adde *Duar. ad h. tit. cap. 2. Rittersh. d. cap. 6. n 6.*

20. Si alter ex reis debendi in inſulam deportetur, alter obligatus manet: ſi moriatur, heres ejus in obligatione ſuccedit *l. ult. D. h tit. l. quoties 14. §. 1. D. de novat.* Quod ſi reus conreo debendi heres exiſtat, utraque obligatio manet, nec tollitur altera confuſione *l. ſi reus 13. D. h. tit. l. ſi duo 93. §. 1. D. de ſolut. & liberat.* Idem ſi reus ſtipulandi heres extiterit conreo. *d. l. 93. pr. l. 5. in fin. D. de fidejuſſ.* Quid ſi creditori unus ex reis debendi, vel huic creditor heres

res extiterit, an confunditur obligatio? Non omnino *l. Granius* 71. *D. de fidejuſſ.* Vide *Roncheg.ad d.l.* 13.*n.* 15.*& ſeqq. Duar. ad h. tit. cap.* 2. *Moz.d.cap. Qui poſ. ſtipul. n.* 22.

DISPUTATIO TRIGESIMA PRIMA,

DE

FIDEJUSSORIBUS.

Reſp. ÆGIDIO EVERVVYN. *Arenaco-Gelro.*

1. FIdejuſſio promiſſio eſt, qua quis fide ſuâ periculoq; eſſe jubet, quod alius debet *l.* 5.§.*ſatis acceptio D. de V. O. pr. Inſt. h. tit.* Promiſſionem intelligimus præcedente ſtipulatione factam, ne confundatur fidejuſſio cum conſtituto. *d.l.* 5. *de V. O. l. blanditus* 12. *C. h.tit. l. Græcè* 8. *pr. D. eod.* §. *Græcè Inſt. eod.* Excludimus nominationem ſive laudationem, per quam fidejuſſiſſe non intelligimur. *l. ſi verò* 12. §. *cum quidam* 12. *D. mandat. l.* 7.§.*ult.& l.* 8.*D.de dol.mal.*

2. Fidejubere poſſunt omnes, qui civiliter obligari. Sed quidam licet civiliter obligentur, aut fidejubere efficaciter non poſſunt, aut fidejuſſores idonei non cenſentur. Prioris generis mulier eſt, propter SC. Velle-

lejanum, & minor propter ætatem, Poſterioris nobilis, miles, advocatus, procurator, notarius, ſi credimus Rebuffo *ad conſt. reg. tract. de ſent. exec. art. 1. gloſſ. 6. n. 21.* Parlad. 2. *rer. cotid. ult. part.* 5. §. 5. *n.* 4. Sed temerè credere ſtultitiæ eſt, neque aliter aſſentiendum, niſi perſonæ enumeratæ valdè improbæ aut factioſæ fuerint. *Coſtal. ad l. 1. D. Qui ſatiſd. cog. Mornac. ad l. 2. eod. Sanxon. ad conſuet. Turon. tit.* 1. §. 24. *gloſ.* 3.

3. Accedere fidejuſſor omni obligationi poteſt: etiam naturali §. 1. *Inſt. h. tit. l.* 6. §. *ult. & l.* 7. *D. eod.* etiam ei quæ ex delicto deſcendit *l. Græcè* §. *ſed etſi ex delicto l.* 56. §. *ult. l.* 70. §. *ult. D. eod.* dumne ad corporis cruciatum ſe obliget. *l.* 2. 3. 4. *D. de cuſtod. & exhib. reor.* etiam doti, non obſtante *tit. C. ne fidei. dot. dent.* An obligationi præſcriptione temporis extinctæ? Non puto: *leg.* 3. 4. 7. *C. de præſcr. long. temp. l. item illa* 18. §. 1. *D. de pecun. conſtit. l. ſi quis poſtquam* 37. *D. de fidejuſſ. leg.* 1. §. *idem Pomponius* 6. *D. de dol. mal. cum ſimil. Vaſq.* 2. *illuſtr. contr.* 53. *Pyrrh. Maur. tract. de fidejuſſ. part.* 2. *princ. ſect.* 9 §. 23. Diſſ. *Bald. de præſcr. part.* 1. *princ. qu.* 6 *&* 7. *Coſtal. ad l.* 19. *D. de cond. indeb.*

4. Quoniam fidejuſſio acceſſio eſt ad principalem obligationem, rectè placuit, neque quantitate, neque tempore, neque

cauſa duriorem eſſe poſſe conditionem fidejuſſoris quam debitoris *d. l. Græcè* §. *illud commune eſt. l. hi qui* 34. *D. h. tit.* adeò quidem, ut ſi fidejuſſerit in xx. cum reus deberet x. ne quidem in x. obligetur. *d.* §. *illud commune eſt. Hotom. in* §. *fidejuſſor ita Inſt. eod.* Cujac. *ad l.* 9. *D. de uſur. lib.* 11. *reſp. Papin. Conna.* 6. *com.* 6. *n.* 8. *Bach.* 8. *contr.* 51. Diſſ. *Alciat.* 5. *parerg.* 17. *Duar. ad tit. h. cap.* 3. *Fomer.* 3. *ſelect.* 11. *Gomeſ.* 2. *reſol.* 13. *n.* 2. *Pyrrh. d. par.* 2. *ſect.* 1. *c.* 3. *Hering. de fidejuſ. cap.* 24. *n.* 53.

5. Arctius obligari fidejuſſorem nihil vetat: ut ſi reus obligatus ſit ſine pignore, fidejuſſor cum pignore obligari poteſt. *l. Paulus reſpondit* 59. *D. h. tit.* Si inſtrumentum principale non habeat paratam executionem, inſtrumentum fidejuſſionis habere poteſt. *Gomeſ. d. loc. Fab. in d.* §. *fidejuſſor ita Inſt. h. tit. Hart. Piſtor.* 3. *quæſt.* 10. *n.* 16. Si reus obligatus ſit naturaliter, fidejuſſor obligari poteſt civiliter *d. l.* 6. §. *ult. l.* 7. *l.* 16. §. *fidejuſſor* 3. *l. ubicunque* 60. *D. h. tit.* Unde ſi hodie mulier abſque auctore marito contraxerit, fidejuſſorem pro ea obligari concludimus, quoniam natura debet. *Stat. Ultraj. tit.* 22. §. 5. *Herbajrer cotid. cap.* 13. §. 21. *Moller. part.* 2. *conſt. Saxon.* 15. *quæſt.* 12. *n.* 57. *& ſeqq. Hering. de fidejuſ. cap.* 10. *n.* 3. Diſſ. *Argent. ad conſ. Britan. art.* 479. *in fin.*

Tiraq.

Tiraq. de legib. connub. gloſſ. 4.*n.* 14 *Pyrrh. d. part.* 2.*ſect.* 8. *cap.* 56. *Berlich. part.* 2.*concl.* 17.*n.* 110. *& ſeqq.*

6. Si reus moram commiſerit, non augetur propterea fidejuſſoris obligatio. Itaque ſi fidejuſſerit in C. non tenetur in uſuras: ſicut nec in pœnam, neque in æſtimationem damni, quod fortè culpa rei creditor paſſus eſt. *l. centum.* 8. *D. de eo quod cert. loc. l. ſi in pignore* 54. *l. fidejuſſores* 68. *l. ult. D. h. tit. junct. l.* 4. *C. de uſur. Cujac. & Coſtal. ad d. l. centum. Coraſ.* 2. *miſcell.* 10. *Pyrrh. d. part.* 2. *ſect.* 5. *cap.* 1. *n.* 7. *& ſeqq. Argentr. art.* 207. *gloſ.* 1. *Sand.* 3. *tit.* 10. *decif.* 4.

7. Si plures ſint fidejuſſores, ſinguli in ſolidum obligantur. Sed ex epiſtola Hadriani eis ſuccurritur, ut exceptionis modo contendere poſſint, ut actio dividatur inter eos qui tempore litis conteſtatæ ſolvendo ſiint. §. *ſi plures Inſt. h. tit. l.* 3. *l. fidejuſſor.* 10. §. 1. *C. eod. l. inter fidejuſſores* 26. *& l. ſeq. l. inter eos* 51. *l. amiſsi* 52. §. 1 *D. eod.* Quæ exceptio, quanquam intentionem agentis non in totum perimit, rectè tamen peremtoriis annumeratur. *arg. d. l.* 10. §. 1. *junct. l.* 2. *D. de Except. Sich. & Donell. in d. l* 10. *Zanger. part.* 2. *de except cap.* 19. Itaque nullo modo audiendus Baro, *in d.* §. *ſi plures*, qui ante litem conteſtatam opponendam cenſuit.

8. Ceſſat hoc beneficium multis caſibus

bus, ſed in primis, ſi ei renunciatum ſit. De qua renuntiatione quæritur, utrum ſpecialis eſſe debeat; an ſufficiat generalis? Verius eſt generalem ſufficere, dum ne prorſus incerta ſit. *Mod. Piſtor. part.* 4 *quaſt.* 163. *Jac. Thoming. deciſ.* 1. *n.* 14. & 41. *H.* . *ring. d. tract. cap.* 17. *n.* 39. & *ſeqq.* Diſſ. *Coler. part.* 1. *de proces. execut. cap.* 10. *n.* 434. & *deciſ* 220. *n.* 40. *Papon. lib.* 10. *tit.* 4. *areſt.* 26. *Fab. C. Sab. tit. de fidejuſſor. defin.* 31. Confer *Berlich. part.* 2. *concl.* 22. *Pyrrh. d. part.* 2. *ſect.* 6. *cap.* 3. *n.* 55. & *ſeqq.*

9. Si inſtrumento ſcriptum ſit: *Singuli obligati ſunt in ſolidum, & unus pro omnibus*: an renuntiaſſe intelliguntur fidejuſſores beneficio diviſionis? Verius eſt, non renuntiaſſe. *l.* 3. *C. h. tit. l. inter eos* 51. *D. eod. ub. Cujac. lib.* 3. *reſponſ. Papin. Papon. lib.* 10. *tit.* 4. *areſt.* 25. Diſſ. *Grot.* 3. *manud.* 3. *verſ. Beyde deſe voordeelen.* Si tamen adjiciatur verbum, *indiviſim*, vel æquipollens, renuntiaſſe eos veriſimile eſt. *Berlich. d. concl.* 22. *n.* 51. *Hering. d. cap.* 17. *n.* 53. & *ſeq. Zang. part.* 3. *de Except. cap.* 19. *n.* 13. *Papon. d. loc. Mayn.* 4. *dec.* 14.

10. Si creditor, à ſingulis fidejuſſoribus partes petierit, diviſiſſe actionem intelligitur *l. liberum* 16. *C. h. tit. l. amiſſi* 52. §. 1. *D. eod.* Quid ſi ab uno exegerit partem? Non cenſetur actionem diviſiſſe. *l. reos* 23. & *l. pen. C. eod. l. inter eos* 51. §. 1. *D. eod. l.* 8. §. 1.

de

de leg. 1. *Donel. ad d. l.* 16. *Giphan. in l.* 3. *C. eod. Ronchegal. ad l.* 3. *D. de duob. reis n.* 21. *&* 22. *Pyrrh. d. part.* 2. *ſect.* 6. *cap.* 4. *n.* 58. *& ſeqq.*

11. Si fidejuſſor primus dederit fidejuſſorem ſecundum, non habet locum epiſtola Hadriani, quia primus rei loco eſt. *l. ſi plures* 27. §. *ult. D. h. tit.* Sed ſi plures fidejuſſores diverſis temporibus dati ſint, temporis intervallum non obeſt, quo minus epiſtola utantur. *d. l. ſi plures* §. *præterea junct. l. ſi à Titio.* 43. *l. ſi Titius* 48. §. 1. *& d. l. inter eos* 51. *D. h. tit. Bartol. in d. l. ſi plures. Zanger. d. cap.* 19. *n.* 8. *Schneid. in d.* §. *ſi plures Inſt. h. tit. n.* 19. Neque admittimus diſtinctionem Caſtrenſis, *in d. l. ſi plures.* quem ſecutus eſt Pyrrh. *d. cap.* 4. *n.* 5. *& ſeqq.*

12. Si creditor fidejuſſorem conveniat ante reum principalem, fidejuſſor ordinis exceptione tueri ſe poteſt, *ex nov.* 4. *cap.* 1. *auth. præſente C. h. tit.* Quæ exceptio non anomala eſt, ut opponi poſſit tàm ante quàm poſt litem conteſtatam; ſed dilatoria, ideoque ante litem conteſtatam opponenda. *Bartol. & DD. in l.* 3. *D. de except. Cyn. Salic. Sich. in d. auth. præſente Schneid. in d.* §. *ſi plures n.* 14. *Coler. de proceſ. execut. lib.* 4. *cap.* 1. *n.* 96. *Guid. Pap. deciſ.* 94. *Papon. d. lib.* 10 *tit.* 4. *areſt.* 21. *Fach.* 8. *contr.* 52. Diff. *Chaſſ. ad conſ. Burg. tit. de cenſib. verb. contra detentorem n.* 26.

*n.*26. *Gail.*2.*obſ.*27.*n.*3. *poſt gloſſ. in d.l.*3. *D. de Exc.* quorum ſententiam etiam æquiorem putat *Zang. part.* 2. *de Except.cap.* 16.*n.*6.

13. Huic quoque exceptioni renuntiari poſſe nulla dubitatio eſt. Illud dubitatur, an renuntiaſſe videatur, qui ſe inſtar rei obligavit: vernaculè: *als ſelfs ſchuldigh, of principale ſchuldenaer?* Et videtur renuntiaſſe; alioqui otioſa hæc verba forent. *Hippo. Marſil. de fidejuſſ. n.* 62. *Berlich. d. part.* 2. *concl.* 23. *n.* 4. & *ſeqq. Gail.*2.*obſ.* 28. *n.* 3. & 5. *Hart. ab Epping. tit.* 30. *obſ.* 1. *n.* 15. *Coler.* 1.*de proceſ.exec.* 10.*n.*306. 307 *Radel.deciſ.*99.*n.*8. Diſſ. *Sichard. ad rubr. C. de fidejuſ.n.* 13. *Fab. Cod. Sab.h.tit. def.* 31. *Schneid.in d.*§ *ſi plures n.* 11. & *ſeqq. poſt gloſ.in d.nov.*4.

14. Abſente reo non prodeſt hæc exceptio fidejuſſori: dilationem tamen impetrare poteſt ad exhibendum reum *d. nov.* 4.*cap.*1.*in fin.* Sed quid, ſi judicium acceperit fidejuſſor abſente reo, eoque pendente revertatur reus, an exceptio proderit fidejuſſori? Non fit veriſimile *Cyn.* & *Salic.in d. auth. præſente Schneid. d. loc. n.* 15. Diſſ. *Sich.in d.auth.præſente n.* 8. & 9. Facit *l.* 1.*C.de ſent.* & *interl.*

15. Tertium beneficium fidejuſſorum eſt exceptio cedendarum actionum, qua fidejuſſor ſolidum ſolvere paratus deſiderat

rat ſibi à creditore cedi actiones adverſus confidejuſſores ſuos. *l. ſi mandatu* 13 *l. cum is qui* 36. *l. ut fidejuſſor* 39. *D. h. tit.* Ita Doctores loquuntur, cum revera non ſit iſta peculiaris exceptio, ſed exceptio doli mali, ut rectè animadvertit Giphan. *ad l.* 2 *C. de duob. reis : ex l. rem hereditariam* 65. *D. de Evict.* Adde *l. qui æquitate* 12. *D. de dol. mal. & met. except.*

16. Quo tempore cedi poſſit actio diſputatur: Verius eſt non ſolum ante ſolutionem, & in ipſa ſolutione hoc fieri poſſe, ſed & poſt ſolutionem dummodo lege & conditione cedendi ſolutio facta fuerit. *d. l. cum is qui* 36. *D. h. tit. l. cum alter C. eod. l. Modeſtinus* 76. *D. de Solut. & liberat. Donel. ad l.* 1. *C. de O. & A n.* 8. *&* 9. *Sand de ceſſ. act. cap.* 7. *n.* 11. *& ſeqq.* Confer *Neoſtad. deciſ. cur. Hol.* 12. *Zang. d. cap.* 16. *n.* 30. *& ſeqq. Coler. part.* 1. *de proceſ. exec. cap.* 13. *n.* 417. *& ſeqq. Fab.* 11. *conject.* 9. *Giphan. ad d. l. cum alter. Berlich. d. concluſ* 22. *n.* 65. *& ſeqq. Menock.* 3. *præſumt.* 143. *n.* 8. 9. *Schneid. ad d. §. ſi plures in fin.*

17. Si creditor inſcio fidejuſſore debitori tempus ſolutionis prorogaverit, an liberatur fidejuſſor? Non liberatur, niſi ad certum tempus ſe obligaverit. *l. ſi cum Hermes* 7. *C. de locat. l. quæritur* 15. *§. qui impleto D. eod. Gomeſ.* 2. *reſol.* 13. *n.* 19. *Berlich. d. part.* 2. *concluſ.* 25. *Fab. Cod. h. tit. def.* 25.

Pyrrh.

Pyrrh. d. par. 2. ſect. 10. §. 33. Mynſ. 3. obſ. 53. Gail. 2. obſ. 30. n. 11. Fach. 2. contr. 88.

18. Creditor cum uno ex fidejuſſoribus tranſegit: an tranſactio prodeſt confidejuſſoribus? Ipſo jure non prodeſt *l. 3. §. nunc de effectu D. de liber. legat. l. 1. C. de tranſact. l. ſi ex duobus 15. D. tutel. & ration. diſtrah. l. fidejuſſoris 23. D de pact. l. eandem 9. §. 1. D. de duob. reis. l. ſi ſtipulatus eſſes 15. §. 1. D. h. tit.* Videtur tamen prodeſſe ſequela quadam, quia inanis erit actio, ſi confidejuſſor conventus actionem ſibi cedi deſideret, quam cum effectu cedere creditor nequit *Zaſ. in l. 17. & ſeqq. D. de pact. n. 34. Bartol. in d. l. 15. §. 1. h. tit. & Caſtr. in l. 21. §. in his qui D. de pact.* Vide *& Pyrrh. d. part 2. ſect. 10. §. 37. & 59. Alciat. in d. l. 1. C. de tranſact. n. 9.*

19. Fidejuſſor hominem occidit, liberatur reus: an ipſe quoque fidejuſſor? Summo jure liberatur, quia acceſſio non poteſt eſſe abſque principali *l. ſi fidejuſſor. 19. D. de dol. mal.* utilis tamen ex ſtipulatu actio in eum dabitur, *l. cum filiusfam. 49. l mora 88. D. de V. O. l. mora 32. §. ult. D. de uſur.* non doli mali *l. Stichum. 95. §. 1. D. de Solut. & liberat. Donel. in d. l. 49. Fab. 2. conj. 12.* Aliter *Cujac. tract. 7. ad Afric. in explicat. l. 38. §. pen. de ſolut. & liberat.*

20. Non poteſt debitor cogere creditorem, ut liberato fidejuſſore alium æquè ido-

idoneum accipiat *arg. l. ſi mandato* 45. §. 1. *D. mand. l. qui autem.* 14. §. 1. *& 2. D. de pec. conſt. junct. l. ſicut C. de O. & A. Marſ. d. tract. n.* 213. *& ſeqq. Alc. in l.* 25. *n.* 3. *C. de pact.* Et contra creditor non poteſt cogere debitorem, ut in locum fidejuſſoris facultatibus lapſi alium ſufficiat idoneum. *Bart. & Dd. in l.* 3. *D. h. tit. Marſil. d. tract. n.* 74. *Gomeſ. d. cap.* 13. *n.* 7. Regulariter vero is qui credidit ſine fidejuſſore, non poteſt poſtea fidejuſſorem flagitare, niſi ex juſtiſſima aliqua cauſa. *l.* 2. *C. de her. vel act. vend. l. in omnibus* 41. *ub. D. de jud. Gomeſ.* 2. *reſol.* 11. *n. ult. Rob.* 4. *rer. jud.* 6. *Mornac. in d. l.* 41. *Pyrrh. tract.* 2. *ſect.* 4. *cap.* 3.

DISPUTATIO TRIGESIMA SECUNDA,

DE

CONSTITUTO.

Reſp. JACOBO COSMAN, *Daventria Tranſiſulano.*

1. Conſtitutum quoq; acceſſio eſt ad priorem obligationem, non ſolùm ſi pro alio cõſtituamus, ſed & ſi quod ipſi debemus. Ac licet hodie inter conſtitutum pro alio & fidejuſſionem parum intereſſe putetur, conſtitutum tamen hodieque conventio inter mercatores fie-

frequentiſſima eſt. *Bald. & DD ad rubr. de conſtit. pec. & §. de Conſtituta Inſt. de act.* Unde meritò peculiarem locum efflagitat.

2. Conſtitutum nihil aliud eſt quam pactum, quo quis promittit ſoluturum ſe, quod ipſe vel alius debet. Quod pactum prætor confirmavit, datâ actione pecuniæ conſtitutæ: non, ut DD communiter voluerunt, quod grave videretur geminatam pactionem violare: ſed potius quod qui conſtituit, agnoſcat fidem prioris obligationis, eamque ſervari æquum bonum ſit. *Duar. ad h. tit. c. 1. & ad l. 5. §. ſatis acceptio D. de V. O* Illis ſanè nullo modo auſcultandum, qui generaliter tradiderunt, pacta geminata actionem parere.

3. Conſtitui poteſt non ſolùm inter præſentes, ſed & inter abſentes, per nuntium, vel per epiſtolam *l. qui autem* 14. §. *ult. D. h. tit.* Nec verbis duntaxat perſonalibus, ſed & imperſonalibus, veluti, *Promittitur, Conſtituitur, Satisfit. &c. l.* 1. §. *ſi quis ita interroget D. de V. O.* Nec adverſatur *auth. ſi quando C. h. tit. ſeu nov.* 115. *cap. ult.* Cujac. *in l. 5. in fin. D. V. O. Zaſ. in d. §. de conſtituta Inſt. de act. n,* 14. & 15. Diſſ. *Alciat. 2. parerg.* 18.

4. Conſtitui poteſt omne debitum, etjam quod ſola natura debetur *l.* 1. §. *debitum* 6. & §. *ſeq. l. qui injuriarum* 29. *D. h. tit.* Sed quod ſolo jure civili debetur, præ-

torio non debetur, conſtitui non poteſt *l.* 3. §. 1. *D. eod. l. qui exceptionem* 40. *D. de condict. indeb.* Zaſius *d. loc.* utitur exemplo literarum obligationis, quia ea civilis tantum non naturalis ſit. Verùm eo exemplo uti meritò veremur. Vide *Duar. ad h. tit. cap.* 2. §. 1. *Inſt. de fidejuſſ.*

5. Inde quæſitum, ſi legata teſtamento imperfecto relicta ſint, an heres conſtituens ſe ea ſoluturum ex conſtituto obligetur? Verius eſt non obligari, quoniam ex teſtamento imperfecto neq; civilis neq; naturalis obligatio naſcitur. *Bald. ad l. cum quis C. de jur. & fact. ignor. n.* 5. *& ſeqq. Covar. de teſtam. cap.* 10. *n.* 12. *& ſeqq. Gomeſ. ad leg. Taur.* 3. *n.* 23. *Vaſq. tom.* 1. *de ſucceſſ. lib.* 1. §. 2. *n.* 13. *& ſeq. l.* 2. *verſ. ut hoc ei inhæreat C. h. tit. l. ſi creditoris* 17 *l. ſi veritas* 23. *C. de fideicom. l. fideicommiſſum* 7. *C. de cond. indeb. l.* 1. §. *ſi quis ita D. de V. O. l. ex imperfecto* 3. *C. de teſtam.* Opp. *l. non dubium* 16. §. 1. *C. eod. l.* 2. *C. de fideicom. l. in teſtamento* 38. *D. de fideic. libert.* §. *ult. Inſt. de fideic. hered. l. ult. C. ad leg. Falc. l. filio* 17. *D. de injuſt. rupt. irr.* Diſſ. *Jaſ. ad d. l. cum quis n.* 13. *Mantic.* 2. *conject.* 14. *n.* 16. *Clar.* §. *teſtamentum. quæſt.* 90. *Zaſ. d.* §. *de conſtituta n.* 8 *Schneid. n.* 23. *Mynſ. n.* 6 *Fach.* 4. *contr.* 5.

6. Si quis tamen ſciens conſtituat id quod nullo jure debet, an non donaſſe cenſendus eſt? Negat. *Jo. Fab. in d.* §. *de conſti*

ſtituta. Jaſ. ibid. n. 40. *& ſeqq. Zaſ. ibid. n.* 12. quoniam inutile conſtitutum eſt nullâ præcedente obligatione. Nobis verò contraria ſententia magis arridet, *per l. Campanus* 47. *de oper. libert. l. cujus per errorem* 53. *D. de R. J. junct. l. ſi quis argentum* 35. *§. ſed ſi quidem C. de donat. Bald. tract. de conſtit. n.* 3. *Schneid. d. loc. n.* 33.

7. Quantum ad res attinet, omnes conſtitui poſſunt; mobiles, immobiles; corporales, incorporales. Pecuniæ enim verbum hic latiſſimè accipitur *l.* 2. *C. h. tit.* Nec tantùm res certas, ſed & incertas continet. *l. qui autem* 14. *pr. D. eod.* Neque eſt neceſſe, ut eandem quantitatem conſtituas: valet enim conſtitutum minoris quantitatis: majoris inutile eſt quantum ad exceſſum. *l. hactenus* 11. *§.* 1. *& ll. ſeqq D. h. tit.* Nempè ſi conſtituas quod ipſe debes: cæterum ſi pro alio, omninò non obligaris, *l. Græcè* 8. *§. illud commune eſt D. de fidejuſ.*

8. Utilitas conſtituti multiplex eſt: Ratione perſonarum, quoniam & pro alio, & alii creditore conſentiente conſtituere poſſumus *l.* 5. *§. quod exigimus & ſeqq. h. tit.* Ratione rei, quoniam & aliud conſtitui poteſt, quàm quod debetur, & moneta ſeu genus numorum deſignari *l* 1. *§. an poteſt D. eod.* Ratione loci, quia certo loco ſolvendum, alio commodiore loco promitti poteſt *l.* 5. *l.* 16. *§.* 1. *D. eod.* Ratione tem-

poris, quonam debitum in diem vel ſub conditione, & purè & in citeriorem diem conſtituere poſſumus: Et contra, quod purè debetur, in certum diem, vel ſub conditione *l 3. §. ult & l. 4. l. id quod ſub conditione 19. D. eod. l. 2 C. eod.*

9 Quantum ad locum dubitatur, ſi legatus qui in provincia contraxit, conſtituerit ſe Romæ ſoluturum, an Romæ tempore legationis conveniri poſſit? Verius eſt, non poſſe conveniri, *l. 2. §. omnes l. ſi quis in legatione 8. D. de jud. l. 5. §. 1. verſ. ſed ſi non cum Romæ eſſet D. h. tit.* Nec adverſatur *idem §. 1. pr.* ſicut nec *l. 3. D. de legat. Cujac. 13. obſ. 17. Donel. 17. com. 14 Duar. ad h. tit. cap. 9.*

10. Dubitatum etiam, an purè vel citeriore die conſtitui poſſit, quod ſub conditione debetur ex teſtamento? Et quoniam ante conditionem exiſtentem nihil debetur, ac ne ſpes quidem debiti in heredem transmittitur, placuit nonnullis, non poſſe conſtitui. *Raph. Cuman. in l ſi filius pr. D. de V. O. Cret. in l. ſi is qui pro emtore n. 31. D. de uſucap. Moller. 5. ſemeſtr. 76.* Vix rectè: *d. l. 3. §. ult. l. 4. l. 19. D. h. tit.*

11. Promitto Titium pro me ſoluturum eſſe, an valet conſtitutum? Valet *d. l. qui autem 14. §. ſed etſi quis certam D. eod. Bald. d. tract. n. 7. in fin. Jaſ. d §. de conſtituta n. 31. & 32.* Nec adverſatur *l. 5. §. ſed & ſi quis 4. D. h. tit. §. ſi quis alium Inſt. de inutil. ſtipul.*

Jaſ.

Iaſ. d loc. Schneid. ibid. n. 43. 44. *Mynſ. n.* 8. Diſſ. *Duar. h cap.* 4.

12. Conſtitutum priorem obligationem non novat. *l ubi* 28. *D. h. tit. l. ſi filiusfam.* 15. *D. de in rem. verſ.* Diſſ. *Mynſ. d. loc. n.* 14. Itaque ſi centum quæ mihi debebas me volente conſtitueris Titio, ipſo jure à me non liberaris: benignitas ſanè ſuadet, ſi à te petam, doli mali exceptione tibi ſuccurri, *arg. l. ſi debitor* 91. *D. de ſolut. & liberat.* Vide *Bald. d. tract. in fin. Neoſtad. deciſ. cur. provinc.* 38.

13. Inſtitor talem emiſit epiſtolam: *Habes apud menſam domini mei* cIↃ. *quæ pridiè Kalendas Majas reſtituere tibi debeo:* an obligatur ex conſtituto? Non obligatur, *l. ult. D. de inſtit. act.* Nec adverſatur *l. Titius* 24. *D. h. tit. l.* 1. §. *eſt autem D. de exer. act. l. item ſi filiusfam.* §. *interdum tamen D ad SC. Maced. Bald. d. tract. n.* 5. *Coſtal. in d. l. ult. Duar. ad tit. D. de inſtit. act. cap.* 4.

14. Si ſortem non ſolviſſem, conſtitui me uſuras quoque vel pœnam ſoluturum: an ex conſtituto vel pœna, vel uſuræ peti poſſunt? Non videtur. *d. l. Titius.* 24. *l.* 11. §. *ult. & ll. ſeqq. D. h. tit. l.* 3. *&* 4. *C. de uſur. l. Titius* 24. *D. de præſcr. verb. Bald. d. tract. n.* 2. *Iaſ. d.* §. *de conſtituta. n.* 56.

15. Centum aureos accepi Romæ, ea lege, ut LXXXVIII. reſcriberem Lugduni, an valet conſtitutum? Valet, ſi modò au-

aureos illos XII. periculi pretium eſſe placuerit. *Bald d. tract. n.* 1. *Hart. Piſtor. lib.* 3. *quæſt.* 2. Sin lucri ceſſantis, vel damni emergentis contemplatione tanto minus ſoluturus ſum, non omninò valet, *arg. l. eos* 26. §. 1. *C. de uſur. nov.* 136. *cap.* 4. *Ed. Juſtin.* 9. *Molin. de contr. uſur. quæſt.* 74. *n.* 503. *& ſeq. Hotom. diſput. de fœnerat. cap.* 2.

16. Centum accepi Romæ, ut centum & XII. reſcriberem Lugduni: valet conſtitutum ſub eadem diſtinctione. Sed finge, cum reſcribere vellem, nemo literas collybi, vel cambii, quas vocant, acceptare voluit: utrum C. tantum, an C. & XII. aureorum uſuras præſtare teneor? Si ad jus civile aſpicias, tantum C. non C. & XII. *l. ut nullo modo* 28. *C. de uſur. l. pecuniæ.* 9. *D. eod. l. improbum.* 20. *C. Ex quib. cauſ. infam. irrog.* Vide *Molinæ. d. loc. Hotom. diſput. de uſur. cap.* 3. *Menoch. vol.* 3. *conſil.* 1181. *Fabr. C. Sabaud. de uſur. defin.* 11.

17. Appellanti creditori promiſi me ſoluturum ſimul atque debitor meus ſolviſſet mihi: eſtne conſtitutum? Non tam conſtitutum hoc videtur, quam demonſtratio, unde argentum ſumturus ſim, *arg. l. quidam* 96. *D. de leg.* 1. *l. Paula.* 27. §. *ult. D. de leg.* 3. *Charond. in memoral. verb. conditio. Tuld. in Cod. ad h. tit.*

18. Si duo conſtituant ſe eandem pecuniam ſoluturos, ſinguli quidem in ſolidum

dum obligantur, ſed ſi uterque ſolvendo ſit, beneficio diviſionis tueri ſe poſſunt *l. ſi duo* 16. *D. h. tit. l. ult. C. eod.* Non idem dicendum, ſi duobus in ſolidum conſtitutum ſit: hic enim ceſſante diviſione occupantis melior erit conditio, ut diximus ſupra *de duob. reis Bald. d. tract. n.* 13.

19. Creditor conſtituentem appellat non excuſſo principali debitore: quæritur, an conſtituens habeat etiam beneficium ordinis? Verius eſt habere, cum ſponſoris verbo *nov.* 4. *cap.* 1. conſtituens deſignari videatur. Ita rectè olim Martinus ſenſit, quem ſequitur *Cujac. in d. nov. Duar. h. cap.* 2. *&* 8. *in fin. Pyrrh. Maur. de fidejuſ. part. princ.* 2. *ſect.* 6. *cap.* 3. *n.* 6. *Joan. Fab. in d.* §. *de conſtituta. n.* 6. *Zaſ. ibid. in fin. Schmeid. n.* 29. *A. Fab. C. h. def.* 1. *Gail.* 2. *obſ* 28. *n.* 1.

20. Si conſtituens paratus ſit ſolvere pro reo principali, an deſiderare poteſt, ut ſibi actiones adverſus eum cedantur? Poteſt, ſi non donandi animo conſtituerit *Pyrrh. d. ſect* 6. *cap.* 5. *n.* 16. Ceſſio tamen ei neceſſaria non eſt, quia & citra ceſſionem mandati vel negotiorum geſtorum experiri poteſt.

21. Maritus conſtituit uxori ſe dotem ſoluturum: an per conſtitutum perdit beneficium, ne conveniatur ultra id quod facere poteſt? Non perdit, *l.* 3. *pr. D. h tit. l. qui id quod* 33. *D. de donat.* Nec abeſt quod

Jaſ.& alii ſcripſerunt *ad l. ſunt qui* 16. *D. de re jud.* videri eum tacitè huic beneficio renuntiaſſe, qui dicit ſe totum debitum ſoluturum eſſe.

22. Si reus principalis ſolvat, conſtituens ipſo jure liberatur: contra ſi conſtituens ſolvat, reus principalis non ipſo jure, ſed per exceptionem liberatur, *l. in omnibus* 43. *l. Stichum* 95. §. *ſi mandatu D. de Solut. & liberat. l. Papinianus* 28. *D. mand.* Nec adverſantur *l.* 18. *in fin. D. h. tit. l.* 1. §. *pen. D. de exerc. act. l. & per jusjurandum* 13. §. *ſi fidejuſſori D. de acceptil. pr Inſt. Quib. mod. obl. toll. Rot. Gen. deciſ.* 4. *n.* 20. *DD. com. in d. pr. Inſt. Pyrrh. tract. de Solut. cap.* 5. *n.* 39.

DISPUTATIO TRIGESIMA TERTIA, DE

SC. VELLEJANO.

Reſp. ALBERTO BECKER, *Veſalo Cliviae.*

1. QUoniam Sc. Vellejanum interceſſiones mulierum infirmat, idcirco de ſententia ejus hoc loco nobis agendum. Interceſſio eſt, quoquo modo recipi as alienam obligationem, ſive veterem, ſive novam. Id autem fit tribus modis: Aut enim alienam obli-

gationem mulier in ſe transfert, aut participat, aut ab initio pro alio interponitur *l.* 4. *C.h.tit.*

2. Transfert ex promittendo *l. doli* 19. *D.de novat. l. quamvis* 18. §. *ſi mulier D. h. tit.* & judicium pro alio ſuſcipiendo. *l.* 2. §. *ult. l. ult.* §. *pen. D.h.tit.* Participat fidejubendo *l.* 3. *C. h. tit.* mandando *l. ſi uxor* 15. *eod. l. pen.* §. *ſi mulier D. eod.* conſtituendo *l.* 1. §. 1. *D. de pecun. conſtit.* Item ſi obliget rem ſuam pro alio *l.* 8. *pr. D.h.tit.* aut obligationi rei ſuæ conſentiat *l.* 5 *&* 7. *C. eod.* Ab initio pro alio interponitur, ſi e. gr. mutuam pecuniam ab eo accipiat qui alii daturus erat *l.* 2. §. 1. *d. l. quamvis* §. *ſi cum eſſem D. h. tit. l. cum ad eas* 19. *C. eod.* aut à creditoribus decepta adeat hereditatem ejus cui heres non erat *l. ſi mulier* 23. *l.ult.pr.D.eod.*

3. Si mulier obligationi rei ſibi obligatæ conſenſerit, quæſitum, an interceſſiſſe videatur? Videtur interceſſiſſe, ſi non animo remittendi pignus conſenſerit. *l. vir uxori* 17. §. 1. *D. h. tit.* Nec adverſantur *l. quamvis* 8. *pr. eod. l. etiam* 11. *C. eod. junct. l. Paulus* 12. *D. Quib. mod. pign. vel hyp. ſolv.* Cujac. *in d. l.* 17. *tract.* 4. *ad Afric. Fab. Cod. Sab. h. def.* 15. Confer *Boer. deciſ* 23. *n.* 9. *Zang. part.* 3. *de Except. cap.* 11. *n.* 111.

4. Si indemnitatem alicui promiſerit;

an cenſenda eſt participaſſe alienam obligationem? Si creditori alterius promiſerit indemnitatem, interceſſio eſt: ſin minus, non cenſetur interceſſiſſe, ſed ipſa contraxiſſe *d.l. quamvis §.1. l. tutor. 19.l.31. D h.tit.l. ſi mater 6.C.eod.l.2.C. Si mat. indem. promiſ. Coſtal.in d. l.quamvis Donel. in d.l.6. Pyrrh. de fidejuſſ.part. 2.ſect.8.cap.3 n.131. Æmil. Ferret. ad h.tit.n. 11. Cuj. l.2.C.h.tit.*

5. Si Titius & mulier pecuniam mutuentur, ita ut ejuſdem quantitatis duo rei fierent, interceſſio eſt, & Sc. locum habet *d. l. vir uxori 17. §.ult.D. h. tit.* Non idem dicemus, ſi hodie maritus & uxor in rem communem mutuentur. Si tamen communio bonorum pactis dotalibus excluſa fuerit, Senatus conſultum locum habebit. *Cujac. & Mornac. ad d. §. ult. Molin. de contract. uſur.quæſt.38.n.292. Fab. C.h def. 20. Argentr. ad conſuet. Britan. art. 411. gloſ. 2. n. 3. Papon. lib. 12. tit. 5.arreſt.4. & 5. Pyrrh d.cap.3.n.22. Sand.3.tit. 10.def.2.*

6. Si mulier contractum ſuo nomine celebratum ratum habuerit, contraxiſſe non interceſſiſſe judicatur *leg. ſi adverſarius 10. leg. ſi l ſi dotare 12. C. h. tit. d. l. quando 8. §. 1. l. aliquando 13. D. eod. Papon. d. tit. 5. arreſt pen. & ult.* Quid ergo ſi venditionem rei ſuæ ratam habeat, atque etiam evictionis nomine ſe obligei? Reſpondent nonnulli venditionem quidem ratam eſſe,

ſed

ſed evictionis promiſſionem SC. infirmari. *Neoſtad. deciſ. ſupr. cur. Holl.* 42. Verùm id nobis neutiquam veriſimile videtur.

7. Si mulier ſit illuſtris, imperium exercens & juriſdictionem, placuit nonnullis, non eſſe hanc obnoxiam SC. Vellejano. *Hering. de fidejuſſ. cap. 7. n.* 517. *Pyrrh d. cap.* 3. *n.* 132. Alii contra dixerunt, SCto omnes fœminas etiam illuſtres ſubjici. *Val. Franc. de fidejuſſ. cap. 2. n.* 184. Nobis neutra ſententia abſque diſcrimine & temperamento probanda videtur.

8. Sanè quantum ad eos, pro quibus mulier intercedit, non refert, cujus conditionis ſint: liberi, an ſervi: proprii an alieni, *l. ſi domina* 25. *l. ult.* §. *ult. D. h. tit.* Sed etſi pro patre, pro filio, aut aliis ſibi conjunctis perſonis intercedat, exceptione tuta eſt. *l. 2.* §. *ult. l. ſi pro aliquo* 21. §. 1. *D. eod. l.* 3. *l. ſi paternam* 8. *C. eod.* Neque mutat, quod pater fortè intercedenti filiæ auctor fuerit: nec enim imbecillitas ſexus per conſenſum paternum tollitur. *Bald. in l. ult.* §. *neceſſitate C. de bon. quæ lib. Coſtal. ad l.* 1. *D. h. tit.*

9. Infirmat SC. interceſſionem non ipſo jure, ſed vel denegatâ actione, vel datâ exceptione. *l.* 6. *l.* 8. §. 2. 4. 6. 12. *l.* 15. 16. *pr. l.* 17. 19. 21. *& ſeqq. D. h. tit. l.* 3. 8. 4. 14. *C. eod.* Sed ex novis legibus mulier ipſo jure tuta eſt duobus caſibus: Si interceſſerit non confecto publico inſtrumento. *l. anti-*

quæ 23. *C. h. tit.* Si pro mutuo quod marito datum eſt interceſſerit. *nov.* 134. *cap.* 8. Vide *Donel.* 12. *com.* 29. & 30. *Hotom. in epit h. n.* 11. *Duar. h. cap.* 1. *Conna.* 6. *com. ult. n.* 9.

10. Prodeſt autem auxilium SCti non tantum ipſi mulieri, ſed & hæredi ejus. *l. hæredes* 20. *C. h. tit.* fidejuſſori *l ſi mulier* 16. §. 1. *D. eod. l. mulierem* 14. *C. eod.* Ei qui mandato mulieris pro alio fidejuſſit *l.* 6. & *l. ſeq l. ſi decipiendi* 30. §. 1. *D. eod. l.* 15. *C. eod.* Qui à muliere delegatus eſt, cum debitor ejus non eſſet. *d. l. quamvis* 8. §. *ſed ſi is* 4. *D. h. tit.* Neque ſolùm ante ſententiam, ſed & poſt ſententiam actioni rei judicatæ opponi poteſt *l. tamen* 11. *D. ad SC. Maced.* Eoque non oppoſito ſi mulier ſolverit, condictionem indebiti habet, etſi juris errore ſolverit. *l. doli* 19. *verſ. diverſum D. de novat. d. l. quamvis* §. *interdum D. h. tit. l. quamvis* 9. *C. eod.*

11. Subducta verò mulieris perſona, pignoribuſque ab ea datis, reſtituitur actio in veterem verumque debitorem, ſive participaverit alienam obligationem, ſive eam in ſe transtulerit *d. l. quamvis* § *quotiens* & *ſeqq l. aliquando* 13. *D h. tit. l.* 8. *C. eod.* Unde hæc actio reſtitutoria vocatur *d l. quamvis* §. *ſi mulieri* 12. & reſciſſoria *l. ſi mulier* 16. *C. eod.* Quod ſi ab initio pro alio ſe obligaverit, inſtituitur magis, quam reſti-

tui-

tuitur actio in eum pro quo interceſſit, perinde ac ſi ipſe contraxiſſet *d. l. quamvis §. ſi cum eſſem.* Cujac. 16. *obſ.* 27. *Duar. h. cap.* 2. *Donel.* 12. *com.* 31. *Ferrer. ad. h. tit. n.* 18. *& ſeqq.*

12. Ceſſat Sctum. cum mulier interceſſit pro libertate. *l. pen. C. h. t. t.* pro dote *l. ult. C. eod.* aut apud minorem pro debitore qui non eſt ſolvendo *l. ſi apud minorem* 12. *D. de minor.* Non malè hinc colligunt D. D. ceſſare Sctum. quoties pia cauſa interceſſionis eſt; adeò, ut etiam pro marito incarcerato interceſſio facta valeat. *l. cum is* 32. *§. mulier de cond indeb. Pyrrh. d. cap.* 3. *n.* 33. 73. 81. *& ſeqq. Val. Franc. de fidejuſſ. cap.* 2. *n.* 173. *Fab. C. h. tit. def.* 8. *Gomeſ. ad leg. Taur.* 36. *Tiraq. privil. piæ cauſ.* 113. *Diſſ. Imbert. in enchir. verb. mulier in fin. Berlich. part.* 2. *concl.* 19. *n.* 85. Quod autem ſtudiorum cauſam piis cauſis annumerant hâc parte Franc. & Pyrrh. *d. loc.* Tiraq. *in præf. d. tract.* id non abſque temperamento probandum videtur.

13. Ceſſat etiam cum in rem mulieris verſa eſt pecunia, *nov.* 134. *cap.* 8. vel cum interceſſit in rem ſuam *l.* 3. *l. aliquando* 13. *pr. l.* 21. *&* 22. *D. h. tit. l.* 10. *C. eod.* vel ſucceſſit ei pro quo interceſſit *d. l. quamvis §. planè ſi mihi D. h. tit.* vel pretium interceſſionis accepit. *l. antiquæ* 23. *C. h. tit.* Quo poſtremo caſu quæri ſolet, quæ quanti-

tas Sctum. excludat? Nos id judicis arbitrio relinquere, quam certa ſumma definire malumus. *Duar. ad h.tit.cap. 2. Hotom ad l. 23. C. h. tit. Menoch. 2. de arb.caſ. 234. Pyrrh. d. cap. 3. n. 40.* Diſſ. *Zanger. 3. de except. 11. n. 145. & Donel. 12. com. 32. quorum huic quantulumcunque pretium ſufficit: ille pretium debito æquale exigit.*

14. Ceſſat cum mulier diſſimulata interceſſione decepit creditorem ignorantem *l. 2. §. ſed ita demum l. 4. pr. l. ſi mulier 11. l. 17. §. 1. l. ſi decipiendi 30. D. h. tit. l. fœminis 18. C. eod.* Cæterum ſi & creditor ſciat mulierem intercedere, nocebit ei exceptio *l. 1. C. eod. l. immò 12. l. Seja. 28. § 1. D. eod.* Nec adverſatur *l. ſi fœnebris 13. C. eod.* Vide *Duar. cap. 2. h. Cujac. in l. vir uxori 17. D. eod. tract. 4. ad Afric. Coſtal. ibid. Hotom in epit. n. 15.*

15. Ceſſat cum major annis xxv. interceſſionem pro extraneo factam poſt biennium iteravit *l. ſi mulier 22. C. h. tit. nov. 61. c. 1. §. & ſi conſentiat. nov. 134. cap. 8.* Quo caſu confirmationem non retrotrahi, ſed valere interceſſionem ex die iterationis ſcripſerunt Bald. *ad auth. ſi qua mulier in fin. C. h. tit.* Menoch. *3. præſumt. 21. n. 3.* Berlich. *d. concl. 19. n. 8.* Hering. *de fidejuſſ. cap. 7. n. 451.* Et rectè: approbatio enim negotii à ſe geſti regulariter non retroagitur *l. donationes 25. C. de donat. int. vir. & ux. l. 65. §. 1.*

de

derit nupt.l.6.C.eod. Molina. ad conſ. Pariſ. §. 33 *gloſ.2.n.* 42.

16. Ceſſat denique renuntiatione: de qua tamen non idem omnes ſentiunt. Alii omninò negant renuntiari poſſe Sčto. Ut veteres prætercam, ita cenſent Donel. 12. *com.* 32. Conna. 6. *com.* 8. *n.* 9. Zanger. *d. cap.* 11. *n.* 154. *&* 161. Hering. *d. tract. c.* 7. *n.* 466. *& ſeqq.* Berlich. *part.* 2. *concl.* 19. *n.* 16. *& ſeqq.* Alii non niſi in judicio factam renuntiationem probant Covar. *ad c. quamvis de pact. in* 6 *part.* 2. §. 3. *n.* 8. Gomeſ. 2. *reſol.* 13. *n.* 17. Duar. *ad h. tit. cap.* 2. *in fin.* Rauchb. *part.* 1. *quæſt.* 34. *n.* 5. Coſtal. *ad l. ult. h. tit. & l.* 11. *D. ad Sc. Maced.* Sed verior eſt tertia ſententia, exiſtimantium, etiam extra judicium renuntiationem factam valere. Sichard. *ad h. rubr. n.* 14. Hotom. *in epit. n.* 16. Gail. 2. *obſ.* 77. Pyrrh. *d. cap.* 3. *n.* 93. *& ſeqq.* Sand. 3. *tit.* 11. *def.* 2. *&* 6. Fach. 2. *contr.* 60.

17. Neque ſolum jurejurando interpoſito renuntiare mulier poteſt, ſed & abſq; jurisjurandi religione *l. ult. §. pen. D. h. t. l. pen. C. de pact. l. non dubium C. de legib. l. ult. C. Quand. mul. tut. off. fung. pot. nov.* 94. *cap.* 2. *nov.* 118. *cap.* 5. *Sand. d. defin.* 6. *Gail. d. obſ.* 77. illorum verò ſententia minimè probanda eſt, qui aut juratam interceſſionem abſque renuntiatione valere putant. *Covar. d. loc. Papon.* 12. *tit.* 5. *arreſt.* 9. Diſſ. *Cano-*

ni-

niſtæ eoſque ſecuti Pyrrh. d.cap. 3.*n.* 87. *& ſeqq. Berlich. d. concl.* 19.*n.*24. *&* 27. *Fach.* 2.*contr.*61. aut renuntiationem abſque certioratione *Berlich. n.* 33. *&* 34. *Gail. d. obſ.* 77. *n.* 3. *Sand. d.tit.* 11. *def.* 3. *Trentac.* 1 *tit. de reſcr. & privil reſol.*8.*n.*4.

18. Quod ſi mulier per renuntiationem enormiter læſa ſit, quæritur, an adverſus renuntiationem ei ſuccurrendum? Hoc verò ejuſmodi eſt, ut neque ſimpliciter affirmandum, neque abſque temperamento negandum videatur. Vide *l.* 2. *C. de reſc. vend. l.* 3. *C. Com. utr. jud. l.* 5. *C. de dol. l.* 2. *§. ſed ita demum D. h. tit. Gail. d. obſ.*77.*n.ult. Pyrrh. d. cap.*3.*n.*103. *& ſeqq. Zang. d. cap.* 11.*n.*165. *Fac. l.* 1. *§. ult. Ex quib. cauſ. maj.*

19. Fingamus mulierem renuntiaſſe S.Cto. Vellejano, an cenſetur etiam renuntiaſſe novis conſtitutionibus *d. l. antiquæ* 23.*C. h. tit. & d. nov.* 134.*cap.*8.? Nequaquam *Coſtal. in l. ult. D. h. tit. Sand. d. tit.* 11. *def.* 4. *Grot.* 3. *manud.* 3. *§. door byſondere.* Imò novis his conſtitutionibus, imprimis *nov.* 134. ne quidem ſpecialiter à muliere renuntiari poſſe verius eſt *l jus publicum* 38. *D. de pact. l. nec ex prætorio* 27. *de reg. jur. l. non dubium C. de ll. Rauchb. d. quæſt.* 34. *n.* 12. *Berlich. d. concl.* 19. *n.* 63. *Sich. ad h. rubr. n.* 14.

DISPU-

DISPUTATIO TRIGESIMA QUARTA, DE

Dolo, Culpa, Caſu, & Mora.

Reſp. MEINARDO MARTYN,
Aurica Friſio Orient.

1. DIximus acceſſionem vel perſonæ, vel rei eſſe. In confinio utriuſque ſpeciei, non malè videmur de dolo & culpa acturi. Dolus eſt omnis calliditas, fallacia, machinatio, ad circumveniendum, fallendum, decipiendum alterum adhibita. Ita rectè Labeo exploſa Servii definitione in *l.* 1. §. *dolum malum D. de dolo mal.* licet eandem Servii repetat Ulpianus in *l.* 7. §. *dolo malo D. de pact.* aperte probet Paulus 1. *ſent.* 8.

2. Dividitur dolus in verum & præſumtum. Verus eſt qui manifeſtis indiciis probatur: Præſumtus qui levioribus *Bartol. l. quod Nerva* 32. *D. depoſ. n.* 14. *Coraſ.* 4. *miſcel.* 1. *n.* 2. *Odd. de reſtit. in int. quæſt.* 82. *art.* 1. *Farin. quæſt.* 88. *n.* 4. Alii verum dolum in committendo; præſumtum in omittendo conſiſtere dicunt. *Alex. vol.* 1. *conſ.* 103. Alii verum vocant, quem lex præſumendo, conſtituit: præſumtum, quem ju-

judex indiciis colligit *Menoch. 5. præſ. 3. n. 7.* Rectius ſenſerunt, qui hanc diviſionem tanquam commentitiam repudiarunt. *Rebuf. ad l. lata culpa 223. D. de V. S. Decia. 1. r. r. crim. 4. n 16.*

3. Nec tamen commentitia eſt illa diſtinctio, qua dicimus, dolum vel ex propoſito deſcendere, vel in re ipſa verſari: tametſi hunc ex enormiſſima læſione Dd. præſumi ſcribant *l. ſi quis cum aliter 36. D. de V. O. Farin. d. quæſt. 88. n. 33. Decia. d. c. 4 n. 11. & cap. 5. n. 13.* Nec caret auctoritate legum diſtributio doli tecti & aperti: tametſi Comicus dixerit, dolos ſine aſtu non eſſe dolos. *l. 1. D. de dol. mal. l. 14. §. cum qui metum D. Quod met. cauſ. l. 5. D. ad leg. Jul. de vi publ. l. 1. D. ad leg. Corn. de ſicar. cum ſimil. Farin. d. loc. n. 25.*

4. Culpa nihil aliud eſt, quàm negligentia & ſocordia. Ejus ſpecies tres agnoſcimus: latam, levem, & leviſſimam *l. cedere diem 213. §. ult l. lata culpæ 223. l. magna 226. D. de V. S. l. contractus 23. de R. J. l. 5. §. nunc videndum D. commod. l. ſi putator 31. l. in lege 44. D. ad leg. Aquil. §. item is cui Inſt. quib. mod. re contr. oblig. §. ult. Inſt. de ſociet. §. 1. Inſt. de oblig. ex quaſ. contr.* Itaque repudiamus Bartolum, qui quinque agnovit: latiſſimam, latiorem, latam, levem, leviſſimam: Baldum, qui quatuor, dempta prima Bartoli: Zaſium & Donellum, qui duas dunta-

taxat, latam & levem. *Bartol. in l. quod Nerva D. Depoſ. Bald. in l. quæ fortuitis n. 7. C. de pign. act. Zaſ. 1. ſingul. intel. 2. n. 9. Donel. 16. com. 7.*

5. Ignorantia juris naturalis, rerum cotidianarum, notæ conſuetudinis vel ſtatuti, non immerito latæ culpæ annumeratur. *l. 11. §. notatur D. de his qui not. infam. l. 2. C. de in jus voc. l. ſi adulterium 38. §. 1. & 2. D. ad leg. Jul. de adult. l. regula 9. §. ſed juris D. de jur. & fact. ignor. junct. l. 11. §. proſcribere D. de inst. act.* ignorantia juris controverſi nequaquam. *Farin. quæſt. 111. n. 479. Zaſ. d. cap. 2. n. 16. & ſeqq. Decian. lib. 2. cap. 10. n. 5. Chaſſ. ad Conſuet. Burg. tit. 3. §. 2. in fin.*

6. Caſus eventus eſt, qui diligentia præcaveri nequit. Dividitur à Dd. in ſolitum, & inſolitum: nonnulli inſolitiſſimum adjiciunt. *Menoch. 2. arb. caſ. 80. Seb. Medic de caſib. fortuit. part. 1. qu. 11. 15. 16. Gail. 2. obſ. 23. n. 18. & 19. Moz. de accid. locat. n. 52.* Quam diſtinctionem improbat quidem *Pinel. ad l. 2. C. de R. V. part. 1. cap. 3. n. 30.* nobis verò non omninò damnanda videtur: inprimis in interpretanda ea pactione, qua quis ultrò caſum fortuitum in ſe ſuſcepit.

7. Latrocinium & rapina plerumque caſibus fortuitis annumerantur, *l. inter cauſas 26. §. non omnia D. mand. l. cum duobus*

52. §.

52. §. *damna*, & §. *quidam ſagariam D. pro ſoc. l. ex conducto* 15. §. 1. *D. locat. d. l. contractus de R. J.* Furtum non æque, quoniam diligentia præcaveri poteſt *d. §. damna l. quod ſi neque.* 14. §. 1. *D. de peric. & com. rei vend.* Interdum ſanè & ſine culpa patrisfam. fit. *l. eum qui* 14. §. *idem ſcribit D. de furt.*

8. Caſus fortuitus in nullo contractu præſtatur, ſi non culpa aliqua cauſam ei dederit *d. l. contractus d. l.* 5. §. *quod ſi vero D. Commod.* Dolus verò ab omnibus præſtandus eſt: adeo ut nec convenire poſſit, ne dolus præſtetur, quoniam conventio ad delinquendum invitat. *l. ſi unus* 27. §. *illud D. de pact. l.* 1. §. *illud D. depoſ. d. l. contractus.*

9. Culpa lata præſtanda eſt in iis contractibus, in quibus vertitur ſolius dantis utilitas: lata & levis, in quibus utilitas utriuſque: leviſſima, in quibus ſolius accipientis. Officii tamen & amicitiæ ratio efficit, ut in mandato & negotiis alienis gerendis omnis culpa præſtanda ſit *d. l.* 5. §. *nunc videndum D. Commod. d. l. contractus* §. *ult. Inſt. Quib. mod. re contr. oblig. l. in re mandata* 21. *C. mand.* §. 1. *verſ. quo caſu Inſt. de oblig. quæ ex quas. contr. naſc.*

10. Atque hæc ita locum habent, ſi non nominatim convenerit, ut plus minuſve præſtetur. *d. l. contractus l.* 1. §. *ſi convenit D. De-*

D. Depoſ. l. 1. *C. eod. l.* 7. §. *item ſiquis pactus ſit. D. de pact.* Unde quæſitum, an valeat conventio, ne lata culpa præſtetur, quoniam hæc dolo æquiparatur. Pleriſque valere placuit *arg. d. l. contractus, d. l.* 5. §. *interdum l. qui plures* 41. *D. de admin. tut. Caſtr. Jaſ. Coſtal. in l.* 27. §. *illud de pact. Dec. in d. l contractus n.* 42. *Alex. in l. ſi mora* 28. *D. Sol. matrim.* Loca tamen adducta id non ſatis firmare videntur.

11. Quæſitum etiam, an cuſtodem apponens rei ſuæ, videatur eo ipſo cuſtodiam remiſiſſe accipienti? Verius eſt non remiſiſſe, etiamſi in continenti cuſtodem appoſuerit, non ex intervallo *d. l.* 5. §. *ſi de me petiiſſes D. commod.* Diſſ. *Gloſſ. Bart. Bald. Coſtal. ibid.* Illud certum eſt, neque prædictione ſola accipientis, neque traditione clavis ſemper transferri cuſtodiam. *l. ult.* §. *item ſi prædixerit D. naut. caup ſtabul.*

12. Mora culpa eſt, non reſpondentis ad conventionem opportunam creditoris vel debitoris. Contrahitur enim pleruamque per interpellationem: ſed quibuſdam caſibus fit re ipſa: ut, ſi fiſco debeatur *l. cum quidam* 17. §. *fiſcus D. de uſur.* Si minori *l.* 3 *C. In quib. cauſ. in integ reſt.* Si nemo ſit qui appellari poſſit *l. ſed etſi* 23. § 1. *de uſur.* Si obligatio certum diem habeat *l.* 2. *C. de jur. emphyt.* Si emtor retradita non ſolvat pretium *l. curabit*

Dd. Ferret in l. ſi ex legati 23. *de V. O. n.* 6. *Menoc h. d. caſ.* 220.*n.* 32. *Chaſſ.tit.*4.§.23. *gloſ.ſufficienter interpellatus n,* 8.*& ſeqq.*

15. Effectus moræ varii ſunt: facit enim ut creſcat rei vel utilitatis æſtimatio *l. pen. D.de cond.trit.l.*8.§.1.*l.ex argento* 13.*D.de cond.furt.* Perpetuat obligationem, & transfert periculum in adverſarium *l.* 5.*D.de reb. cred.l.ſi ex legati* 23.*l.nemo* 82.§.1.*l.ſi ſervum* 91.§.*ſequitur D.de V.O.l.cum res* 47.§. *ult. D. de leg.* 1. *l. ſi mandatu* 59.§.*pen.D. mand.* Facit ut debeantur fructus & uſuræ. *l.* 17. §. *ex locato, d. l.mora* §. *in bonafidei l.* 34.*l.*38.§.*ſi actionem D. de uſur. l.*49.§.1. *de act. emt. l.* 60.*pro ſoc. l.* 38. *de neg. geſt.l.* 54. *locat.l.*2.*C. depoſ.* Facit quodammodo malæ fidei poſſeſſorem *d. l.* 20. §.*petitam l.* 25.§.*de eo & ſeqq. de hered.petit.l. ſi fundum* 17. *C. de rei vind.l.*23.§.1. *de adq. rer. dom.* Solvit antichreſin *l. ex prædiis* 11. *C. de uſur.*

16. Difficultas an à mora excuſet, dubitatum eſt? Affirmat *l.* 3. § *ult.l. ult.D.de act. emt.d.l.*5. *D. de reb.cred.l ult* § *idem juris D. ad leg. Rhod.* Negat *l.continuus* 137. § *illud inſpiciendum D. de V. O.* Nulla hic legum pugna eſt. *Alciat. in d. l.* 5.*n.* 19. *& ſeqq. Coſtal, d. l. ult. de leg. Rhod.* Aliter *Zaſ d. l.* 5 *n.* 37. 38 *Hotom. diſp. de mor. cap.* 2. *n.* 6. hoc ſpectat, an culpa aliqua debitoris difficultati cauſam dederit, *arg l.* 91. §. 1 *de V. O.*

Pur-

17. Purgatur mora debitoris ſequenti mora creditoris, ſi is pecuniam poſtea oblatam accipere recuſet *l. illud* 17. *D. de peric. & com. rei vend. l. ſemel.* 26. *D. Sol. matr. l. qui decem* 72. *D. de ſolut. & lib. l.* 73. §. *ult. l.* 88. *de V. O. l.* 1. *de cond furt.* Purgatur etiam omiſſa repetendi debiti inſtantia *d. l. mora* §. 1. *de uſur.* novatione *l.* 17. *de cond. furt. l.* 8. & 14. *D. de novat. & d. l.* 72. *de ſolut.*

18. Purgari autem mora poteſt uſque ad litis conteſtationem, ſive faciendi ſit obligatio *l. ſi inſulam* 84 *de V. O l* 21. §. *ult. & l. ſeq. de recept*, ſive dandi, dummodo aliud ſit in præſtatione, aliud in petitione *l.* 1. *de pen. leg. l.* 17. & 24 *Quand dies leg. ced l.* 57. *de ſolut.* Nam ſi eadem res in petitione & præſtatione ſit, etiam lite conteſtata mora purgari poteſt. *d. l.* 91 §. *ſequitur l.* 135. §. *Seja de V. O.* §. *ſupereſt. Inſt. de perp. & temp. act. Duar. & Cuj in d. l. ſi inſulam Zaſ. ibid. n.* 31. *Idem in l.* 73. §. *ult. n.* 2. *Hotom. diſp. de mor. cap.* 4. *n.* 19. Diſſ. *Don. in d.* §. *ſequitur n.* 11. *Ferret de mor. n.* 54. Aliter *Alc & com. Dd. ad d. l.* 73. §. *ult. de V O.*

19. Purgationi locus non eſt, cum obligatio habet diem ſimul & pœnam: *l. magnam C de contr. ſtipul. l.* 23. *D. de O & A l.* 23. *de recept. Donel. de mor. cap.* 9. *Alc. d.* §. *ult. n.* 7. *Zaſ. d. l.* 84. *n* 16. Diſſ. *Ferret. d. tract.*

tract. n. 57. *Hotom. d. diſput. cap.* 4. *n.* 18. Cum pacto convenit, ne mora purgari poſſit *Ferr. d. loc. n.* 56. *Hotom. cap.* 3. *n.* 19. *arg. leg.* 26. §. *ſed ſi quidem* 2. *C. de fidejuſ.* Cum lex purgationem impedit, aut ob moram facit executionem quandam *leg. ult.* §. 1. *C. Com. de legat. l. ſi is cui* 19. *de leg.* 2. *l.* 4. *C. de pact. int. emt. Ferr. d. loc. in fin. Molin. ad Pariſ.* §. 35. *gl.* 2. *n.* 16. Quod autem Dd. adjiciunt, ceſſare etiam purgationem moræ ob geminatam interpellationem, *Coſtal. l.* 38. *de minor.* ob juramentum contractui adjectum *Dd. in l.* 41. *C. de tranſact. Zaſ. d. l.* 84. *n.* 39. id nequaquam eſt concedendum *Coraſ.* 2. *miſcel.* 6. *n.* 10. *Salicet. & Caſtr. in d. l.* 41. *Alc. ibid. n.* 76. *Ferret. d. loc.* Illud etiam ridiculum, quod Zazius refert *d. l.* 84. *n.* 11. Judæos omnino non poſſe purgare moram, ob id, quod adverſus eos rigore, non æquitate ſit utendum.

DISPUTATIO TRIGESIMA QUINTA, DE FOENORE.

Reſp. MATTHAEO HOFF, *Camp. Tranſiſul.*

1. TRanſeamus ad acceſſiones rerum: quæ ſunt, fœnus, uſura, fructus, cauſa, pœna, & id quod intereſt. Fœnus, à fœtu dictum, nihil aliud eſt quam uſura, quæ ſupra ſortem ex mutuo debitam exigitur intercedente ſtipulatione. Conſiſtit in quantitate, nec deberi poteſt niſi quantitatis nomine *l. frumenti* 12. *l. cum non* 16. *l. oleo* 23. *C. de uſur. l.* 3. §. *nonnunquam. &* §. *ult. D. eod. l. uſura* 121. *D. de V. S.*

2. Stipulationem deſiderari docet *l.* 1. 3. 4. *C. de uſur l.* 31. *l.* 41. §. *ult. D. eod. l. idemque* 10. §. *ſi quis Titio. D. mand. l. Titius* 24. *D. de præſcr. verb. d. l. uſura de V. S.* Itaque neque ex pacto nudo, neque ex mora, neque per litis conteſtationem deberi incipit. Tempus quoque ſolum non ſufficit ad inducendam obligationem: veluti ſi quis fœnus indebitum pluribus annis ſolverit tanquam debitum. *l. creditor* 7. *C. de uſur. junct. l. ſi certis* 28. *C. de pact. l.* 44. §. 1. *D. de O. & A. l.*

A. l. operis 31. *D. de oper. libert.* Vide *Duar. de uſur. cap.* 2. *Donel. in d. l. creditor.* Cujac. *in l.* 6. *de uſur. lib.* 29 *quæſt. Papin. Pyr. Maur. de Solut. cap.* 37.

3. Debetur tamen citra ſtipulationem fiſco *l. cum quidam* 17. §. *fiſcus D. de uſur.* Civitati *l. etiam* 30. *D. eod.* argentariis *nov.* 136. *cap.* 4. Item fœnus ſpecierum. *l. frumenti* 12. *C eod* & pecuniæ trajectitiæ *l.* 1. *l.* 5. *D. de naut. fœn.* Adhæc ex pacto ſolutum repeti nequit *l.* 3. *C. de uſur.* Pignus etiam retineri poteſt nomine uſurarum ex pacto debitarum *l.* 4. *l pignoribus* 22. *C. eod.*

4. Extra has ſpecies non ſolum ſtipulatio deſideratur, verum etiam neceſſe eſt certum modum uſurarum in ſtipulatione exprimi. Itaque inutilis eſt iſta ſtipulatio: *Cum uſuris*: vel, *Cum uſuris legitimis, l. quod in ſtipulatione* 31. *l. tutor* 41. §. *ult. D. de uſur. junct. nov.* 163. *c.* 4. & *l. quicquid* 99. *D. de V. O.* Cujac. *in l.* 20. *C. de uſur Donel. in l.* 3. *n.* 4. *eod. Hotom. in epit. de uſur. n.* 30. Diſſ. *Molin. de contr. uſur. quæſt.* 73 *n.* 491. & *quæſt.* 83. *n.* 644. *Fab. C. Sab. de uſur. def.* 7. *Sand.* 3. *tit.* 14. *def.* 3.

5. Modus legitimus uſurarum eſt, ne illuſtres excedant trientem centeſimæ, negotiatores & argentarii beſſem, reliqui ſemiſſem *l. eos* 26. §. 1. *C. de uſur. d. nov.* 134. *cap.* 6. *Ed. Juſtin.* 9. Centeſimam tamen ſtipulari licet pecuniarum trajectitiarum

nomine, & ſpecierum fœnori datarum *d. l. eos*. Ab agricolis vero pecuniæ nomine triens duntaxat, frumenti in ſingulos modios octava modii pars exigi poteſt. *nov.* 32.33.34.

6. In fraudem harum conſtitutionum facit, quiſquis ſorti detrahit aliquid ſiliquarum, vel ſportularum, vel cujuſvis alterius rei cauſa *d. l.* 26. §. *interdicta*. Illuſtris plebejum, plebejus mercatorem vel argentarium ſubjiciens *d. l.* 26. §. *machinationes*. Qui ultra legitimas uſuras munera exigit *arg. c.* 2. & 3. *cauſ.* 14. *queſt.* 3. Qui pœnam. Qui legem comiſſoriam pignori adjicit. Qui rem immodico pretio vendit debitori, ſuppoſito emtore, qui eandem luat viliſſimo. Qui non idonea nomina aſſignat debitori, recepturus quantitatem non dubiam cum uſuris. Qui annuum reditum emit vili pretio, non habitâ ratione trientis, beſſis, vel ſemiſſis.

7. Non facit fraudem, qui emit reditum perſonalem, quem vitalitium vocant, non habitâ taxationis ratione. Qui piſcatori in apparatum erogaturo credit, eâ lege, ut centeſimam percipiat, ſi piſcatio bene provenerit. Qui paciſcitur fructus fundi pignerati pro uſuris. Qui paciſcitur cum debitore, ut quicquid ex pignore vendito redegerit, id ſibi habeat. *l. periculi D. de naut. fœn. l. ſi ea lege* 17. *C. uſur. l. pen. D. de Solut.*

8. Mer-

8. Mercibus venditis an poteſt mercator pretii nomine beſſes uſuras exigere? Poteſt niſi intuitu tardioris ſolutionis carius vendiderit *d. l. eos* §. 1. *verſ. & eam quantitatem. l. ult. D. de peric. & com. rei vend. junct. l. 2.* §. *de officio D. de cond. quod cer. loc. Hotom. d. diſp. cap.* 8. Neque rectè ex Choppino & Paponio nonnulli reſponderunt, idcirco mercatorem non poſſe pretii uſuras exigere, ne geminum corradat lucrum. *Chopp. lib.* 3. *de morib. Pariſ. cap.* 2. *n.* 14. *Papon. lib.* 12. *tit.* 7. *arreſt.* 8. Confer *Molin. d. tract. quaeſt.* 22. *n.* 225. Quod ſi mercator actionem ſuam ceſſerit non mercatori, non poteſt ceſſionarius uti jure cedentis. *Molin. quaeſt.* 47. *n.* 550.

9. Stipulatus ſum majores uſuras ubi licet; ſed hypotheca ſita eſt, ubi minores frequentantur: utrum locum contractus, an hypothecæ ſpectare debemus? Locum contractus: *arg. l.* 1. *pr. l. & in contraria* 37. *D. de uſur. l. Si fundus* 6. *D. de Evict. l.* 1. § *in honorariis D. de Extraord. cognit. Burg. ad conſ. Fland. tract.* 4. *n.* 10. *Gilken. in l.* 1. *C. de ſum. trin. & fid. cathol. n.* 26. Confer *Mornac. in l.* 50. §. *ſed & reſcriptum D. de jud.*

10. Credidit quis certam ſummam in annum, ejuſque anni uſuram ſtipulatus eſt: debitor ea pecunia pluribus annis uſus eſt: an ſequentium quoque annorum uſuræ ab eo peti poſſunt? Non videtur,

l. quicquid 99. *D. de V. O. d. l.* 1. 3. 7. *C. de uſur. l.* 7. §. *quinimo D. de pact. Sand.* 3. *tit.* 14. *def.* 1. Diff. *Fab. C. de uſur. def.* 1. *Groenevv. ad d l.* 7. *eod.*

11. Uſuræ uſurarum omnino prohibitæ ſunt *l. præſes* 27. *D. de re judic. l. ſi non ſortem* 26. §. 1. *D. de cond. indeb. junct. l neque* 15. *D. de uſur. l. ut nullo modo* 28. *C. eod.* Huic prohibitioni fraus fit non ſolum per ἀνατοκισμὸν, ſed & per verſuram. Non fit fraus, ſi ab adminiſtratoribus noſtris, qui uſuras à debitoribus noſtris exactas in uſus ſuos converterunt, earum uſurarum uſuras exigamus. *l. tutor* 7. § *ſi uſuras* 12. *l.* 58. §. *ex duobus in fin.* & §. *ult. D. de admin. tut. l.* 10. §. *ſi procurator* 3. *D. mand. l. creditor* 12. §. *ſciendum D. Qui pot. in pign. l.* 22. *C. de pign. & hyp. Molin. quæſt.* 77. *n.* 601. *Hotom. diſp. de uſur. cap* 3. *Sand. d. tit.* 14. *def.* 6.

12. An fraus fit, ſi reliqua annui reditus convertantur in ſortem, ejuſque ſortis uſuræ promittantur? Ita videtur. *Chopp.* 3. *de morib. Pariſ.* 2. *n.* 15. *Argent. conſult.* 3. *Neoſtad. deciſ. ſupr. cur.* 81. *in fin.* At ſi emtor pretii loco, conductor reliquarum penſionum nomine, venditori vel locatori conſtituant reditum annuum, non illico fraus fit conſtitutionibus uſuras uſurarum prohibentibus. *arg. l. curabit C. de act. emt. l. Julianus* 13. §. *ex vendito D. eod. l. Præſes* 17. *C. de locat. cond. l. quæro* 54. *D. eod. l. cum quidam* 17. §.

17. §. *ex locato D. de uſur. Molin. d. tract. quæſt.* 22. & 24. *Hotom. d. cap.* 3.

13. Deberi deſinit fœnus, ſimul atque principalis obligatio fuerit ſublata, vel ſolutione ſortis cum uſuris. *l. ſolutione* 23. *D. de Solut.* vel acceptilatione, vel novatione *l.* 1. *D. de acceptil. l. novatione* 18. *l. emtor* 27. *D. de novat.* vel præſcriptione longiſſimi temporis *l. eos* 26. *pr. C. de uſur. l.* 3. & 7. *C. de præſcr.* 30. *vel* 40. *an.* vel quo alio legitimo modo. Sed ſi ſola ſors ſoluta ſit, quæſitum, an ſuperſit petitio uſurarum? Non eſt obſcurum ſupereſſe, *l.* 1. *C. de jud. l. cum ſtipulati* 90. *D. de V. O. Cuj. tract.* 3. *ad Afric. in l. centum D. de cond. quod cert. loc. Pyrrh. Maur. de ſolut. cap.* 12. *Fab. C. Sab. de uſur. def.* 5. *Sand. d. tit.* 14. *def.* 10.

14. Quod ſi creditor oblatam quantitatem accipere recuſet, obſignata in publico deponenda eſt, ut curſus fœnoris impediatur: ſola oblatio non ſiſtit uſuras. *l.* 1. §. *ult. l. debitor* 7. *l. tutor* 41. §. 1. *D. de uſur. l.* 6. *l.* 9. *l. acceptam* 19. *C de uſur. l. tutor* 28. § 1. *D de admin. tut. Donel in l.* 2. *C. de uſur. n* 4 Cujac. *ad l. qui Romæ* 122. §. *Seja D. de V. O. Giph in d. l. acceptam. Menoch.* 2. *arb. caſ.* 232. *n.* 2. *Hotom d. diſput. cap.* 4. Diſſ. *Duar. ad d.* §. *Seja. Molin d tract. quæſt.* 39.

15. Interpellatur etiam curſus uſurarum, ſimul atque duplam ſortem æquaverint *l. uſuræ* 10. *C. de uſur. l. ſi non ſortem* 26.

N 4 §1.

§. 1. *D. de cond. indeb.* ſive ſolutæ ſint ſuis quæque temporibus, ſive non ſolutæ *nov.* 121. *nov.* 138. quo caſu etiam ſors ipſa deberi deſinit: ac ne pignora quidem data in fraudem hujus juris retineri poſſunt *d. ll.* & *l. de uſuris* 27. *C. de uſur.* Vide *Hotom. d. diſput. cap.* 10. *Donel. in d. l.* 27. *Duar. de uſur. cap.* 3. *verſ. preterea*, Cujac. *in d. nov.* *Alc.* 1. *parerg.* 39.

16. Hoc amplius pacto remitti uſuras poſſe, non eſt dubitandum, cum ſors ipſa pacto remitti poſſit. *l.* 5. *C. de pact. l.* 2. §. 1. *l.* 17. §. *ſi quis paciſcatur* & *ſeqq. D. eod.* Atque etiam tacito pacto hic ſuæ conſtant vires. Nam ſi quis uſuras majores ſtipulatus, longo tempore minores exegerit, tacito pacto remiſiſſe majores videtur. *l. qui ſemiſſes* 13. *D. de uſur. l.* 5. *l. quamvis* 8. *C. eod.* Sed ſi longo tempore nullas exegerit, tacitè præteritas remiſiſſe cenſetur, non etiam futuras. *l. cum quidam* 17. §. 1. *D. eod. Donel. in l.* 5. *n.* 5. *C. de uſur.* Confer *Menoch.* 3. *præſumt.* 25. *n.* 2. & *ſeqq.*

17. Si quis navigaturo credat ſuo periculo, pretium periculi eſt, ut uſuras centeſimas ex pacto petere poſſit. *l.* 5. & 7. *D. de naut. fœn. d. l.* 26. §. *in trajectitiis C. de uſur. nov.* 106. *nov.* 110. Inde rectè inferimus, ſi quis non mari, ſed terra negotianti crediderit ſuo periculo, hunc quoque centeſimas uſuras paciſci poſſe. *Hotom. diſp. de fœnerat. cap.* 2.

Peri-

18. Periculum intelligimus, quod contingit ſine dolo vel culpa debitoris *l.* 4. *D. de naut. fœn. l.* 3. *C. eod. l. qui Romæ* 122. §. *Callimachus D. de V.O. l. cotem.* 11. §. *dominus D. de public.* Modum autem culpæ quod attinet, non eadem omnium deprehenditur ſententia. Alii leviſſimam culpam à nautis exigunt, *l.* 3. § 1. & 2. *D. naut. caup. ſtab. Argentr. ad conſuet. Britan. art.* 34. *gloſ.* 1. *n.* 25. Alii diſtinguunt, ut mercatoribus quidem levem, domino vero leviſſimam culpam præſtent. *arg. l. ſi merces* 25. §. *pen. D. locat. Strach. de naut. cap.* 2. *n.* 3. & 4. Nobis prior ſententia convenientior videtur ſubjectæ materiæ.

19. Agnoſcit autem creditor periculum in itu duntaxat, non reditu, niſi hoc dictum ſit. *l.* 1. & *ult. C. de naut. fœn.* Vide *Hotom. d. diſput. cap.* 9. Nec adverſatur nobis *Strach. de navigat. n.* 14. & *ſeq.* Neque neceſſe eſt, ut merces quoque ſalvæ ſint, ſufficit navem perveniſſe in portum, niſi nominatim aliter cautum ſit. *arg. l.* 3. *l.* 5. §. 1. *D. ad leg. Rhod. l. proponebatur* 76. *D. de jud. l. quod in rerum* 24. §. *ult. D. de legat.* 1. *l.* 1. *D. de naut. fœn.* Nec adverſatur *l.* 3. *C. eod.*

20. Finitur fœnus nauticum cum modis ſuperius enumeratis, tum finito periculo, quod quis receperat vel ad certam diem *l. trajectitiæ* 23. *D. de O. & A. l. fœnerator* 6. *D. de naut. fœn.* vel ad certum

portum, vel ad certam conditionem, vel uſque ad reditum. *d.l.* 122. §. *Callimachus D. de V.O. & l.* 1. *& l.ult. D. de naut.fœn.* Neque vero dubitandum finiri duplo, cum certam habeat taxationem *ex d.l.* 26. § *in trajectitiis C. de uſur. l.*4. §. 1. *D. de naut. fœn. Hotom. d. diſput. cap.* 10. Cujac. *in parat. C. de naut fœn. Borch. de uſur. cap. ult. n.* 3.

DISPUTATIO TRIGESIMA SEXTA,

DE

Uſuris & Fructibus & Cauſa.

Reſp. CORNELIO BLYENBURGH.

1. EGimus de Fœnore; adjiciamus aliquid de uſuris quæ judicio bonæ fidei debentur. Hæ ſimiliter in quantitate duntaxat conſiſtunt; nec debentur niſi quantitatis nomine *l.* 1. § *ult. junct. l. videamus* 19. *D. de uſur. l. cum in rem* 64. *D. de rei vind.* Taxatio quoque ferè eadem eſt quæ fœnoris *l. eos* 26. §. *ſuper cæteris C. h. tit.* Sed cauſæ debendi differunt.

2. Uſuræ enim in bonæ fidei contractibus etiam ex pacto debentur, dummodo initio contractui adjectum ſit *l.* 5. *C. n. de pact. int. emt. & vend. l. ultra modum* 15. *C de act. emt. l. cum quidam* 17. §. *ex locato D. h. tit. l. Lu-*

Lucius 24. *in fin.l.Publia* 26. §. 1.*D.Depoſ. l. qui negotia* 34.*pr.D.mand.*

3. Si pactum interpoſitum non ſit, veniunt ex mora per officium judicis. Tantundem enim valet in bonæ fidei negotiis officium judicis, quantum in ſtrictis nominatim ejus rei facta mentio *l. qui per colluſionem* 49.§. 1. *D. de act.emt.l.ſocium qui* 60. *D.pro Soc. l.qui ſine uſuris* 38.*D.de neg.geſt. l.* 2. *C.depoſ l. quæro* 54. *D.locat. l.cum quidam* 17. §. *ex locato l. mora* 32. §. *in bonæ fidei judiciis D.h.tit.* Idque non ſolum in directis, ſed & contrariis actionibus obtinet. *l.& in contraria* 37.*D.eod.*

4. Debentur autem uſuræ ex mora uſque ad ſententiam: quadrimeſtre enim tempus, quod judicatis humanitatis cauſâ indulgetur, à dependendis uſuris immune eſt *l.in bonæ fidei* 13.*C.h.tit.l.ult.verſ.ſi enim novatur. C.de uſur. rei jud.* Sed ſi intra hoc tempus non ſatisfecerit judicato debitor, exinde uſuras centeſimas præſtabit ſortis duntaxat, non etiam uſurarum in condemnationem deductarum *d.l.ult.*Quod ſi appellatio interpoſita fuerit,non debentur interim uſuræ, ſi non fruſtrandi animo, ſed bonâ fide interpoſita fuerit. *l. tutor.* 41.*pr. D.h.tit.* Nec obſtat *l. negotiorum* 24. *D. de appel. Cuj. in d. l.* 41. *Hotom. in epit. h. n.*13.

5. Centeſimas uſuras etiam præſtant illi

qui pecunias publicas vel privatas, quas adminiſtrabant, in uſus ſuos converterunt *l. 1. C. de uſur. pupil. l. qui ſine 38. D. de negot. geſt. l. tutor 7. §. quæ autem l. non exiſtimo 54. D. de admin. tut.* Nec adverſatur *l. idemque 10. §. ſi procurator D. mand. Rauchb. part. 2. quæſt. 26. n. 23. Pac. cent. 2. antin. 65. Monta. de tutel. cap. 39. n. 16. & 17.* Sed an ſublatum id ſit per *d. l. eas. 26. §. 1. & ſeqq. C. h. tit.* non immerito dubitatur. Et licet Rauchbarus *d. loc. n. 27. & ſeqq.* Giphanius *in d. l. 26.* Hotom. *in epit. n. 30. & 31.* id affirment, nobis tamen veriſimile non videtur. Cujac. *ad tit. C. de uſur. pupil.*

6. Si liberalitas in rempublicam collata fuerit, an perinde, ac ſi bonæ-fidei eſſet pollicitatio, ex mora uſuræ debentur? Negat *l. liberalitatis 16. pr. D. h. tit.* Cui non contrariatur *l. 17. §. ult. D. eod. l. 5. D. de oper publ.* Vide *Duar. ad. tit. de uſur. cap. 3. in fin. Donel. in l. 3. n. 6. C. eod.*

7. Fundum creditori pignori dedi, eâ lege, ut fructus percipiat pro uſuris pecuniæ creditæ: an conventio obſervat legitimum modum uſurarum? Non obſervat *l. ex prædiis 11. l. ſi ea pactione 14. l. ſi ea lege. 17. C. h. tit.* Nec obeſt *l. 2. C. de part. pign. l. 1. 2. 3. ult. C. de pign. act. l. Si domum 9. C. de pign. & hyp. l. cum debitor 8. D. In quib. cauſ. pign. vel hyp. tac. contr.* Vide *Cujac. 3. obſ. 35. & 8. obſ. 17. Hotom.*

in

in epit. h. n. 36. & 1. obſ. 4. Donel. ad. l. 1. n. 4. C. de pign. act. Duar. h. cap. 1. Rau. hb. 1. quæſt. 20. n. 38.

8. Deberi deſinunt uſuræ ex bonæ fidei contractu debitæ, cum modis ſuperiore diſputatione enumeratis, tum ſolutione ſortis *arg l. 4. C. depoſ. l. qui per colluſionem 49. §. ult. D. de act. empt. l. in bonæ fidei 13. C. h. tit. Cuj. tract. 2. ad Afric. in l. centum D. Quod cert. loc.* Antichreſis verò etiam ſolâ oblatione debiti diſſolvi videtur. *l. ex prædiis 11. C. de uſur. Bors h. de uſur. c. ult. n. 22.*

9. Tantum de uſuris: ſequitur fructus. Fructus propriè reditus eſt, qui naſcitur ex terra, vite, arbore, animalibus. Sed vicem fructuum obtinent illi reditus, qui ex corpore quidem non naſcuntur, proveniunt tamen accedente aliquâ obligatione: veluti mercedes & vecturæ, &c. quæ quia jure magis quam natura proveniunt, fructus civiles appellantur. *l. videamus 19. l. uſuræ 34. l. prædiorum 36. D. h. tit. l. mercedes 29. D. de hæred. petit. l. ſi navis 62. D. de rei vind. l. uſura 121. D. de V. S.* Partus vero ancillæ in fructu non eſt, quia natura omnes fructus hominis gratia comparavit. *l. in pecudum 28. D. h. tit. §. in pecudum Inst. de rer. diviſ.*

10. Debentur autem fructus in bonæ fidei judiciis ex mora *l. uſuræ 34. l. videamus 38. §. Si actionem D. h. tit l. 3. C. In quib.*

N. 7. cauſ.

cauſ. in int. reſt. neceſ. In ſtrictis vero ex die litis conteſtatæ *l.* 3. §. 1. *d. l. videamus D. h. tit. l. ſi homo* 8. *D. de re jud. l. cum fundus* 31. *D. de reb. cred. Duar. ad h. tit. cap. Qui fruct. ven. in reſtit. Bar.* 4. *manual. tit. de uſur.* Diſſ. *Cujac. in l.* 2. *D. h. tit. lib.* 6. *Quæſt. Papin. Hotom. in epit. h. n.* 49. *qui putant fructus in bonæ fidei judiciis omnimodo præſtandos eſſe.*

11. In arbitrariis quoque fructus ex mora præſtandos verius eſt *l.* 3. §. 1. *l. videamus* 38. §. *item ſi vi &* §. *in Faviana D. h. tit. l. ſed & partus* 12. *l.* 14. §. *quadruplatur D. Quod met. cauſ. Baro d. loc. Cuj. ad l.* 3. *D. h. tit. lib.* 20. *Quæſt. Papin.*

12. Præſtandi autem ſunt fructus vel uſque ad ſententiam, vel uſque ad diem ſolutionis. Ad ſententiam uſque, ſi non ante moram fecerit reus: tum enim tempus poſt rem judicatam à dependendis fructibus immune eſt. Ad diem ſolutionis, ſi ante ſententiam reus in mora fuerit, *l.* 3. *pr. &* §. 1. *D. h. tit. l. fructus* 33. *D. de rei vind.*

13. Et quidem ſi poſt litem conteſtatam fructus percepti ſint, condemnabitur reus ad eorum reſtitutionem, etſi nominatim non ſint petiti. Percepti vero ante litis conteſtationem non veniunt in judicium, niſi nominatim petantur. *l.* 2. *C. de fruct. & lit. expenſ. l. preterea* 20. *D. d. rei vind. l. illud quoque* 40. *D. de hered. petit. l. ædiles* 25. §. *ſciendum eſt D. de ædil. ed. l. & puto* 16. §.

id

id quod amnis D. famil. erciſc. l. 2. l. partum 10. *D. h. tit. l. ſi fundus* 16. §. *interdum D. de pign. & hyp. Donel.* 26. *com.* 4. *Coſtal. in d. l. ædiles. Mornac. in l.* 4. §. 1. *D. ſi ſerv. vind.*

14. In fructus fructuum perceptorum non fit condemnatio: ſicut nec in uſuras fructuum *l. neque* 15. *D. h. tit. l. heres* 51 §. 1. *D. de hered. petit. l. eum qui* 18. *D. de his quæ ut indig. auf.* Nec adverſantur *l. equis* 8. *l. equis* 39. *D. h. tit. d. l. heres* §. *ult.* Cujac. *in d. l.* 8. *lib.* 7. *reſponſ. Papin. Hotom. in epit. h. tit. n.* 25.

15. Si peremta deſertave inſtantia ſit, dein lis inſtaurata, non debet fieri condemnatio fructuum ex die primæ litis conteſtationis, ſed ex die ſecundæ. *Rebuf. de fruct. & eor. reſtit. art.* 1. *n.* 39. & 40. *Argentr. ad conſ. Britan. art.* 266. *de interrup. præſcr. cap.* 8. *n.* 12. *Tiraq. de retract. gentil.* §. 15. *gloſ.* 2. *n.* 19. *Balb. de præſcr.* 4. *part. ſextæ princ. queſt.* 1. *n.* 45. *poſt. Glos. & Joan. Fabr. in l.* 2. *C. de fruct. & lit. expenſ.* Contrarium tenent *Cyn. Bartol. Bald. Alber Angel. Caſtr. in ead. l.* 2. *Menoch. remed.* 15. *recup. poſ. n.* 596. *Copus* 2. *de fruct.* 4. *cap.* 5. *Fach.* 1. *contr.* 60. Nos priorem ſententiam ita probabimus, ſi non culpa rei ſed actoris peremta fuerit inſtantia *arg. l. ult. C. de præſcr.* 30. *vel* 40. *an.*

16. Si quis ſtipulatus ſit vacuam poſſeſſionem ſibi dari quæſitum an in fructus quo-

quoque condemnandus ſit promiſſor, poſt interpoſitam ſtipulationem captos? Et Papinianus quidem affirmat *l. 4. D. h. tit.* Negat Pomponius *in l. 3. §. 1. D. de act. emt.* Hic alterum ſequi poſſis: de utroque conciliando fruſtra laboratur. Vide *Cujac. 18. obſ. 3. & tract. 7. ad Afric. in l. 37. de uſur. Duar. d. loc. Donel. in l. in conventionalibus 52. §. 2. D. de V. O. Char. 3. veriſ. 12. Pac. cent. 5. ant. 40.*

17. Fructus nomine continetur, quod deductis juſtis ſumtibus ſupereſt *l. 1. C. de fruct. & lit. expenſ.* Hæc regula non ſolum in bonæ, ſed & malæ fidei poſſeſſoris perſona locum habet. *l. ſi domino 36. §. ult. & ll ſeqq. D. de hered. petit. l. ſumtus 48. D. de rei vind. l. fundus 51. D. famil. erciſc. l. quod in fructus 46. D. h. tit.* Neque ſolum in fructibus ante, ſed & poſt litis conteſtationem perceptis *d. l. ſumtus & l. emtor 65. D. de rei vind.* Quid ſi conſumti vel uſu capti ſint? Verius eſt hos quoque cum ſumtibus compenſandos. *Barboſ. ad l. divortio 8. §. fin. D. Sol. matr. n. 41. & 42. Donel. 20. com. 7. Fab. in ration. ad d. l. ſumtus & dec. 26. err. 8. Sand. 3. tit. 15. def. 2.*

18. Quid ſi ex ipſa melioratione fructus percepti ſint, an cum ſumtibus compenſandi ſunt? Ita videtur *Barboſ. d. loc. n. 49. & ſeqq. Covar. 1. reſol. 3. n. 4. Molin. ad conſ. Pariſ. §. 1. gloſ. 5. n. 85. & 86. Menoch.*

d. re-

d. remed. 15. *n.* 6. *Hart. Piſt.* 4. *quæſt.* 28. *n.* 5. *Sand. d. tit.* 15. *def.* 3. Diſſ. *Garſ. de expenſ. cap.* 23. *n.* 56. *Munn.* 2 *de ratiocin.* 13. *Afſl. dec.* 87. *Gam. dec.* 364.

19. Diviſionem fructuum naturalium ab induſtrialibus tam in realibus, quam perſonalibus judiciis rejicimus. *l. bonæ fidei* 48. *D. de adq. rer. dom. l. qui ſcit* 25. *D. h. tit. l. certum eſt* 22. *C. de rei vind. §. etſi in rem Inſt. de off. jud. Rebuſ. d. art.* 1. *gloſ.* 1. *n.* 37. *Mornac. ad d. l.* 25. §. 1. *de uſur. Hart. Piſt.* 4. *quæſt.* 26. *n.* 14. *& ſeqq. Gov.* 2. *var. lect.* 15. *Donel.* 4. *com.* 25. *Fab.* 4. *conject.* 17. Diſſ. *Cujac. d. tract.* 7. *ad Afric. Duar tit. de uſur. cap. Qui fruct. ven. in reſtit. Hotom. in epit. h. n.* 48. *Pac.* 5. *antin.* 45.

20. Cauſæ verbum latius acceptum fructus complectitur: ſtrictius eſt omnis rei utilitas & qualitas, quæ in re eſt; ut bonitas, ſalubritas, immunitas, libertas, partus, fœtus ſecundus. *d. l. equis* 8. *& l. partum* 10. *l. equis* 39. *D. h. tit. l. reſtituere* 35. *D. de V. S. l. Julianus* 17. §. 1. *l. præterea* 20. *D. de rei vind.* Hæc ſimiliter in ſtrictis quidem judiciis poſt litem conteſtatam venit; in bonæ fidei, à tempore moræ. *dd. ll.* Cujac. *in l.* 2. *D. h. tit. Hotom. h. in epit. n.* 51.

DISPU-

DISPUTATIO TRIGESIMA SEPTIMA,

DE

EO QUOD INTEREST.

Reſp. CASPARO FAGEL, *Haga-Batav,*

1. INtereſſe nihil aliud eſt, quam utilitas amiſſa, vel damnum illatum dolo vel culpa adverſarii, quod officio judicis taxandum eſt juxta vulgatam formulam: Quantum mihi abeſt, quantumque lucrari potui: *l.* 2. *l. tutor* 8. *D. de in lit. jur. l. Julianus* 9. §. *ult. & l. pen. D. ad Exhib. l. ſi commiſſa* 13. *D. rem. rat. hab. l. ult. D. de prat. ſtipul. l. ſi fundus* 33. §. *nam etſi colonus D. locat.*

2. Hæc definitio excludit primò intereſſe finitum: tametſi enim à multis dividatur in finitum & infinitum ſeu incertum: *Hotom. diſput. de eo quod inter. cap.* 2. *n.* 6. *Rebuf. in ſchem.* tamen finitum ſeu pœna non eſt ſpecies ejus quod intereſt, cum pœnam ſtipuletur & ille cujus nihil intereſt. §. *alteri Inſt. de inut ſtipulat. Molin in tract. de eo quod inter. n* 17. *& ſeq. Donel.* 26. *com.* 15.

3. Secundò, excludit hæc definitio diviſionem intereſſe in commune & ſingula-

re.

re. Ratio enim ejus quod intereſt ad affectionem communem redigenda eſt: non ad ſingularem. Certè nec amoris, nec honoris, nec pudoris, nec mœroris, nec ultionis intereſſe ullum hic admittimus, *l ſi ſervum* 33. *D. ad leg. Aquil. l. ult D. de his qui dejec. vel effud. l. pretia* 63. *D. ad leg. Aquil. Donel. d. cap.* 15. *Molin d. tract. n.* 14. & 17. *Alciat. ad l. un. C. de eo quod inter. cap.* 6. *n.* 13. *Giph. in d. l un. pag.* 259. Adde *Baron.* 4. *de divid. & individ. oblig. cap.* 6.

4. Tertiò rejicimus hâc definitione diviſionem ejus quod intereſt in intrinſecum & extrinſecum: Intrinſecum enim, veluti fructus, partus, & ſimilia non ſunt ſpecies intereſſe. Relinquitur ergò, ut intereſſe omne potius extrinſecum quam intrinſecum ſit. *l. inter hæc verba* 179. *l. hæc verba* 193. *D. de V. S. d l. ſi commiſſa* 13. *D. rem rat. hab. l. in furti actione* 50. *D. de furt. l.* 4. §. *hæc autem actio D. vi bon. rapt. l.* 1. *l ſi jactum* 12. *D. de act. emt. l. evicta re* 70. *D. de Evict. Molin d. tract. n.* 13. Non tamen nego, quin alio ſenſu etiam intrinſecum intereſſe dici poſſit. Vide *Alciat. d. tract. cap.* 7. *Giph. in d. l. un.*

5. Illud nihilominus verum eſt, utilitatem quam intereſſe vocamus, debere eſſe in re principali, vel circa rem: commentitiæ enim & longius quæſitæ utilitatis non eſt habenda ratio *l. un. verſ. ut hoc quod revera C.*

de

de ſent. quæ pro eo quod inter. prof. l. pen. D. ad Exhib. l. interdum 49. *D. de furt.* Ut ſi dicas inſulam, quam non ædificavit promiſſor, donaturum te fuiſſe principi: aut ſi cautionem exigas à promiſſore, quod dicas poſſe eum labi facultatibus, aut mercator dicat, non ſoluta à te pecunia labefactatam eſſe fidem ſuam: &c, Cujac *in par. C. d. tit. Donel.* 26. *com.* 23.

6. Inde quæſitum, an audiendus emtor, qui dicit, traditis mercibus potuiſſe ſe negotiari, & grande lucrum facere? Negat Paulus *l. ſi ſterilis* 21. §. *cum per venditorem D. de act. emt.* & Hermogenianus *in l. ult. D. de peric. & com. rei vend.* Affirmat Ulpianus *in l. 2* §. *nunc de officio in fin. D. de cond. quod cert. loc.* Nullum hic diſſidium eſt. *Molin. d. tract. n.* 96. *& ſeqq. Donel. ad d.* §. *nunc de officio n.* 8. *&* 9. *& d. cap.* 23. *Coraſ.* 3. *miſcel.* 13. *Coſtal. ad d. l. ult. D. de peric. & com. rei vend. Menoch.* 2. *arb. caſ.* 119. *n.* 25. *Alciat. d. tract. cap.* 9. *n.* 16. *& ſeq.*

7. Quæſitum etiam de damno, ſi emtor queratur, tritico non tradito familiam ſuam fame periiſſe, an ſit peremtæ familiæ habenda ratio? Negat idem Paulus in *d. l.* 21. §. *cum per venditorem D. de act. emt.* Nec adverſatur *l. Julianus* 13. *pr. D eod. verſ. ſi verò ſciens. l. ſed addes* 19. §. 1. *D. locat. l.* 2. §. *ult. verſ. quid enim, D. Quod cert. loc.* Cujac

jac. *in d.* §. *cum per venditorem. Molin. d. tract. n.* 54. *&* 55. *Donell.* 26. *com.* 23. *Hotom. d. tract. n.* 10. 11. *&* 12. *& cap.* 4. *n.* 14. *&* 15. *Baro.* 4. *de divid. & individ.* 7.

8. Fingamus intereſſe quidem, ſed ex cauſa inhoneſta: an hujus utilitatis habenda eſt ratio? Non eſt: *l. tum is* 11. *l. itaque* 12. §. 1. *l. qui re* 76. §. 1. *D. de furt. l. ſi gratuitam* 17. §. *ult. D. de præſc. verb. l. de uſuris.* 27. §. 1. *C. de uſur. l. ſi procurat. rem* 8. §. *mandati actio* 6. *junct. l. ſi mandavero* 22. §. *qui ædem* 6. *D. mand. Donell. in d.* §. *nunc de officion.* 8. *& d. cap.* 23. *Alciat. d. tract. cap. ult.*

19. Quantum ad æſtimationem ejus quod intereſt, diſtinguit Imp. *in d. l. un.* caſus certos ab incertis. Certos vocat, in quibus certa continetur quantitas, vel natura. Incertos contra, in quibus neutrum. De quorum verborum intellectu digladiantur interpretes cum veteres, tum recentiores. In univerſum autem duodecim opiniones refert & refutat Molinæus *d. tract. n.* 21. *& ſeqq.* Nos cum eodem Molinæo *n.* 42. *& ſeqq.* Donel. 26, *com.* 17. per certam naturam intelligimus non ſolum certam ſpeciem, ſed & genus, veluti hominem: & factum, cujus ex conventione contrahentium certa æſtimatio haberi poteſt. *arg. d. leg. un. verb.*

un. verb in locationibus. Diſſ. quantum ad genera *Alciat. d. tract. cap. 2. n.* 16. *Giphan. in d. l. un. pag.* 261. *Baro* 4 *de divid. & indiv.* 5.

10. Hoc ampliùs ſi ſpecies debeatur ex alternativa obligatione, veluti Stichus aut Pamphilus, caſus nobis certus erit: non obſtante *l ubi* 75. § *qui illud aut illud D. de V. O. Donel. d. cap.* 17 *Molin. d. tract. n.* 43. Sed etſi uſusfructus certi fundi in obligatione ſit, caſus certus erit. *Molin. d. loc. n.* 75. nec rectè hoc judici definiendum reliquit *Baro d. loc.*

11. Incerti caſus ſunt, cum factum conventione contrahentium non definitum, eſt in obligatione. *l. ſi quis ab alio* 13. *in fin. D. de re jud. l.* 2. *§. ult. Qui ſatiſd. cog.* cum poſſeſſio *l. pen. §. ult. D. ut. poſſid. l.* 1. *§. ex die D. de vi & vi arm.* Item ſi agatur de reſtitutione operis *l. ſemper* 15. *§. hoc interdicto D. Quod vi aut clam. l. ſi tertius* 6. *§. ult. D. de aq. & aq. pluv. arc.* aut de cautione præſtanda *d. l. ſi quis ab alio pr.* Cujac. *in par. C. h.* Confer *Donell.* 26. *com.* 18. *Hotom d. tract. n.* 13. *&* 14.

12. In certis caſibus ita æſtimandum eſt id quod intereſt, ut ne excedat duplum rei principalis: in caſibus incertis judex æſtimabit, quantum in veritate interſit, & in dubio inclinabit in minoris ſummæ condemnationem. Ita Imp. loquitur *d. l. un.*

C. de

C. de ſent. quæ pro eo quod inter. profer. neque veriſimile eſt, cum ſcripto pugnare ſententiam.

13. Vehementer tamen premi videtur hæc definitio iſto argumento: Victor vaſa, faber tignum, paſtor ovem vitioſam vendidit: periit vinum, domus, grex: an non abſurdum, æſtimationem damni non excedere duplum vaſis, tigni, ovis? *d. l. ſed addes* 19 §. 1. *D. locat. l. tenetur* 6. §. *ſi vas* 4. *l. Julianus* 13. *pr. D. de act. emt.* Hujus argumenti pondere impulſus Hotomannus prætulit ineptam Martini Coſiæ interpretationem *in Epit. de uſur. n.* 55. licet conſtitutioni Juſtinianeæ non eſſe accommodatam fateatur. Verùm non rectè, cum ſuperior objectio commodè removeri atque diſſolvi poſſit. *Donell.* 26. *com.* 19. *Molin. d tract. n.* 48. *& ſeqq.*

14. In eodem exemplo illud quoque controverſum eſt, utrum ille duntaxat teneatur in omne quod intereſt, qui ſciens vendidit vas vitioſum, tignum, ovem, an & qui ignorans? Julianus & Ulpianus ſcientem duntaxat teneri dicunt *in d. l.* 13. Utrumque vero Labeo & Pomponius *in d. l.* 6. Caſſius & Ulpianus *in d. l.* 19. Hæc quoque difficultas commodâ ratione tolli poterit. *Molin. d. tract. n.* 49. *&* 55.

15. Cumque obſtantia commodè removeri poſſint, non videntur illi audiendi, qu

qui hanc definitionem Juſtiniani tanquam ineptam damnant. Inter quos Steph. Forcatulus *dial.* 41. dum rationem ejus quod intereſt, commodius iniri poſſe putat *ex l. in fundo* 38. *D. de rei vind.* ineptum ipſe ſe prodit, meritòque eo nomine reprehenſus eſt à Molinæo *d. tract. n.* 58.

16. Videamus an finitio illa dupli pertineat etiam ad delicta? Et licet ex veteribus Accurſius, Bartol. & Salicetus, ex recentioribus Baro *in tract. de divid. & indiv.* 4. *cap.* 4. & 5. 8. fuerint in ea ſententia; verius tamen eſt, hanc legem ad contractus duntaxat, non etiam ad delicta pertinere. *l.* 1. *§. non ſolùm* 41. *D. de vi. l.* 23. *ad leg. Aquil. Alciat. in d. l. un. cap.* 9. *n.* 8. *& cap.* 10. *Molin. d. tract. n.* 154. *& ſeqq. Giph. in d. l. ün. pag.* 264. Quod autem idem Molinæus, *d. loc.* Cujacius *ad l. & cum fortè* 44. *D. de act. emt. tract.* 8. *ad Afric.* & Donellus *d. cap.* 19. *Giph. d. loc.* tradiderunt, etſi in contractu dolus adverſarii verſetur, ceſſare taxationem dupli; id culpare non auſim. *d. l.* 6. *§. ſi vas, d. l. Julianus* 13. *pr. l. idque* 45. *D. de act. emt. l.* 19. *§.* 1. *D. locat.* Confer *Hotom. d. tract. cap.* 4. *n.* 16. *&* 17. *Alciat. d. tract. cap.* 5. *n.* 6. *&* 7. *& cap.* 9. *n.* 19.

17. An pertinet ad pœnas conventionales? Hac de re quatuor diverſas opiniones enarrat Molinæus *d. tract. n.* 159. Ex quibus peſſimam vocat quartam Azonis, qui

qui id ſinè diſtinctione negavit. Nobis verò ea optima videtur: nec quicquam ſolidi videmus reſpondiſſe Molinæum, ad fundamenta iſtius ſententiæ. Certè dupli fine nequaquam coercendæ ſunt *l. ſi dictum* 56. *D. de Evict. l ſi curator* 5. *D. de jur. fiſc. l. ult. in fin. C. de Sponſal. l. ſtipulatio iſta* 38. §. *alteri D. de V. O. Rebuf. d. l. un. n.* 546. & *ſeqq.* Cujac. *in d. l.* 44. & 16. *obſ.* 34. *Donell.* 26. *com.* 24. *Fab.* 2. *conj.* 3. *à pr. Imb. in enchir. verb. pœna conventionalis.* Diſſ. præter *Molin. Hotom. d. diſp. cap.* 4. *n.* 13. *Alciat. d. tract. cap.* 11. *n.* 4. *Giph. in d. l. un. cap.* 263. & 264. *Menoch.* 2. *arb. caſ.* 260. *n.* 16. & *ſeqq.* Aliter *Gomeſ. ad leg. Taur:* 68. *n.* 4.

18. An ad eas cauſas, in quibus actori, propter contumaciam rei, juramentum in litem defertur, ita ut ultra duplum jurare non liceat? Minimè: verbum enim nullum eſt *in d. l. un.* unde id colligi poſſit: & contrarium non obſcurè indicatur *l.* 4. §. *jurare D. de in lit. jur. l. qui reſtituere* 68. *D. de R. V. l. non ab judice* 64. *D. de jud. Alciat. ad d. l. un. cap.* 6. *n.* 20. & *ſeqq. Donell. ad d. l.* 4. *n.* 3. *Duar. ad tit. D. de in lit. jur. n.* 27. & 28. Diſſ. *Bart.* & *com. Dd. ad d. tit.* & *d. l. un. Coſtal. ad d. l.* §. *deferre.*

19. De tempore etiam videndum, cujus in taxando eo quod intereſt ratio ha-

beri debeat? Veriſimile eſt, ſi diem vel conditionem habuerit contractus, ſpectandum eum diem, quo noviſſimè ſolvi fieri potuit, *l. ſi Kalendis* 11. *D. de re jud. l. qui autem* 12. §. *D. Si quis caut. jud. ſiſt. cauſ. fact. non obtemp. junct. l quoties* 59. *& l. ſeq. D. de V. O. Molin. d. tract. n.* 72. Conf. *Alciat. d. tract. cap.* 8. Sin minus, in ſtrictis plerumque tempus quo petitur: in bonæ fidei judiciis tempus rei judicandæ ſpectari arg. *l. vinum* 22. *D. de reb. cred. l. ult. D. de cond. tritic. l.* 3. §. *in hac D. commod. l.* 3. §. *pen. & ult. d. l. ſi ſterilis* 21. §. *cum per venditorem D. de act. emt. l. hominem* 37. *D. mand. Alciat. d. tract. cap.* 8. *Molin. d. tract. n.* 72.

20. Id quod intereſt, ejus quod intereſt, non magis videtur peti poſſe, quam uſura uſuræ, aut pœna pœnæ. *l. neque* 15. *D. de uſur. l. ut nullo modo* 28. *C. cod. junct. l. Julianus* 13. §. *ibidem Papinianus* 26. *l. ſi ſterilis* 21. §. *cùm per venditorem D. de act. emt. l. ult. D. de peric. & com. rei vend.* Et licet Menochius 2. *arb. caſ.* 119. *n.* 18. *& ſeqq.* admittat intereſſe ſecundum, ſi & debitor in mora fuerit; & creditor ſolitus ſit negotiari, & propter moram debitoris decollarit probabilis lucri ſpes: temperamentum tamen ejus nequaquam admittimus.

DISP. [illegible]

DISPUTATIO TRIGESIMA OCTAVA,

DE

POENA.

Reſp. PETRUS VERSCHUER *Roterodamo-Batav.*

POEna nihil aliud eſt, quam res, vel quantitas certa, promiſſa in caſum, ſi factum non fuerit, quod fieri debuit, vel contra factum fuerit, quod fieri non debuit. Differt igitur ab úſuris & eo quod intereſt. Uſuræ tantum in quantitate conſiſtunt, & quantitatis nomine debentur. Pœna etiam in corpore. Intereſſe conſiſtit in quantitate incerta. Pœna incertam non admittit. *§.ult. Inſt. de Verb. Oblig. l. ſtipulatio iſta* 38. *§. alteri D. eod. l. ult. D. de præt. ſtipul. l. cum pœna* 38. *D. de recept.*

2. De hujus acceſſionis magnitudine primùm quæritur, quantam ſtipulari contrahentes poſſint? Alii cenſent, non niſi duplum ſtipulari eos poſſe. *Molin. tract. de eo quod inter. n.* 159. *Hotom. in diſput. cap.* 4. *n.* 13. *Alc. in com. ad l. un. C. de ſent. quæ pro eo quod inter. prof. cap.* 11. *n. l.* 4. *Giph. ad eand. Menoch.* 2. *arb. caſ.* 260. *n.* 16. *& ſeqq.* Alii non ultra quadruplum *Fab.* 2. *conject.* 3.

Imb. in enchir. verb. pœna conventionalis. Rectius alii, neque duplo, neque quadruplo ſtipulationem pœnalem cœrceri. *Azo in ſum. C. d. tit. n.* 11. *Rebuf. ad d. l. un. n.* 546. *&* *ſeqq.* Cujac. 16. *obſ.* 34. *Donel.* 26. *com.* 24. *l. ſi dictum* 56. *de Evict. l.* 5. *de jur. fiſc.*

2. Deinde quæritur, ſibi ne duntaxat contrahentes pœnam ſtipulari poſſint, an & tertio? Verius eſt ſibi tantum, non etjam tertio ſtipulari poſſe. *arg. d. l.* 38. §. *alteri D. de V. O. l.* 1. *C. Per quas perſ. nob. acq. l. ſolutum* 11. §. *per liberam D. de pign. act. l. pen. C. Si manc. ita ſuer. alien.* Si tamen eccleſiæ vel ptochotrophio ſtipuleris, utilis ex ea ſtipulatione actio danda videtur eccleſiæ *arg. d. l.* 38. §. *ult. l. Gajus* 45. *D. Sol. matr. l. ſunt perſonæ* 43. *D. de relig. & ſum. fun. Bald. ad l. illud C. de SS. Eccleſ. Zaſ in d.* §. *alteri n.* 23. *Alc. in d. l.* 38. §. *ult. n.* 6 *&* 7.

4. Pœnalis ſtipulatio principalem non novat *l. prædia* 28. *l. Titius* 47. *D. de act. emt. l. ſi quis à ſocio* 41. *& l. ſeq l. duo* 71. *D. pro ſoc. l. qui Romæ* 122. §. *Flavius D. de V. O. Zaſ. Duar. Cuj. in l. ita ſtipulatus* 115. *D. eod. Hotom. ill. quæſt.* 10. Nec tamen utrumque ſtipulator conſequi poteſt, & rem, & pœnam, ſed alterutro contentus eſſe debet *l. pacto* 15. *& l. ſeq. D. de tranſact. l. ſi quis rem* 30. *D. de recept. d. l.* 41.

41. & ſeq. *D. pro ſoc. d. l.* 28. *de act. emt. Coſtal. ibid. Hotom. d. quaeſt.* 10. *Alc.* 5. *parad.* 10. *Duar. de tranſact. cap. ult.* Cujac. *ad l. qui Romae* 122. §. *ult. D. de V. O.*

5. Summam adhibuit diligentiam promiſſor, ut efficeret quod promiſerat: non reſpondit eventus; an excuſatur à pœna? Non videtur excuſari *l.* 2. §. *ex his igitur in fin. l. illa* 67. §. 1. *l. continuus* 137. §. *illud inſpiciendum D. de V. O. l. ſi fundus* 16. §. *ſed ſi velit D. de pignor. & hyp.* Cujac. *ad l.* 38. *pr. D. de V. O. Donel. in l.* 38. *in fin. D. eod.* Impedimentum ſanè quod praevideri & cogitari potuit, minimè excuſat. *Jaſ. in d. l.* 38. *n.* 11. *Zaſ. ibid. n.* 22. *Alc. in l. ult. D. de reb. cred Mant.* 14. *tit.* 37. *n.* 30.

6. Si promiſſor pro parte duntaxat fecit, quod facere debuit, pœna utrum in ſolidum, an pro parte committitur? Multi plaudunt vulgatae diſtinctioni; ut in dividuis pro parte committatur, in individuis in ſolidum, *arg l.* 2. 3. & 4. *l ſtipulationes non dividuntur* 72. *D. de V. O. Surd. deciſ.* 7. *n.* 36. & *deciſ.* 260. *n.* 22. *Coſtal. ad l.* 20. *in fin. D. Famil. erciſc. Zaſ. in d. l.* 4. §. *Cato. n.* 74 *Coſta de quot. & rat quaeſt.* 77. *n.* 8. *Sanxo. ad Turon. conſuet. tit.* 15. §. 2. *Mantic.* 14. *tit.* 37 *n.* 34. Verùm reclamat *d. l.* 2. §. *ult. verſ. nam ſi pœna d. l.* 3. §. 1. *d. l.* 4. §. *ult. verſ. hac utilitatis l.* 5. §. *ſi ſortem l. in executione* 85. §. *pen. D. eod. l. heredes* 25. §.

O 3 idem

idem juris eſt 13. *& ſeq. D. famil. erciſc. Donel. in d.* §. *ſi ſortem. n.* 3. *Duar. in d.* §. *ſi ſortem.* Adde Cujac. *in d. l.* 85.

7. Idem dicemus, ſi promiſſor pœnæ deceſſerit pluribus heredibus relictis, & unus ex his contra ſtipulationem fecerit; pœna non adverſus hunc ſolum, ſed adverſus omnes committitur. *d. ll. Donel. Duar. & Cuj. dd. loc.* Sed etſi duo promiſſores fuerint, qui pœnam promiſerunt, ſi quid factum non eſſet, altero peccante, alter quoque tenetur *arg. d. l.* 2 §. *idemque eſt in ipſo promiſſore.* Vide *Mantic. tit.* 37. *n.* 39.

8. Quid ſi ſtipulator pœnæ deceſſerit pluribus heredibus relictis? Adverſus ſingulos quidem pœna in ſolidum committitur, ſed agente eo adverſus quem peccatum non eſt, doli mali exceptio locum habet. *d. l.* 2. §. *ult.* Nec adverſatur *d. l. ſtipulatio iſta* 38. §. *alteri D. eod. tit. Cujac. Duar. Donel. in d.* §. *ult. Idem Donel. in d.* §. *alteri.*

9. Si ſtipulatio pœnalis de heredem loquatur, utrum de primo duntaxat herede, an & de heredis herede intelligenda eſt? Plerunque de primo duntaxat herede, non etjam heredibus heredum accipienda eſt: quia in odioſis voluntatem contrahentium reſtrictius interpretamur *c. odia de R. J. in* 6. *l. ſciendum eſt* 70. *D. de V. S. l. factum* 155. §. *ult. D. de R. J. Alciat. in l. heredis* 170. *D. eod. Dec. in d. l. factum n.* 5. *& in l.*

qui

qui per ſucceſsionem eod. tit. n. 5. poſt Bart. in l. mulcta D. de cond. & demonſtr. & Bald. in l. ult. C. de her. inſtit. quæſt. 23. Imb. in enchir. verb. heredis appellatione.

10. Ut pœnam vitemus, non eſt neceſſe ab ipſo promiſſore præſtari quod promiſſum eſt: ſufficit à tertio id factum eſſe *arg. l. ſolvendo 39. D. de negot. geſt. l. ſolvere 53. l. ſolutione 23. D. de Solut. l. cum ſervus 104. D de V. O. l. ult. C. Si mancip. ita ſuer. alien. Caſtr in d. l cum ſervus Zaſ. ibid. n. 9. Molin. de feud. §. 33. gloſ. 1. n. 152.* Multo igitur magis, ſi duo ſint promiſſores, vel duo promiſſoris heredes, alter præſtando utrumq; à pœna liberat. *Molin. de cenſib. §. 77. gl. n. 35.*

11. Si ſtipulator promiſſori diem faciendi operis prorogaverit, quæritur an pœna committatur? Committitur, ſi prorogaverit eo tempore, quo jam certum erat opus ante diem conventum fieri non poſſe *l. cum ſtipulatus 113. D. de V. O. ubi Zaſ. Duar. & reliqui in com.* Committitur tamen pœna non ſtatim, ubi certum eſt, opus ante diem conventum fieri non poſſe, ſed die convento exeunte. *l. 72. §. 1. D. eod. Duar d. loc.*

12. Fecit quis contra ſtipulationem, vel non fecit quod promiſerat: verum pœnitet hominem, paratuſque eſt emendare culpam: an eſt excuſandus à pœna? Minimè: ſufficit enim pœnam ſemel eſſe commiſſam *arg. l. Titia Sejo 87. §. 1. D. de leg. 2.*

l. 3. §. 1. *D. Quod vi aut clam.* Nec adverſatur *l. ſi inſulam* 84 *D. de V. O. l. amplius non peti* 15. *D. rem. rat. hab. Salic. in l. ſi quis major. C de tranſact. Coſtal. ad l.* 11. *D. de in jus voc. Zaſ. ibid. n.* 12. & 13.

13. Semelne pœna committitur, an & ſæpius committi poteſt? Semel *l. ſi duo* 34. §. 1. *D. de recept. l.* 5. §. *in hac ſtipulatione D. jud. ſolvi. l. ſi ita quis ſtipuletur* 63. *D. de V. O.* Imò ſæpius *l. ſi ſic ſtipulatus ſim* 133. *D. eod. l. ſi procurator* 18. *D. rem rat. haber. l.* 1. §. *habet. l.* 1. §. *habet autem D. Uſufr. quemad. cav. l.* 4. §. *hanc ſtipulationem D. rem pupil. vel adoleſc. ſalv. for. l.* 3. §. *pen. D. Si cui plus quam per leg. Falcid. lic.* Nulla hic antinomia eſt. *Coſtal. in d. l.* 34. *de recept. Alciat. Duar. Donel. in d. l.* 133. Aliter *Cujac. ad eand. leg.* & rectius quidem: difficile enim dictu eſt, ut hac parte interſit aliquid inter pœnam & id quod intereſt. *v. Mantic. tit.* 37. *n.* 16.

14. Illud nihilominus certum nobis eſt, pœnam pœnæ non poſſe deduci in ſtipulationem: non magis quam uſura uſuræ, aut intereſſe ejus quod intereſt *arg. l. neque* 15. *D. de uſur. l. ut nullo modo* 28. *C. eod. Peregr.* 6. *de jur. fiſc. tit.* 7. *n.* 31. Itaque rectè improbatur pœna ſucceſſiva & multiplicata: puta: Stipulor aureos x. pœnæ nomine, ſi reditus primis Kalendis ſolutus non fuerit. xx. ſi ſecundis: xxx. ſi tertiis, atque ita

dein-

deinceps. *Molin. de contr. uſur. quaeſt.* 25. *n.*237.

15. Ut poena committatur, an deſideratur interpellatio promiſſoris? Si diem certum habeat ſtipulatio, non eſt interpellatio neceſſaria, cum lapſu diei committatur poena, *l. in illa ſtipulatione* 8. *D. de V. O. l.* 2. *C. de jur. emphyt. l.* 2. *& ult. de naut. faen.* Sin minus, ſecernenda eſt duplex ſtipulatio à ſimplici. Si duplex ſit; veluti. *Pamphilum dare ſpondes? Si Pamphilum non dederis, C. dabis*: ſimul atque dari potuerit, neque datus fuerit, poena committitur. Sin ſimplex, à conditione incipiens; veluti: *Si Pamphilum non dederis C. dare ſpondes*: non ante committitur ſtipulatio quam Pamphilus deſierit poſſe dari. *l. ita ſtipulatus* 115. §. *item ſi quis ita D. de V. O.* Nec adverſatur §. *ult. ej. leg. Cujac. Duar. Donel. ibid.* Adde *Menoch.* 2. *arbitr. caſ.* 498.

16. Illud nihilominus verum eſſe videtur, quod Afflictus ſcripſit *deciſ.* 3. & Faber, *ad tit. C. Commin. epiſtol. program. def.* 2. exactionem poenae non ante fieri, quam judex declaraverit, poenam commiſſam eſſe: poſſunt enim juſtae cauſae in medio eſſe, ob quas poenae, licet commiſſae, exactio non ſit. *arg. l. ſi ita quis* 135. §. *Seja D. de V. O.* Adde *l.* 2. §. *ult. eod.*

17. In contentione creditorum, cum qui

potior eſt in ſorte, non eſſe potiorem in pœna, multi tradiderunt. *Caſtr. ad l. ideò D. de compenſat. Coſtal. ad l. 9 D de pecul. Caroc. part. 6. de locat. concl. 49. n. 4.* Quorum ſententia vera quidem eſt in pœnis delicto quæ ex delicto deſcendunt. *l. ſed ſi damnum 9. §. ſive autem ex contractu 6. D. de pecul. l. in ſumma 17. l. quod placuit 37. D. de jur. fiſc. l. un. C. pœn fiſcal. cred. præfer.* In conventionalibus verò falſa deprehenditur. *arg. l. grege. 13. §. ult. D. de pignor. & hypoth. l. ult. §. in computatione verb. confundantur & ib. gloſ. C. de jur. del. l. Lucius 18. D. Qui pot. in pign. l. ſi plures 9. §. ult. D. de pact. junct. l. cum ſtipulati ſumus 90. D. de V. O. l. Gajus 11. l. Sejus 12. D. de uſur. l. pen. D. de naut. fœn.*

18. Illud pœnis commune eſt, ut ſi vel principalis obligatio nulla fuerit. *l. ſi homo 69. de V. O Mantic. 14 tit. 37. n. 11.* vel ipſa pœna turpis fuerit nulla competat ſtipulatori actio *l. generaliter 26. & l. ſeq. D. de V. O. l. cum principalis 178. D. de R. J. l non dubium 5. C. de legib. l. 7. §. & generaliter D. de pact. junct. l. un. C. de his quæ pœn. nom.* Turpibus autem pœnis etiam obſtagium annumerandum videtur: utique ſi id habeat potandi legem: quâ lege olim Saxones uſos, teſtatur Colerus *2. proceſ. execut. 8. n. 88.* apertius Mollerus *3. ſemeſtr. 30. n. 7.*

19. In univerſum etiam pœnas reſtrictius interpretamur, ſive contractui bonæ fidei,

fidei, ſive ſtricti juris adjectæ ſint. *l. perſpiciendum* 11. *l. ſi præſes* 32. *l. pen. D. de pœn. l. factum* 155. §. *ult. D. de R. J. c. odia c. in pœnis de reg. jur. in* 6. *cum ſimil. Mantic.* 14. *tit* 37. *n.* 20. & 23. Excipiunt Dd. eccleſiam, cujus favore diſpoſitionem pœnalem extendendam putant. *Gloſ. in c. ſciant cuncti de elect. in* 6. *Abb. in c. nihil. eod. Dec. in d. l. factum* §. *ult. n.* 14. Quæ exceptio procedere quidem poterit in pœnis delictorum extraordinariis, in pœnis conventionalibus non æquè.

20. Itaque cum paſſim tradant Dd. hodiè ex æquitate canonica pœnam peti non poſſe, ſi nihil interſit. *Argentr. ad conſ. Brit. art.* 202. *gloſ.* 1. *n.* 2. *Imb. in enchir. verb. pœna conventionalis. Papon. lib.* 9. *tit.* 12. *arreſt.* 1. & *ſeqq. Afflict. deciſ.* 134. *n.* 3. *Mantic.* 14. *tit.* 37. *n.* 7. *diſt. n.* 45. Nemo tamen facile dixerit, eccleſiæ pœnam deberi, etſi nihil ejus interſit: cum non ſoleat eccleſia cum privatis ſummo jure experiri.

DISPUTATIO TRIGESIMA NONA,

DE

SOLUTIONE ET DEPOSITIONE.

Reſp. JACOBO à CULEMBURGH, *Ultraject.*

1. HAbuimus acceſſiones obligationum; ſuperſunt modi quibus obligationes tolluntur: ex quibus meritò primus locus datur ſolutioni Solutionis verbum & generis eſt, quamcunque liberationem ſignificans *l. ſolutionis verbum* 54. *D. h tit. l.* 47. *&* 176. *de V. S. l.* 4. §. *ſolviſſe D. de re jud.* & ſpeciei: quo ſenſu nihil eſt aliud, quam numeratio vel præſtatio ejus rei quæ debetur. *l. ſolutam* 49. *D. h. tit. pr. Inſt. Quib. mod. toll. oblig.*

2. Solvit non tantum debitor, qui alienandæ rei ſuæ poteſtatem habet, *l. quod ſi forte* 14. §. *ult. D. h. tit. l. ſucceſſores* 10. *C. eod.* §. *ult. Inſt. Quib. alien. lic.* ſed & procurator debitoris, & negotiorum geſtor *l. inquiſitio* 18. *C. h. tit. l. quæ utiliter* 45. §. *ult. D. neg. geſt.* & quivis alius, etiam pro ignorante & invito *l.* 23. *&* 53. *D. h. tit. l.* 17. *C. eod. l. ſolvendo* 39. *D. de neg. geſt. l.* 8. *&* 44.

& 44. *D. de cond. indeb.* Quod tamen fallit in ea ſolutione, per quam agnoſcimus etiam ſeu veneramur directum dominum: veluti in ſolutione canonis, vel cenſus. *Molin. ad conſ. Pariſ.* §. 85. *n.* 83. *Surd. deciſ.* 174. *n.* 32. *Pyrrh. Maur. de ſolut. cap.* 33. *n.* 6.

3. Fingamus pupillum ſolviſſe abſque tutore: nihil agit, manetque Dominus pecuniæ ſolutæ: *l.* 14. §. *ult. & l.* 15. *D. h. tit.* Interim ergò an periculo quoque pupilli eſt ea pecunia? Non videtur *arg. d.* §. *ult. Quib. alien. lic. Gloſſ. ad l. non omnis* 19. §. 1. *verb. ejus D. de reb. cred. Caſtr. Roma. ibid. Jaſ. ibid. n.* 5. *Zaſ. n.* 8. *& ſeqq.* Diſſ. olim *Azo, teſte gloſſ. d. loc. quem ſequitur Donell. in d. l.* 19.

4. Solvitur ſimiliter vel creditori, qui debitoris liberandi poteſtatem habet *d.* §. *ult. Inſt. Quib. alien. lic.* vel procuratori ejus, *l.* 12. *l.* 14. *D. h. tit. l. ſi actore* 19. *C. eod. l. ſi ego* 24. *D. de neg. geſt.* vel cuicunque alii, jubente & delegante creditore *l. ſolutam* 49. *D. h. tit. l.* 11. *&* 12. *C. eod.* Inde quæſitum: capta civitate debitor hoſti ſolvere coactus eſt: mox recuperata inſtat creditor: an rectè? Rectè, ſi ante hoſtis adventum debitor in mora fuit: ſinminus, durum videtur bis exigi debi

bitorem. *arg. l. debitor* 13. *D. de neg. geſt. l. nemo* 82. §. 1. *l. ſi ſervum* 91. §. *ſequitur D. de V. O. l. Paula* 27. §. *ult. D. de leg.* 3. *l. ult.* §. 1. *D. de pigner. act.* Ita cenſemus cum Mornac. *in d. l.* 13. Afflict. *deciſ.* 150. Fabr. *C. de locat. def.* 33. rejecta ineptâ Choppini diſtinctione *lib.* 3. *de mor. Pariſ. cap.* 3. *n.* 20.

5. Adjecto quoque ſolvi poteſt invito ſtipulatore §. *ſi quis alii Inſt. de inutil ſtipul. l.* 10. *l. vero* 12. §. *pen. D. h. tit.* Sed quid ſi adjectus capite deminutus ſit, an ſolvi ei poteſt? Negat Africanus *in l. cum quis ſibi* 38. *pr. D. h. tit.* Affirmat Papinianus *in l. Stichum* 95. §. *quæſitum eſt* 5. *& ſeq. D. eod.* & Julianus *in l. eum qui* 56. §. *qui ſibi aut filio D. de V. O.* Conciliandis poſt veteres intendit Duarenus *in d. l.* 56. Cujacius *in l.* 55. *D. de V. O. & tract.* 7. *ad Afric. in explic. d. l.* 38. Donellus *in d. l.* 55. *n.* 6. Sed fruſtra: nullâ enim ratione effici poteſt, ut ne JCti à ſe invicem diſſenſiſſe videatur. *Fab.* 3. *conject.* 10.

6. Solvendum eſt id quod debetur; aliud pro alio invito ſolvi nequit *pr. Inſt. Quib. mod. toll. oblig. l.* 2. §. 1. *D de reb. cred. l. qui decem* 72. §. *Stichum D. h. tit. l. Mævius* 66. §. *non idem D. de leg.* 2. volenti poteſt *l.* 19. *&* 17. *&* 20. *C. h. tit. l.* 1. *C. de rer. permut. l. pretii* 9. *C. de reſc. vend. l. cum te fundum* 6. *C. de pact. int. emt. & vend.* Numi tamen alterius figuræ invito ſolvi poſſunt, ſi nulla

ſit

ſit captio creditoris. *l. debitorem* 99. *D. h. tit.*

7. Fingamus, fundum creditori in ſolutum datum evictum eſſe: duratne prior obligatio, an nihil obſtat evictio, quo minus extinctum dicamus? Durare videtur prior obligatio. *l. ſi quis alium* 46. *D. h tit. l. libera* 8. *C de ſent. & interloc.* Nec adverſantur *l.* 4. *C. de Evict. l.* 1. *C. de rer. permut l. eleganter* 24. *D. de pigner. act.* Cujac. 19. *obſ.* 38. Aliter *Don. in d. l.* 4. *n.* 5.

8. Solvendum eſt totum quod debetur: invito enim partes offerri iniquum eſt *d. pr. Inſt. Quib. mod. toll. oblig. l.* 3. *D. fam. erciſc. l. tutor.* 41. §. 1. *D. de uſur. l. obſignatione* 9. *C. h. tit.* Nec adverſatur *l. quidam* 21. *D. de reb. cred. l. permittendum* 8. *D. Si pars hered. pet. Hotom ill. quæſt.* 22. *Alciat. Zaſ Donell. & alii d l. quidam*: Quod ſi volenti partem debitor ſolverit, quæritur, an reliquum quoque agnoviſſe videatur? Videtur *l.* 2. *C. ad SC Maced. l.* 7. §. *pen. D. eod. l.* 4. *C. de non num. pec.* Nec mutat *l.* 4. *C. ne ux. pro marit. Pyrrh. Maur. de ſolut. cap.* 24.

9. Solvendum eſt opportuno tempore: id eſt, ſi pura ſit obligatio, ſtatim: quod tamen cum aliquo temperamento accipitur §. *omnis ſtipulatio Inſt. de V. O. l. quod dicimus* 105. *D. h. tit. l. quid tamen* 21 §. *ult. D. de recept.* Sin obligatio diem habeat, etiam invito ante diem ſolvi poteſt. *l. ſtipulatio iſta* 38. §. *inter incertam l. continuus* 137. §. *cum ita:*

ita D. de V. O. l. quod certa 70. *l. qui res* 68. §. *mihi dare D. h. tit. Duar. Coraſ. in d. l.* 38. *Donell.* 15. *com.* 8. *in fin.* & 16. *com.* 11. *pr. Pyrrh. Maur. d. tract. cap.* 92. Diſſ. *Cujac. d. l.* 38. & 23. *cap.* 23. *per l.* 18. *pr. de conſt. pec. l.* 3. §. 14. *de ſtatulib. l.* 122. *de V. O. l.* 102. *de Sol. & lib.*

10. Locus utriuſque utilitatem continet: idcirco nec ſolvi nec peti alibi poteſt invito adverſario, niſi id fiat per condictionem quod certo loco §. *plus autem Inſt. de act. l. pen. D. de eo quod cert. loc. l.* 15. §. 1. *D. Depoſ. l. fidejuſſor* 16. §. 1. *D. de fidejuſ.* Quod ſi de loco nominatim non convenit, tum locus ſolutionis intelligitur eſſe domus creditoris, ſi modo uterque ejuſdem fori ſit. *Facit l. operæ.* 21. *D. de oper. libert. Pyrrh. Maur. d. tract. cap.* 29. *Coſtal. ad l.* 18. *D. de pec. conſtit. Sanxon. ad Turon. tit.* 1. §. 26. *gl.* 1. *Sich. ad l. acceptam* 19. *C. de uſur. n.* 17.

11. Si ut certo loco ſolvatur convenit, tum quantum ad numerum, pondus, menſuram, ſpectamus leges loci conventi. Si tamen convenerit, ut centum dolia vini Aurelianenſis præſtentur Amſtelodami; etiam magnitudo doliorum ad legem Aureliæ exigitur, non Amſtelodami. *arg. l.* 3. §. *nunc de officio* & *l. ſeq. D. condit. quod cer. loc. l. un. C. ub. con.*

qui

qui cer. loc. l. vinum 22. D. de reb. cred. l. ult. D. de condict. tritic. Burg. ad conſuet. Flandr. tract. 4. n. 28. Everh. Praſ. conſil. 78. n. 23. & ſeqq. Rot. Genu. deciſ. 93. n. 2. Pyrrh. Maur. d. tract. cap. 29. n. 13. Cuyck ad Cravet. conſ. 695. Adde *Bartol. in l. 1. C. de ſum. trinit. 16. & ſeqq. Jaſ. ibid. n. 22. & ſeqq.*

12. Si quis diverſas ſummas debeat, in ſolventis poteſtate eſt, in quam cauſam velit imputari quod ſolvit. Si non conſtituerit, creditor imputabit in cauſam quam volet: dummodo ita conſtituat, uti vir bonus conſtitueret. Si neuter conſtituerit, imputabitur ſolutum in graviorem cauſam: eaque ceſſante in antiquiorem. *l. 1. & ſeqq. l. 5. 97. 103. D. h. tit. l. ſi uſuras 21. C. de uſur.* Quod ſi ne hæc quidem appareat, in omnes ſummas pro rata ſolutum cenſetur *l. illud 8. D. h. tit. Hart. Piſtor. 3. quaſt. 21. n. 24. Imb. in ench. verb. nomine proprio.*

13. Si quis ſortem debeat & uſuras, quod ſolvitur ante in uſuras imputandum eſt. *d. l. 5. §. pen. & ult. D. de ſolut. l. 1. C. eod.* Quid ergo ſi in ſortem imputatum fuerit, ſupereſtne petitio uſurarum? Omninò, ſi modò in ſtipulationem deductæ ſint. *l. 1. C. de jud. l. 4. C. depoſ. l. qui per colluſionem 49. §. 1. D. de act. emt. junct.*

junct. l. cum ſtipulati 90. *D.V.O. Donel. in l.* 1. *C. de uſur. n.* 4. Cujac. *tract.* 3. *ad Afric. in l. centum D quod cert. loc.* Itaque peccant, qui generaliter dicunt, ſolutâ ſortè extingui petitionem uſurarum, propter earum odium, *Alciat. reg.* 1. *præſ.* 23. *n.* 6. *Pyrrh. d. tract. cap.* 12.

14. Si ſors debeatur ſub pœna, ſolutâ ſorte extinguitur pœnæ perſecutio *l. reſcriptum* 10. §. 1. *D. de pact. l. ult. D. Quod cert. loc. l. prædia* 28. *D. de Act. emt. l. ſi pater* 12. §. *ſi mulier D. de pact. dotal.* Solutâ pœna in ſortem imputatur *l. quod ſi* 42 *D. pro ſoc. d. l. prædia. l.* 44. §. *pen. D. de O. & A. l. qui Romæ* 122. §. *Flavius D. de V. O.* Nec adverſatur *l. id quod* 74. *D. h. tit.* Vide *l. ſi pignore* 22. *D. de pign. act. l. ſi debitor* 79. *D. de furt. l.* 6. *D. locat.* Cujac. 8. *obſ.* 39. *Pac.* 4. *antin.* 91.

15. Unicum eſt debitum, ſed plures debendi cauſæ: unica numeratione omnes tollantur neceſſe eſt. *l. cum quis ſibi.* 38. §. *de peculio l. in numerationibus* 44. *D. h. tit.* Repugnat tamen *l. egiſti* 84. *D. eod.* & agnoſcit quidem pugnam Cujacius *in d.* §. *de pecul. tract.* 7. *ad Afric.* ſed nullâ vi majore urgente.

16. Si annua quantitas debeatur, vel reditus annuus, rectè à Dd. traditum eſt, eum qui ſolvit reditum triennii proximi cenſeri etiam ſolviſſe reditum annorum præterito-

rum.

rum. *l. quicunque C. de apoch. publ. junct. l. 1. C. de fideic.* Nec adverſatur *l. cum notiſſimi 7. §. ult. C. de praeſcr. 30. vel 40. an. Maſcard de probat, concl. 1327. Menoch. 3. praeſ. 139. n. 14. & ſeq Everh. Praeſ. conſil. 14. n. 7. Pyrrh. d. tract. cap. 56.*

17. Si oblatam pecuniam accipere recuſet creditor, ſacculo incluſam obſignare debitor poterit, obſignatam apud judicem competentem deponere: ita perinde liberabitur, ac ſi ſolviſſet. *l. ſi creditrici 6. l. acceptam 19. C. de uſur. l. obſignatione 9. C. h tit. l. 1. §. ſi pecunia 36. D. Depoſ. l. invicem. 12. C. de compenſ. l. 2. C. Com. de manumis. Donel. Giphan. & alii in d. l. acceptam & in d. l. obſignatione.* Oblatio autem realis eſſe debet, verbalis non ſufficit, neque eam aut obſignatio aut depoſitio ad effectum liberationis ſequi poteſt. Vide *Pyrrh. de oblat. per tot. Everh. conſ. 168. n. 1.*

18. Oblatio ſanè ſola, ut maximè re facta fuerit, liberationem non parit *dd. ll. Pyrrh. d. tract. n. 12.* Periculum tamen amovet à debitore *l. ſi ſoluturus 39. l. qui decem 72. D. de Solut.* Purgat moram *l. illud ſciendum 12. D. de peric. & com. rei vend. l. interdum 73. l. ſi ſervum 91. §. ſequitur D. de V. O.* Prodeſt ad evitandam pœnam. *l. Celſus 23. §. ult. D. de recept.* Solvit antichreſin *l. ex prædiis 11. C. de uſur.* Non etiam ſiſtit curſum uſurarum *d. l. acceptam d. l. obſignatione.*

l. 1.

l. 1. §. *ult. l. debitor* 7. *l. tutor* 41. §. 1. *D. de uſ.*

19. Quid autem ſi depoſitam pecuniam debitor poſtea receperit? Utili actione experietur adverſus eum creditor: ſicut & adverſus depoſitarium *d. l. acceptam*. Per utilem autem actionem, vel utilem depoſiti intelligere poterimus, ſi nimirum agatur adverſus depoſitarium: vel utilem actionem ex veteri contractu; ſi agatur adverſus debitorem. Vide *Donel. in d. l. acceptam & d. l. obſignatione.*

20. Quid ſi forte judex vel Grapheus pecuniam depoſitam in ſuos uſus converterit? Æquum eſt, eum non ſolum in ſortem, ſed & in uſuras teneri. *arg. l. Lucius* 24. *D. Depoſ. l. qui ſine* 38. *D. de neg. geſt. l. tutor* 7. §. *quæ autem l. non exiſtimo* 54 *D. de admin. tut. l. idemque* 10. §. *ſi procurator D. mand.* Quod ſi Grapheus ſolvendo non ſit, æquum eſt à domino hoc damnum præſtari. *Moller. 4. ſemeſtr.* 18. Sed etſi urgente neceſſitate pecuniis depoſitis reſpublica uſa fuerit, æquum eſt, creditores indemnes præſtari: Confer *Mornac. in l.* 21. *D. de pign. & hypoth. Afflict. ad tit. de Capit. qui cur. vend.* §. *ſimiliter poteſt. n.* 10. *Molin. ad Pariſ.* §. 51. *gloſ.* 2. *n.* 98. *Gail.* 2. *obſ.* 56. *n.* 8.

DISPU-

DISPUTATIO QUADRAGESIMA, DE COMPENSATIONE.

Reſp. PETRO ANSLOO *Amſtelo-Batav.*

1. COmpenſatio eſt liberatio, quæ fit per debiti & crediti contributionem *l. 1. D. h. tit.* Cujuſmodi contributio idcircò recepta eſt, quoniam intereſt noſtra potius non ſolvere, quàm ſolutum repetere *l. 3. D. eod.*

2. Per debitum & creditum intelligimus quantitatem duntaxat: ſpeciei enim cum ſpecie, vel ſpeciei cum quantitate nulla eſt compenſatio *l. 4. C. h. tit. l. 5. D. de impenſ. in res dot. fact. l. ſi convenerit 18. D. de pign. act. l. ſi non ſortem 26. §. ſi centum D. de cond. indeb.* Sanè aliquando etiam in genere & ſpecie locum habere poteſt: ſi nimirum idem genus, eademve ſpecies utrinque debeatur *arg. leg. 1. §. pen. D. ſi pars hered. pet. Coſta. in l. ſi duorum 42. D. de act. emt. Pac. in Iſag. h. tit. Sich. ad l. ult. n. 2. C. eod. Barboſ. ad l. divortio §. ob donationes n. 24. D. Sol. matr.*

3. Ut

3. Ut par utrinque quantitas debeatur, non eſt neceſſe: poteſt enim compenſatio fieri pro parte debiti *l. 4. l. cum alter* 11. *& ll. ſeqq. D. h. tit. l.* 4. *C. eod.* §. *compenſationes Inſt. de act.* Unde dubitatum, ſummam quæ excedit, utrum eodem judicio conſequamur, an verò novo opus ſit petitione? Et rectè reſponſum, nova petitione opus eſſe, niſi jam ante mutua petitio ſeu reconventio inſtituta fuerit. *l. in rebus* 18. §. *ult. D. Commod. ubi Gloſ. Bart. Bald. Coſtal. ad l.* 1. *D. h. tit.*

4. Illud deſideramus, ut debitum utrinque liquidum ſit *l. ult.* §. 1. *C. h. tit.* Liquidum autem eſt, quod confitetur adverſarius *l. ſi quidem* 9. *C. de Except. l. ult. pr. C. Quib. ad Libert. proclam. non lic.* vel de quo brevi liquere poteſt judici. Sed quod ſit breve illud tempus, fluctuant interpretes: alii judicis arbitrio relinquunt *Sich. ad rubr. C. h. Rauchb. part.* 2. *quæſt.* 25. *n.* 104. Alii id tempus intelligunt, quod ſupererat actori ad probandum. *Bartol. ad d. l. ult. Donel. ad* §. *in bonæfidei Inſt. de act. n.* 8. *in fin.* Alii tempus, intra quod lex vel conventio ſolvere juſſit. *Molin. ad Pariſ.* §. 20. *gloſ.* 7. *in fin.* quæ poſtrema ſententia rectior videtur, *arg. l. aufertur* 46. §. *qui compenſationem D. de jur. fiſc. ub. Bartol. l. cum militi* 16. §. 1. *l. ult. D. h. tit.*

5. Cum leges debitum liquidum exigunt

gunt, manifeſtum eſt, debitum purum non compenſari cum eo quod debetur in diem, vel ſub conditione *l. quod in diem 7. D.h.tit.* Et ſi x. aut hominem debeas, utrum ſtipulator elegerit; non ante fit compenſatio, quam adverſarius elegerit, *l. ſi debeas 22. D. h. tit.* Multo igitur magis ceſſabit compenſatio, ſi debitum per exceptionem elidi poſſit, *l. quæcunque 14 D. de compenſat.*

6. Ad genera obligationum quod attinet, nihil intereſt, utrum naturaliter, an civiliter debeatur: etiam naturale debitum cum civili compenſari poteſt *l. etiam 6. D. h. tit. l. 20. §. 2. de ſtatulib. l. 6. §. 4. D. de pecul.* Sed quod tantum civiliter debetur non naturaliter, non poteſt compenſari *d. l. 22. D. eod. l. qui exceptionem 40. D. eod. l. qui exceptionem 40. D. de cond. indeb. l. 3. §. 1. D. de conſt. pec.* Nec intereſt ex contractu deſcendat obligatio, an ex delicto: dummodo ex delicto agatur pecuniariter *l. ſi ambo. 10. §. quotiens D. h. tit. l. 9. D. de publ. jud. l. 2. §. qui hoc dicit & § ſeqq. l. ſi uxor. 13. §. judex D. ad leg. Jul. de adult.*

7. Sed nec intereſt, utrum bonæ fidei ſit contractus ex quo agitur, an ſtricti juris *l 4. l. poſteaquam 21. D. h. tit. l. ult. C. eod.* & quidem ipſo jure *d. l. 21. & ult. d. §. in bonæ fidei Inſt. de act.* Nec adverſatur *l. 4. C. h. tit.* vide *Cujac. 6. obſ. 16. Hotom. & Donel. in d. §. & in d. l. ult.* Hoc amplius, etſi in rem actione aga-

agatur, compenſatio locum habet *d. l. ult.* Non mirum igitur, habere quandoq; locum in hypothecariâ. *Sand. 3. tit. 27. def. 4.*

8. Sane aliquando diſparitas cauſæ efficit, ut meritò compenſatio ceſſet. e. g. Debeo tibi cIↃ. ex mutuo: tu viciſſim debes mihi reditum annuum L. aureorum ſub hypotheca fundi. Eum reditum dicis ipſo jure compenſari cum debito perſonali cIↃ. aureorum: & idcircò ex eo die ex quo invicem deberi cœpit, te liberatum eſſe: Iniquum foret tuæ poſtulationi deferri. Nec adverſatur *l. cum alter 11. D. h. tit. Mornac. ibid. Molin de uſur. quæſt. 43. n. 322. & ſeq. Roder. 2. de ann. redit. 18.*

9. Ita etiam diſparia ſunt debita, debitum ſimplex, & debitum quo agnoſcimus dominium directum: veluti ex cauſa feudi, emphyteuſis, cenſus: ceſſat igitur & hic compenſatio *Molin. ad conſ. Pariſ. tit. de cenſib. §. 85. n. 17. & 37.* Item ſi fiſcus ex cauſa tributi agat, vel annonæ militaris, vel petat pretium rei à ſe venditæ, iniquum viſum eſt, compenſationem ei objici; *l. ob negotium 20. D. h. tit. l. aufertur 46. §. ut debitoribus D. de jur. fiſc.* Idem placuit, cum civitas frumentariam vel alimentariam pecuniam petit. *l. 2. §. frumentariæ & §. ſeq. D. de admin. rer. ad civit. pertin. l. 3. C. h. tit.*

10. Inde nonnulli colligunt, in cauſa eduli, ſeu victuali non habere locum compen-

penſationem. Puta, parochus, qui certo pretio hoſpitium & menſam præbet, petit menſæ pretium: non poterit ei objici compenſatio, ſecundum Mornacium *in d. l. ob negotium, poſt Bartol. ibid. & Surd. de alim. tit. 8. quæſt.* 53. Adde *Fabr. C. h. tit. def.* 7. Sed vix eſt, ut hæc ſententia *ex d. l.* 20. *& d. l.* 3. firmiter demonſtrari poſſit.

11. Ceſſat etiam compenſatio ex cauſa depoſiti, & poſſeſſionis perperam, id eſt violenter occupatæ *d. l. ult. C. h. tit l. pen. C. depoſ.* Actio commodati non excipitur: in commodato igitur compenſatio locum habeat, neceſſe eſt. Nec adverſatur *l. ult. C. Commod.* quam ut fugitivam dicamus cum Cujacio 8. *obſ.* 16. *&* 15. *obſ.* 12. nihil neceſſe eſt. *Donel. in d. §. in bonæ fidei n.* 11. *Hotom.* 12. *obſ.* 20. *Pac.* 4. *antin.* 44. Confer. *Duar. in l.* 7. *§. ob donationes D. Sol. matr. Ferret.* 1. *concil. leg.* 8. *Forner.* 2 *ſelect.* 14.

12. Porrò, quantum ad depoſitum attinet, etiam doli mali exceptionem repellit *l. pen. C. depoſ.* Unde quæſitum, ſi depoſitarius impenſas fecerit in rem depoſitam, an non eas oppoſita doli mali exceptione ſervare poſſit? Et licet aliis ſecus viſum ſit, nobis tamen ea defenſio non iniqua videtur. Facit *l. actione* 23. *D. h. tit l. ſi is qui rem* 59. *D. de furt. l. in rebus* 18. *§. ult. D. Commod. l. ſi quis rem* 20. *D. de adq. vel amit. poſſ. Sich. in d. l. pen. Hotom ibid.* Diſſ. *Azo*

 in ſum.

in ſum. C.depoſ.n. 15. *Donel.in d.l.pen,n.* 9.

13. In cauſa dotis habuit olim locum compenſatio *l.* 5. D.*de impenſ.in res dotal. fact. l. rei judicatæ* 15. *l.ſi cum dotem* 22. §. *ſi pater l.ſi conſtante* 24. §. *ſi uxor. l. in his rebus* 66. §. 1. *D. Solut. matrim. l.* 6. *C. h. tit.* Sed quæritur an id ſublatum ſit per *l. un.* §. *taceat. C. de rei uxor act*? Tentabimus cum pluribus, id ſublatum non eſſe. *arg. l. præcipimus* 32. *in fin.C.de appel. Zaſ.ad l.divortio* §. *ob donationes* D. *Sol. matr.n.* 9. *& ſeqq. Barboſ. ibid.n.* 1. *& ſeqq. Giph. in d. l un.* Diſſ. *poſt alios Duar. ad d.* §. *ob donationes*.

14. Illud prætereundum non eſt, compenſationem non habere locum, niſi inter eos, qui ſibi invicem debent *l. cum militi* 16. *pr. l. in rem* 18. §. 1. *l pen. D.h.tit.l. ejus* 9. *C. eod.* Itaque petente marito, non poteſt reus objicere compenſationem ejus ſummæ, quam ſibi debet uxor, *l.* 1. *& tot. tit.C.Ne ux.pro mar.* Quod tamen fallit apud eos quorum moribus nomina omnia tam activa quam paſſiva inter conjuges communicantur, *arg. l.ſi duo* 18. *D. de duob reis.*

15. Et ſi ab herede petam, non poteſt mihi objicere compenſationem ejus, quod coheredi ipſe debeo *d. l.* 16. *Zang. lib.* 3. *de except.cap.* 8. *n.* 47. Item ſi alter ex duobus reis credendi petat, non poteſt reus objicere compenſationem ejus, quod ſibi ab altero debetur, *d. l. ſi duo D. de duob. reis, & ibi*

Ron-

*Ronchegr.n.*16. *Duar.ad eund.tit.cap.*2. *Godd. de contr. ſtip cap.* 12, *concl.* 9.*n.*82. Sanè ex contractu defuncti rectè objicitur compenſatio heredi, etiamſi adierit confecto inventario *l.* 3.*C.de contr.jud.tutel.Fab.C.h.tit.def.* 9. Et ceſſionario nocet compenſatio, quæ cedenti nocitura erat *G.Pap.deciſ.*567.*Rot.Genu.deciſ.*28.*n.*5.*Papon.*12.*tit.*6. *arr.*2.*Neoſt. dec.ſupr.cur.Holl.*71.*Sand.*3.*tit.*17.*def.*2.

16. Proſcriptis obærati bonis, unus ex creditoribus fundum ſub haſta emit: an pretium cum debito compenſare poterit? Non poterit, niſi fortè primum inter creditores locum teneat, *arg.d.l.*16. 18.*pen.D.h.tit.d.l.* 9. *C.eod. l.* 2. *C. Si in cauſ. jud. pign. capt.ſit l. eum qui* 17. *D.Qui pot. in pign.Pap.* 18. *tit.* 6. *arreſt.* 4. *append. Moller. ad conſt.elect. part.* 1. *conſt.*32.*n.*19. *Berlich.part.* 1.*concl.* 81.*n.*212. Diſſ. *Papon.d.tit.* 6.*arr.*4.*Rebuf. de præcon.& licit.art.*5.*n.*19 *Fab.ad tit.C.de diſtr.pign.def.*33.*Mangil.de ſubhaſt.qu.*75.

17. Illud nihilominus verum, compenſationem etiam in executione opponi poſſe, ſi vel ab initio omiſſa fuerit, vel judex ejus rationem non habuerit, *l.* 2. *C.h.tit.l.* 7. §. 1. *D.eod. Capyc. dec.*167. Quin etiam appellationis judicio rectè objicitur compenſatio, tametſi non poſſit inſtitui mutua petitio, *Fab.C.h.tit.def.*15.

18. Poſtremo notandum, compenſationem tollere obligationem ipſo jure, non

ex quo oppoſita fuerit, ſed ex quo invicem deberi cœpit *l.4.& 5.C.h.tit.l idem juris eſt 12. D.eod, Donel.in d.l.4.n. 11. Zanger. 3. de except.8.n.128. Fab.d. def.15.in not n.3. ſibi contrarius def.4.eod tit.* Inde fit, ut ſtatim curſum uſurarum ſiſtat *d. l.12.d.l.4.* ut impediat, quo minus pœna vel mora committatur. *Coſtal.in l.11. D.h.tit. G.Pap. deciſ.171. Fab.d.def.4.* ut ſi quis non oppoſita compenſatione ſolverit, condicere poſſit in debitum *l.ſi ambo 10. §. 1. D. h. tit.l qui exceptionem 40.D.de cond indeb.*

19. Fidejuſſor quoque ipſo jure liberatur, pro ea quantitate, quæ à reo propter compenſationem peti nequit, *l.4 & 5.D.h.tit l. 7. l. omnes 19. D de except.l.ex perſona 32. D. de fidejuſſ.* Contra ſi à reo petatur, non poterit, is uti compenſatione ejus ſummæ, quam actor debet fidejuſſori. *arg.d l. 5.d.l.ſi duo D. de duob.reis l.heres 21.§.quod ſi ſtipulator & § ult l.Granius 71.in fin.pr.D.de fidej.*

20. An proviſionem quam vocant, impedit compenſatio? Impedit, ſi modo in continenti probari poſſit; cum ſpecies quædam ſolutionis ſit. *l.ſi ambo 10.§. 1.D.h.tit.l. 4. D. Qui pot.in pign. l. dediſſe 76.de V.S. Sand.1. tit.8. def. 3. Boer. ad Bitur. 2. § 7. gloſ. 1.& conſ.14.n.10. Zanger. 3.de except. 26.n 83. 115.cum ſeqq.* Itaq; ſi Statutum vetet aliam exceptionem admitti quam ſol. tionis vel ſimilem, haut dubiè admittemus etiam compenſationem.

21. Hoc

21. Hoc amplius, etſi juraverit quis, ſe ſoluturum eſſe, non oberit ei jurisjurandi religio, quo minus compenſationem opponere poſſit. *Molin. ad Pariſ. §. 20. glos. 7. n. 11. & § 47. gl. 4. n. 4. Covar. in c. quamvis de pact. in 6. part. 1. §. 4. n. 15. & ſeqq poſt. Bart. in l amplius non peti D. rem. rat. hab.* Quæ tamen ſententia ita temperanda, ut procedat, ſi non debitum antiquius fuerit juramento. *Capyc. deciſ. 167. n. 4. Grot. 2. de jur. Bel. 13. n. 20. Diſſ. Sarm. 2. ſelect. interpr. 1. n. 11. Zaſ. in §. in bonæ fidei Inſt. de act. n. 27. Jaſ. ibid. n. 85. Felin. in c. ad noſtram de jurej. n. 11. verſ ſed communior.*

DISPUTATIO QUADRAGESIMA PRIMA

DE

Acceptilatione, & Novatione.

Reſp. Francisco Herman. Montano. *Amſtelo-Batav.*

1. Acceptilatio nihil eſt aliud, quam verborum conceptio, quibus creditor debitorem perinde abſolvit, ac ſi re ſibi ſatisfeciſſet. Ita malumus, quoniam definitio Modeſtini *in l. 1. D. h. tit.* anguſtior eſt definitio. Vide §. 1. *Inſt. Quib. mod. ſolv. oblig. l. an. inutilis 8. §. acceptum l. & uno 18. §. 1 l. ult. D. h. tit. Cuj. 5. obſ. 36. Hotom. 3. obſ 38.*

2. Hæc quoniam verbis conſtat, ipſo ju-

 re

re tollit tantum verborum obligationem *d. l.* 8. §. *acceptam junct. l. nihil tam* 25. *l. fere* 153. *D. de reg. jur.* Reliquæ obligationes ante novandæ ſunt & transfundendæ in ſtipulationem, deinde tollendæ per acceptilationem *d. l.* 18. *& ult. d.* §. 1. *& ſeq. Inſt. Quib. mod. toll. oblig.* Unde nonnulli acceptilationem dividunt in Aquilianam, & in ſpecie ita dictam *Zanger.* 3. *de Exercept.* 7. *n.* 15. Verum nō eſt ea diviſio generis in ſpecies.

3. Cæterum non refert, utrum pura ſit obligatio, an in diem, vel ſub conditione contracta: omnes acceptilatione tolli poſſunt, licet effectus acceptilationis appareat demum, exiſtente die vel conditione *l. quod in diem* 12. *l. ſi ſub conditione* 21. *D. h. t.* Ipſa tamen acceptilatio neque diem, neque conditionem recipit *l.* 4. *&* 5. *D. eod. l. actus legitimi* 77. *de reg. jur.* Nec adverſatur *l. ſub conditione* 16. *D. de ſolut. Briſſon. ad eund. tit. cap. de acceptil. Zanger. d. cap.* 7. *n.* 83.

4. An per procuratorem poſſit acceptilatio fieri dubitatum eſt? Procuratorem enim, qui mandatum habet, admittit Paulus *in l.* 3. *D. de acceptil.* Contra excludere eundem videtur Ulpianus *in l. & per jusjurandum* 13. §. *tutor D. eod.* Non ſunt iſta verè contraria *l.* 4. *C. de novat. Cujac.* 15. *obſ.* 16. *Hotom. ill. qu* 34. *& in Epit. D. mand. n.* 21. *Briſſon. d. loc.*

5. Adjecto ſolvi poteſt, etiam invito ſtipulatore. §. *ſi quis alii Inſt. de inut. ſtipul.*

l. vero

l. vero 12. §. *pen. D. de ſolut.* nec tamen is accepto ferre promiſſori poteſt *l. quod ſtipulatus* 10. *D. eod.* Tutoribus & curatoribus ſimiliter ſolvi poteſt: nec tamen accepto ferre debitori pupilli poſſunt. *d. l.* 13. §. *tutor D. h. tit.* Unde apparet, acceptilationem non in omnibus pro ſolutione cedere.

6. Quid ſi ex pluribus reis debendi uni accepto feratur, an liberantur reliqui? Liberantur: *l. ſi ex pluribus* 16. *D. h. tit. l.* 2. *D. de duob. reis.* Nec adverſatur *l.* 2. §. *ſi tamen hominem D. de V. O. l.* 1. *C. de tranſact.* Ac licet nonnulli temperent hanc ſententiam ita, ut fallat, ſi creditor liberando cedat actiones ſuas adverſus conreos: *Zanger. d. cap.* 7. *n.* 53. temperamentum tamen hoc loca juris ab eis adducta minime probant.

7. Si acceptilatio inutiliter facta ſit, valet tamen ut pactum de non petendo *l. an inutilis* 8. *pr. D. h. tit.* Nec obeſt, quod ſtipulatio inutilis non valet ut pactum de petendo *l.* 1. §. *ſi quis ita D. de V. O. Coraſ. Cujac. Donell. ibid.* Diſſ. *gloſ. in l. ſi unus* 27. §. *pen. D. de pact. Duar. in d* §. *ſi quis ita.*

8. Non ſolum totum debitum, ſed & partem accepto ferre poſſumus *l.* 9. 10. 13. §. 1. *l.* 17. *D. h. tit.* Sed ſi alternativa ſit obligatio, ut *Stichum aut decem*: altera re accepto lata, tota obligatio perimitur. *d. l. ſi unus* §. *ſed ſi ſtipulatus D. de pact.* Nec adverſatur *d. l.* 13. §. *ſi Stichum aut decem D. h.*

tit. *Cujac. in d. §. ſed ſi ſtipulatus. Briſſon. d. cap. de acceptil. Peck. in cap. in alternativis de reg. jur in 6. n.* 5. Item ſi genus ſtipulatus, veluti hominem, accepto tulerit Stichum, totam obligationem conſumit. *d l.* 13. *§. ſi is qui hominem D. h. tit.* Nec mutat *d. l.* 27. *§. ſed ſi generaliter de pact. l. qui hominem* 11. *D. de adim. vel transfer. legat. Cuj. & Briſſon dd. loc. Con.* 5. *com.* 4 *n.* 10. *Zang. d. cap.* 7. *n.* 76.

9. *Novatio* eſt prioris debiti in aliam obligationem, vel civilem, vel naturalem transfuſio atque translatio *l.* 1. *D. de novat.* Eſtque vel voluntaria vel neceſſaria: illa per ſtipulationem fit, hæc per litis conteſtationem vel judicatum *l.* 1. *&* 3. *C. h. tit. l. aliam* 29. *D. eod. l. ult. verſ. ſi enim novatio C. de uſur rei jud.* Adjiciunt nonnulli laudum, ſeu pronuntiationem arbitri, *Ronchegal ad pr. l.* 3. *D. de duob. reis n.* 19. *Pyrrh. Maur. part.* 2. *de fidejus. ſect.* 10. *§.* 4. *n.* 4. quod non aliter admittimus niſi laudo litigantes ſubſcripſerint, vel decem dierum ſilentio confirmaverint. *arg. l. pen. C. de recept.*

10. Voluntaria porro fit quatuor modis. Aut enim cauſa debendi mutatur, aut debitor, aut creditor, aut uterque. Mutatio vero perſonæ, inprimis debitoris, ſpecialiter delegatio appellatur. *l. delegare* 11. *D. h. tit. l. cum indebitum* 57. *§.* 1. *D. de cond. indeb. l.* 5. *l quamvis* 8. *§.* 5. *&* 6. *D. ad SC.*

Vel-

Vellej. Sed ſive cauſa mutetur, ſive perſona, neceſſe eſt hoc exprimi à contrahentibus, velle ſe novare priorem obligationem *l.ult. C.de novat. Gloſ.in l.2.C.h.tit.Sich.in d.l ult. n.6.Deciſ.rot.Genu.2.nu.19.& ſeqq.Grivel. deciſ.111.nu.* 23.Diſſ. quantum ad delegationem *Weſ. in parat.h. nu. n.* 6. *Moller.* 2. *conſt. elect.* 19.*n.* 19. *Gabr. de novat. concl.* 1.*n.* 49. *Pyrrh. d.ſect.*10.§.5.*n.*5. Generalius *Menoch.* 3.*praeſ.* 134.*n.*34.*& ſeqq.*

11. Unde patet etiam errare illos, qui putant, non obſtante *d. l.ult.* novationem fieri tacite, ſi non ipſo jure, ſaltem ope exceptionis, urgentibus conjecturis. *Giph.in.d.l. ult. Ronchegall in l.* 3.*pr.ff. de duob. reis n.* 17. *Moller. d. loc. n.* 18. *Theſaur. deciſ.* 125. *n.* 9. *Gail.* 2.*obſ.*30.*n.* 3. *Schneid. in §.praeterea n.* 3. *Inſt. Quib. mod. toll. obligat.* Diſſ. *Afflict. deciſ.* 44. *n.* 15. *Maſcard. de probat. concl.* 1112. *n.* 20. *Menoch. d. loc. n.* 49. *Fach.* 3. *contr.* 92.

12. Neque tamen imus inficias, ſi poſterior contractus repugnet priori, & cum eo conſiſtere non poſſit, tolli obligationem ex priore contractu: ut ſi pecuniam apud te depoſuero, deinde chirographo dato contraxerimus mutuum *l. certi condictio* 9. §.*ult. l.ſingularia* 15. *D. de reb. cred. l. qua ratione* 9. §. *interdum D. de adq.rer. dom. l. pacta* 72. *D. de contrah.emt.* Verum

id nihil omnino ad confirmandam illam ſententiam de conjecturis attinet. Diſſ. *Menoch.d.loc.n.*39. *Pyrrh. Maur.d.ſect.* 10. §. 4. *n.* 22. *Deciſ. rot. Rom. Ludoviſ.* 76. *n.* 1. & 8. & *Cocci.* 319. *n.* 1. & *ſeqq.*

13. Ex ſuperioribus colligitur, nullam contingere novationem per collybum, etjamſi collybiſta, vel argentarius, aut quis alius ſuſceperit literas mandati. *Decis.Rot. Genu.* 1.*n.*20. & *ſeqq. Menoch.d.preſ.* 134. *n.* 53. & *ſeqq.* Nullam, ſi reſtituto veteri chirographo novum accipiam cum augmento crediti *Deciſ.Rot.Rom. Ludov.* 447. *n.* 2. *Moller.d.cap.*19.*n.*9.& *ſeqq.* Nullam, ſi ædes vendam eâ lege, ut reditum ædibus impoſitum emtor præſtet *l. ult.* §. 1. *D. de contr. emt.*

14. Porro novari omnis obligatio poteſt: ſeu naturalis, ſeu civilis: ſive ex contractu, ſive ex delicto deſcendat *l.* 1. §. 1. & *l.* 2. *D.h.tit.* Nec intereſt, pura ſit prior obligatio, an diem, vel conditionem habeat. Quin etiam futuram obligationem novare poſſumus *l. Stichum* 8. §. 1. & §. *ſeq. l. quotiens* 14. §. 1. *D. eod.*

15. Sed ſequens obligatio ut civiliter conſiſtat, non eſt neceſſe, ſufficit eam naturaliter conſiſtere *d.l.* 1. *pr.D.h.tit.* Itaque ſi pupillus ſine tutoris autoritate ſtipulanti expromiſerit, prior obligatio tollitur. Si ſervus expromiſerit, nulla contingit novatio, tametſi

tametſi ſervus quoque obligetur naturaliter *d.* §. *praterea Inſt. Quib. mod.toll. oblig. d. l.* 1. §. 1. *in fin. l. ſervi* 14. *D. de obl. & act.* Hæc non pugnant. *Cujac.* 8. *obſ.* 11. Aliter *Hotom. in d.* §. *præterea.*

16. Stipulatus ſum à te, Stichum dari: cum moram feciſſes, eundem Stichum ſtipulor ſub conditione novandi gratia: Stichus poſtea deceſſit, eoque mortuo extitit conditio: an ſit novatio? Adfirmat Venulejus *in l. ſi rem* 31. *pr. D h. tit.* Negat Marcellus *in l. qui decem* 72. §. *cum Stichum D. de Solut. & liber.* Ne hæc quidem reſponſa pugnant *Cujac.* 25. *obſ.* 17.

17. Effectus novationis eſt, ut perimat non ſolum priorem obligationem principalem *l.* 1. *pr. D. h. tit.* ſed & acceſſiones ejuſdem: veluti conſtitutum, fidejuſſionem, pignora & hypothecas, curſum uſurarum *l. novatione* 18. *D. h. tit. l.* 4. *C. de fidejus.* Sed ſi in poſteriore obligatione pignora eadem repetantur, protopraxiam temporis inter creditores non amittit ſtipulator. *l.* 3. *l. creditor* 12. §. *Papinianus l. ult. D. Qui pot. in pign.*

18. Quid ſi privilegium habens, non temporis prærogativam, delegaverit debitorem ſuum alii; an per expromiſſionem perimitur privilegium? Diſtinguendum videtur: privilegium perſonæ cohærens perimitur; non perimitur cohærens cauſæ vel

rei *arg. l. aliam* 29. *D. h. tit. l. l. dabimuſque* 19. *pr.* & §. 1. *D. de reb. auct. jud. poſſid. l. ex pluribus* 42. *D. de admin. tut. l. in omnibus* 68. *l. privilegia* 196. *D. de reg. jur.* Nec adverſatur *l. quæſitum* 17. §. *quare D. de reb. auct. jud. poſſid.* Vide *Donel.* 15. *com.* 43. *Sand. de ceſſ. act. cap.* 9. *n.* 7. *Marant. ad l. ſi actor. n.* 26. *de procur.*

19. Expromiſſis, qui delegantem exceptione perpetua ſummovere poterat. Si petat is cui expromiſſum eſt, an expromiſſori proderit eadem exceptio? Negat Paulus *in l. ſi quis delegaverit* 12. *l. doli exceptio* 19. *D. h. tit.* Nec impingit in regulas illas juris 68. 196. *de R. J.* §. *exceptiones Inſt. de replicat. l. exceptiones* 7. §. 1. *D. de except.* 6. *n.* 55. & *ſeqq.*

20. Delegaſti mihi debitorem, quem facta expromiſſione deprehendo non eſſe ſolvendo: an datur mihi adverſus te regreſſus aliquis? Non datur, niſi dolo malo affirmaveris idoneum eſſe *l.* & *eleganter* 7. §. *ult.* & *l. ſeq. l. cum à te* 25. *l. quidam debitor* 38. *D. de dol. mal. l. inter cauſas* 26. §. *abeſſe D. mand. l. cum ea* 68. §. 1. *D. Evict.* Nec adverſatur *l. quamvis* 8. §. *ſi convenerit. D. ad SC. Vellej. Zang. de cap.* 6. *n.* 52.

DISPU-

DISPUTATIO QUADRAGESIMA SECUNDA.

DE

Confuſione, & reliquis modis, quibus obligationes diſſolvuntur.

Reſp. GUILJELMO CONRADO RUYCHAVER.

1 Confuſio eſt liberatio, quæ contingit per concurſum debiti & crediti in eandem perſonam. Sive enim debitor creditori, ſive creditor debitori, ſive tertius utrique extiterit heres, extinguitur obligatio *l. ſicut* 5. *l. Stichum* 95. §. *aditio D. de Solut. & liberat. l.* 2. *C. eod. l. heres* 21. *de fidejuſ.*

2. Sed id fallit hodiè, cum creditor adit hæreditatem debitoris confecto inventario: tum enim actionem ſalvam habet, & concurrit cum aliis creditoribus *l. ult.* §. *in computatione C. de jur. delib.* Et contra, ſi debitor confecto inventario adierit hereditatem creditoris, non eſt æquum, per inventarium, tanta pecunia, quantam ipſe debuit, minui hæreditatem creditoris. *arg. d.* §. *in computatione. & l.* 1. §. *ſi debitor* 18. *D. ad leg. Falcid. Giphan. in d. l. ult. pag.* 103.

3. Quod ſi creditor habuerit duos reos debendi, & alteri extiterit heres, perſona duntaxat defuncti eximitur; non tota obligatio tollitur, *l. Granius* 71. *verſ. ſed cum duo D. de fidejus. Pyrrh. de fidejus. part.* 2. *ſect.* 10. §. 14. *n.* 13. *Donel.* 16. *com.* 4. Idem ergo dicendum è contrario, ſi debitor alteri ex duobus reis credendi ſucceſſerit: alteri enim ſoli obligatus manebit.

4. Si creditor fidejuſſori, vel fidejuſſor creditori ſuccedat, tollitur obligatio acceſſoria, ſalvâ manente principali. *l. heres* 21. §. *quod ſi ſtipulator &* §. *ult. d. l. Granius* 71. *in fin. pr. D. de fidejus.* Idem dicendum, ſi debitor fidejuſſori vel fidejuſſor debitori principali ſuccedat *l.* 5. *& d. l. ſi heres* §. *pen. D. eod. l. ſi duo* 93. §. *pen. & ult. D. de Solut.* Nec adverſatur *d. l.* 95. §. *quod vulgò D. eod. Cuj.* 11. *obſ.* 34. *Pac. in Iſag. d. tit. n.* 18. *Hart. Piſt.* 3. *quæſt.* 11. *à pr. Zang.* 3. *de exc.* 9 *n.* 18. *Gomeſ.* 2. *reſol.* 13. *n.* 20. *Donel. d. cap.* 4. *verſ. altera ſpecies. Fab.* 8. *conj.* 4.

5. Si creditor conreo credendi ſuccedat, utraque quidem obligatio manet, ſed ex altera duntaxat agi poteſt *d. l. ſi duo* 91. *pr. D. de ſolut. l.* 5. *in fin. D. de fidejus.* Similiter ſi reus debendi conreo heres exiſtat, manet quidem utraque obligatio, ſed ſemel duntaxat exigi poteſt. *d. l. ſi duo* §. 1. *&* 2. *d. l.* 5. *verſ. reum. Pac. d. loc. Piſt. d. quæſt.* 11. *n.* 26. *Donel. d. c.* 4. *in fin.*

6. Si

6. Si debitor creditorem heredem inſtituerit, juſſeritque hereditatem reſtituere Sempronio, non obſtabit fideicommiſſum, quo minus per aditionem ſine inventario factam, confundatur obligatio: *arg. d. §. in computatione. l. debitor* 59. *D. ad SC. Trebel. l. cum quis* 38. *§. ult. D. de Solut. & liber.* Nec adverſatur *lex* 27. *§. qui ex Trebel. de Sc. Trebell. Cuj. in l.* 5. *§. quod avus D. ad leg. Falcid. l.* 87. *§.* 2. *ad leg. Falcid.* Si verò legatis oneratus ſit creditor, tum in ponenda ratione legis Falcidiæ deducit id quod ſibi defunctus debuit *l.* 6. *&* 8. *C. ad leg. Falcid. l.* 1. *§. ſi debitor. D. eod.* Hæc non ſunt abſurde conſtituta.

7. Quid ſi creditor aditam hereditatem debitoris vendiderit? Tametſi confuſa ſit obligatio, æquiſſimum tamen viſum eſt, emtorem hereditatis ei teneri; ſive pure debuerit defunctus, ſive ſub die vel conditione. Intelligitur enim id ſolùm vendere creditor, quod ex hereditcte ad eum pervenit, in id tempus, quo venditio fit *l.* 2. *§.* 1. *& §. cum quis* 18. *D. de hered. vel act. vend.*

8. Effectum confuſionis quod attinet, tollit ea interim totam obligationem, interim pro parte: prout nimirum vel ex aſſe, vel ex parte heres quis fuerit: *l. Lucius* 24. *D. de fidejuſſ.* Nec tantùm civilem obligationem tollit, ſed etiam naturalem *l. Stichum* 95. *§. aditio D. de Solut. & liberat. d. l.* heres.

heres 21. *quod ſi ſtipulator junct. l. Granius* 71. *D. de fidejus. Cujac. in l. frater à fratre tract.* 9. *ad Afric.*

9. Tolluntur etiam obligationes præſcriptione temporis. Et ea quidem, quæ nominatim breviori temporis ſpatio circumſcriptæ non ſunt, perimuntur xxx. vel xl. annis. *l.* 3. & 4. *C. de præſcr.* 30. *vel* 40. *an.* Quæ præſcriptio neque titulum deſiderat, neque bonam fidem, ſed ſufficit juge ſilentium debitoris *d. l.* 3. & 4. *l.* 6. 7. 8. *C. h. tit. l.* 2. & *ult. C. de annal. exc. Ital. contr. tol. l.* 12. *C. de cohortal. Giphan. ad d. l.* 3. *pag.* 256. *Argentr. ad conſ. Britan. art.* 269. *verb.* s'il n'y avoit *n.* 7. *Schneid. de uſucap. n.* 42.

10. Tollit autem præſcriptio temporis omnem obligationem, non ſolùm civilem, ſed & naturalem. *d. l.* 3. 4. & 7. *C. eod. l. item illa* 38 §. 1. *D. de pecun. conſtit. l. ſi pupillus* 45. *in fin. D. de admin. tut. junct. l. alienationis* 28. *D. de V. S. Cujac. tract.* 7. *ad Afric. in l.* 38. § *pen. de Solut. & liber. Vaſq.* 2 *contr. ill.* 53. *Argent. d. com. art.* 273. *cap. de hypoth. præſcr. n.* 23. & *ſeqq* Diſſ. com. Dd. teſte Balbo *de præſcr. part.* 1. *princ. qu.* 6. & 7.

11. Neque ſubducimus longiſſimi temporis præſcriptioni aut annuas præſtationes *l. cum notiſſimi* 7. §. *ult. C. de præſcr.* 30. *an.* & *ibi Dd. l. pen.* §. *ult. eod. l. eos* 26. *C. de uſur.* aut jus reemendi ex pacto: *Donell. ad l.* 2. *C. de*

C.de pact.int. emt. & vend. n. 12. *Covar.* 1. *reſol.* 9. *Balb.* 4 *part.* 5. *princ. quæſt.* 3. aut jus luendi pignoris *Gloſſ. in l.* 7, §. *cum illud C. de præſc.* 30. *vel* 40 *an.* Diſſ. *com. Dd. teſte Ballo d. loc. quæſt.* 2. *Gail.* 2. *obſ.* 18. *n.* 6. *Mynſ.* 1. *obſ.* 16. & 6. *obſ.* 70.

12. Succurritur adverſus hanc præſcriptionem ſoli pupillo: non minori, non militi, non abſenti: quare nec furioſo, nec prodigo *d. l.* 3. *C. eod.* & illudunt Juſtiniano, qui aliter ſentiunt, teſte Argentr. *art.* 269. *verb.* eſt defendu. *Gyph. d. l.* 3 *pag.* 251. Sane iis qui ab hoſtibus oppreſſi fuerunt, omninò ſubveniendum *nov. Valent. de* 30. *an. præſcr. Procop.* 1. *de bel. Goth. Cujac.* 10. *obſ.* 10.

13. Actiones eccleſiæ competentes perimuntur ſpatio annorum xl. *l. ut inter* 23. *C. de SS. eccleſ. nov.* 9 *junct. nov.* 111. & 131. *cap.* 6. Itaque blandiuntur ſibi, qui ex *auth. quas actiones C. eod.* eccleſiæ Romanæ aſſerunt præſcriptionem annorum C. qua ſolæ civitates gaudere videntur. *Cujac.* 5. *obſ.* 5.

14. Si ſpecies certa debeatur ex aliqua obligatione, liberatur debitor interitu ejuſdem: ſi modo perierit ſinè dolo & culpa debitoris §. *ſi res legata Inſt. de legat. l. pen. D. de Solut. l. contractus* 23. *D. de R. J.* Quod ſi poſt moram debitoris perierit, æſtimationem debitor præſtare debet, niſi res eodem modo apud actorem pe-

perítura fuiſſet, etiamſi ſtatim reſtituta eſſet. *l. ſi ex legati* 23. *l. cum filiusfam.* 49. *l. nemo* 82. §. 1. *cum ſimil. D. de V. O. l. ſi in Aſia* 12. §. 1. *l. ſi plures* 14. §. 1. *D. depoſ.*

15. In ineunda autem æſtimatione ſi dies, conditio, locus adjecta ſint contractui, ſpectamus eum diem locumve de quo convenit; ſive bonæfidei, ſive ſtricti juris ſit contractus. *l. quotiens* 59. *D. de V. O. l. vinum* 22. *D. de reb. cred. l. ult. D. de cond. tritic. l. ſi Kalendis* 11. *D. de re jud. l.* 3. *in fin. D. de act. emt.* Sin minus, in ſtrictis ſpectamus locum & tempus quo petitur: *d. l.* 22. *d. l. ult.* in bonæfidei judiciis tempus rei judicandæ *l.* 3. §. *in hac D. Commod. Cujac. in d. l. quotiens & in l. hominem* 37. *D. mand. tract.* 8. *ad Afric. &* 21. *obſ.* 25. *Hotom. ill. quæſt.* 16. & 11. *obſ.* 2. *Donel. ad d. l. quotiens. Duar. ibid. & ad tit. C. Si cert. pet. cap.* 8.

16. Fingamus periiſſe ſpeciem ſine culpa debitoris, an de acceſſionibus & reliquiis vel exuviis agere creditor poteſt? Affirmat *l. in ſumma* 65. §. *pen. D. de cond. indeb. l. ſi ſervus* 14. §. *bove D. de cond. furt. junct. l. ſolum* 49. §. 1. *D. de rei vind.* Negat. *l. mortuo* 49. *D. de legat.* 2. *l. pen. D. Quib. mod. uſusfr. amit.* Hæc non ſunt contraria. *Bart. in d. l. mortuo, & in l. ſi Stichus* 33. *de V. O. Sarm. in ead. l. mortuo lib.* 8. *ſel. interp. Coſtal. in d. l. ſolum.*

17. Liberatur etiam debitor concurſu dua-

duarum cauſarum lucrativarum, ſi incidant in eundem hominem, & eandem rem, ſive ſpeciem. Cæterum in quantitate concurſus admittitur. *l. omnes debitores* 17. *& ſeqq. D. de obl. & act. l. Mævius* 66. §. 1. *l. Titia Sejo* 87. *pr. D. de leg.* 2. *l. in perpetuum* 61. *D. de Solut. & liber.* §. *ſi res aliena* 6. *Inſt. de legat. l. planè* 34. §. *ſed ſi non corpus D. de leg.* 1. Nec obeſt *l. hujuſmodi* 84. §. *ſi Sempronius D. eod. Hotom. & alii in d.* § *ſi res aliena.*

18. Præterea conſenſu ſolo tolluntur obligationes conſenſu contractæ §. *ult. Inſt. Quib. mod. toll. obl. l. prout* 80. *l. Stichum* 95. §. *ult. D. de Solut. cum ſimil.* Item capitis diminutione debitoris quavis, actio adverſus eum extinguitur. Sed ſi minimam debitor paſſus ſit, perinde prætor adverſus eum actionem reſtituit, ac ſi capite deminutus non fuiſſet, *l.* 2. *& ſeqq. D. de cap. demin.*

19. Poſtremò delictis quibuſdam creditoris liberatur debitor: Ut, ſi debitori vim fecerit, debiti extorquendi gratia *l. ſed & partus* 12. §. *ult. & l. ſeq. D. Quod met. cauſ. l. pen. D. ad leg. Jul. de vi priv.* Si cadaver ejus vexaverit *nov.* 60. Si liberos ejus in pignus vel ſervile miniſterium abripuerit *nov.* 134. *cap.* 7. Si clarigatione uſus fuerit. *nov.* 52. *cap.* 1. *nov* 128. *nov.* 134. *cap.* 4. *l. un. C. ut nul. ex vic. pro al.* aut actionem ceſſerit potentiori vexandi debitoris gratia *l.* 2. *C. ne lic. pot. patr. litig. præſt.* aut ſtudioſum traxerit ad

ju-

judicem non ſuum *auth. habita C. ne fil. pro patr.*

20. His tamen caſibus civilis quidem obligatio tollitur, non etiam naturalis. Ideòque ſi debitor poſtea per errorem ſolverit, non habet indebiti condictionem *l. ſi pœne 19. junct. l. qui exceptionem 40. D. de cond. indeb.* Sanè Bartoli ſententiam, *in d. l. 13. Quod met. cauſ.* exiſtimantis non ipſo jure, ſed per ſententiam judicis amitti debitum, neutiquam probamus. *Gloſ. in ead. l. 13. Cujac. in d. nov. 60.*

DISPUTATIO PRIMA
DE
CRIMINIBUS.

Reſp. REINHARDO BACHMANNO, *Duſſeldorpio Montano.*

1. STOICÆ ſapientiæ veſtigia in libris noſtris haud pauca ſunt, quibus palàm fit, ab Stoicis auctores juris pleroſque imbutos fuiſſe. Illud tamen eorum placitum, quo peccata omnia paria dixere, noſtris minimè placuit, ac nec ſalva juſtitia, cujus ſacerdotes ſe profitebantur, placere potuit. Sunt enim peccata, quæ querimur magis quam exequimur, quæ leges quoque nulla animadverſione digna judicant *l. & ſi quis 14. §. Divus D. de relig. & ſumt fun. l. verum*

Digitized by Google

rum eſt 39. D. de furt. l. 3. D. de his qui not. infam. l. 3. §. non perpetuæ in fin. D. de Sep. viol. Sunt alia, quæ delicta privata vocamus: ſunt quaſi delicta: de quibus forenſi actione agimus. Sunt denique crimina in quæ inſcribimus *l. 2. §. ſeptimus C de vet. jur. enucl. l. quis ſit fugitivus 17. §. noxas D. de ædil. ed. l. aliud fraus eſt 131. §. 1. D. de V. S. l. ult. D. de priv. del.*

2. Crimen à delicto qualitate diſtat & magnitudine. Delictum peccatum eſt, de quo civili actione agunt hi, ad quos ea res, qua de agitur, pertinet. Crimen verò atrocius peccatum, quod triſti rei habitu, accuſatore ſubſcribente, vel lege aliqua publicorum judiciorum vindicatur, vel extra ordinem accuſatur *l. 3. §. totius C. de vet. jur. enucl. l. 5. §. ult. l. aut facta. 16. §. qualitate D. de pœn. l. 1. & 2. D. de fur. baln. l. 1. §. 1. D. de effract. & expil. l. 2. D. de abig. l. 2. D. de extraord. crim. l. 1. D. de publ. jud. l. 3. D. ad Sc. Turpil.*

3. Diſtinctio vera eſt, temperamenti tamen indiget. Primùm enim ex eorum genere eſt, quæ vera ſunt ἐπὶ τὸ πλεῖστον, ut plurimum: quippe & delicta ſunt, ex quibus non tantùm civilis actio datur, ſed & judicium publicum vel extraordinarium. *d. l. 1. & 2. D. de fur. baln. d. l. 1. D. de effract. l. inde Neratius 23. §. ſi dolo D. ad l. Aquil. l. 2. §. 1. D. vi. bon. rapt. l. quod SCtum 6. & l.*

& l. ſeq. D. de injur. Dein ex vetere magis & media, quam noviſſima juris prudentia adferenda: Vetere enim & media juris prudentia ex privatis delictis civiliter ſolùm agebatur, vix certis caſibus criminaliter: at noviſſima ex omnibus delictis vel civiliter, vel criminaliter extra ordinem agere poſſumus *l. ult. D. de priv. del. l. ult. D. de injur. §. in ſumma Inſt. eod. l. interdum 56. §. 1. & l. ult. D. de furt.*

4. Contrahitur crimen dolo, affectu, animo. *§. placuit Inſt. de furt. l. 3. D. de injur. l. in lege 7. D. ad leg. Corn. de Sicar. l. plagii 14 C. ad leg. Fab. de plag. l. nec exemplum 20. C. ad leg. Corn. de fals. l. Divus 31. D. eod.* Rectè Livius *lib. 1. Mentem peccare non corpus & unde conſilium abfuerit culpam abeſſe.* Dolo autem ſubjicimus non ſolùm propoſitum, quo delinquunt e. g. latrones qui factionem habent; ſed & impetum, puta ebrietatis, iræ, amoris, libidinis *l. perſpiciendum 11. §. delinquitur l. aut facta 16. §. cauſa D. de pœn. l. lex Julia 7. §. ult. D. ad leg. Jul. repet.* Culpam non item: neque enim atrocius peccatum eſt, quod culpa peccatum eſt.

5. Atqui & culpa crimen contrahitur *l. qui ædes 9. l. ſi fortuitò 11. D de incend. ruin. naufr, l. 3. §. 1. D. de off. præf. vig. l. 2. in fin. D. de term. mot. l. Divus 15. D. ad leg. Corn. de fals. d. l. 16. §. eventus l. ſi quis 38. §. qui abor-*

abortionis D.de pœn. imò & caſu *l.* 5. §. *ult. d.l.* 11.§.*caſu D.eod.*? Reſpondeo, caſus intelligendus eſt non omnimodò fortuitus, ſed ejuſmodi, cui culpa cauſam dedit: Culpa verò crimen quidem dicitur, non tamen valdè fortiter: veri certè conſummatique ſceleris pœnam non meretur *d. l.* 9. *D. de incend. ruin. naufr. l.milites* 12.*de cuſtod. & exhib.reor,l.ferè* 108.*D.de R.J.*

6. Cum igitur dolum requiramus, manifeſtum fit, non contrahere crimen eos, qui vix culpæ,nedum doli capaces ſunt: cujuſmodi ſunt infantes *l.infans* 12. *D.ad leg. Corn.de Sicar. l.ſed etſi* 55.*in fin. D.de fideic. lib, c.* 1. & 2. *de del. puer.* furioſi *d. l. infans l. Divus* 14. *D. de off. præſ. l. pen.D.ad leg. Pomp. de parric. l.* 3. §. 1. *D.de injur. l. omne.*6.§.*qui ſe vulneravit* D.*de re milit.l.un. C.Si quis Imp.maled.l.furioſi* 40. *D. de R. J.* dormientes *l.* 1.§.3. D. *de adq. vel amit.poſſ. clem. un. de homicid. cap. ſi concupiſcentia* 15. *quæſt.* 1.*Tiraq.de pœn.leg.cauſ.* 5.

7. Porrò dolum pro facto accipimus *d.l. in lege* 7.*ad reg. Corn.de Sic.* neque nuda cogitatio crimen nobis eſt *l. cogitationis* 18. *D. de pœn.* Quanquam enim furem, latronem, adulterum aliquâ ſignificatione ex animi propoſitione ſola quis dicere poſſit, tamen oportet crimina aſſumto actu intelligi. Itaque qui nunquam rem alienam invito domino ſubtraxit, nunquam alienam

ma-

matremf. corrupit, tametſi ejus mentis ſit, ut occaſione data id commiſſurus ſit, fur vel adulter non eſt *l. fugitivus* 225. *D. de V. S.*

8. Quid eſt ergò quod Impp. ajunt, Arcadius & Honorius *in l. quiſquis C. ad leg. Jul. Maj. Eadem ſeveritate voluntatem ſceleris qua effectum puniri jura voluerunt.* Hadrianus *in l. Divus* 14. *D. ad leg. Corn. de Sic. In maleficiis voluntas ſpectatur, non exitus:* quodque Apulejus *in* 3. *Florid. In maleficiis etiam cogitata ſcelera, non perfecta adhuc vindicantur, cruenta mente, pura manu?* Non de cogitatione nuda loquuntur, ſed de crimine aſſumto actu inchoato. Diſcimus inde, non ſolum conſummatum, ſed & inchoatum celus, ſed & conatum crimen eſſe: Veluti, ſi quis conſpiraverit in necem Principis vel Senatorum ejus *d. l. quiſquis*, ſi quis venenum coxerit, cum telo ambulaverit hominis occidendi cauſa *l.* 1. *D. ad leg. Corn. de Sic. l. ult. C. eod.* ſi quis alienas nuptias interpellaverit *l.* 1. *D. de extr. crim.* ſiquis appellaverit virgines ſacras matrimonii cauſa *l.* 5. *C. de epiſc. & cler.* ſi quis ſtupri cauſa virginem proſtraverit *Bald. in l. ſi quis ſervo* 20. *C. de furt. &c.*

9. Utrum verò conatus ordinaria pœna puniendus ſit, an aliqua mitiori, controverſum eſt. Prius tenet *Bart. in l ſi quis legatum n.* 2. *D. de falſ. Bald. in l.* 5. *C. de epiſc. & cler.*

Sa,

Salic. in l. is qui cum telo C. ad leg. Corn. de ſicar. Chaſſan. ad rubr. de juſtit. verb. & jurilus earum. n. 6. pet. d. l. 5. C. de epiſc. & cler. d. l. quiſquis C. ad leg. Jul. Maj. l. 1. l. Divus 14. *D. ad leg. Corn. de Sic. d. l. is qui cum telo* 7. *C. eod. l.* 1. *in fin. D. ad leg. Pomp. de parric.* Verùm ſententia ad rigorem propius accedit: nec vera niſi de atrociſſimis criminibus. In aliis benignius eſt conatum mitius extra ordinem puniri *arg. l.* 3. *D. de his qui not. infam. l.* 1. *pr. & §. ult. D. de extr. crim. l. ſi quis legatum* 6. *D. ad leg. Corn. de fals. l. vulgaris* 21. *§. qui furti D. de furt. l. aut facta*. 16. *§. eventus D. de pœn. Specul. in tit. de accuſ. §.* 1. *verſ. quid ſi primo. Cyn. Caſtrenſ. in d. l.* 5. *C. de epiſc. & cler. Angel. Sibnei. in §. ſed etſi credat aliquis Inſt. de furt. Boer. de. iſ.* 323. *n.* 6. *par.* 2. *Clar. in §. Sodemia n.* 1. *& in §. homicidium n. ult. Coler. deciſ.* 167. *n.* 104.

10. Videamus porrò an conſilium aliis dediſſe crimen ſit? Si eventus ſecutus fuerit, omninò crimen eſt. *arg. §. interdum quoque in fin. Inſt. de furt. l. qui ſervo* 36. *§. plus Pomponius l. ſi quis uxori* 52. *§. neque verbo D. de furt. l.* 1. *§. incidit D. ad SC. Turpil.* Alios enim ſuadendo juviſſe ſceleris eſt inſtar *d. l. aut facta* 16. *pr. D. de pœn.* quique monet adjuvat *Plaut. in Curcul.* Ita in ſpecie de eo qui conſilium homicidæ dedit *Menoch. lib.* 2. *arb. jud. qu. caſ.* 351. *n.* 17. *per*

l. 1. *pr. verb. operam dediſſet l.* 3. §. *item cujus* 4. *D. ad leg. Corn. de Sic.* Neque intereſt fueritne & ſine conſilio reus peccaturus, nec ne, *Schneid. in* §. *tua tantum Inſt. de mand.* Ordinaria tamen pœna, niſi fortè in atrociſſimis, non putaverim conſultorem adficiendum.

11. Qui opem ferunt, haud dubiè crimen contrahunt: Sive ante commiſſum ſcelus id faciant, ut ſi quis telum, venenum ſciens necis cauſa commodet: Sive in ipſo crimine: Sive denique poſt commiſſum crimen, cujuſmodi ſunt, quorum ope reus aufugit, *l. ſi pignore.* 54. §. *qui ferramenta D. de furt. l. ſi ſciente* 7. *D. ad leg. Pomp. de parric. l. un. verſ. & qui eis auxilium C. de rapt. virg. l.* 1. §. 1. *D. ad leg. Corn. de Sicar.* Opem tuliſſe etiam is intelligitur, qui adſtitit, tametſi manus non moverit; uti placuit de eo, qui ferendi cauſa armatus adſtitit cædem facienti vel ſtupranti *Felin. in c.* 1. *n.* 14. *de off. deleg.*

12. Qua pœna adficiendi ſint, utrum eadem qua princeps in ſcelere patrando, an mitiori aliqua, valdè eſt controverſum. Sanè qui fugam rei juvit, propriis pœnis ſubjugatur, vel legis Juliæ de vi privata, ſi concurſum fecerit, quo minus reus in jus produceretur. *l.* 4. *D. ad leg. Jul. de vi priv.* vel legis Juliæ Majeſtatis, ſi confeſſum reum vinculis exemerit *l.* 4. *verſ. item qui confeſſum*

D ad

D. ad leg. Jul. Maj. Qui autem celant,vel receptant reum, eos par pœna expectat. *l. 1. & 2. C. de his qui latr. vel al.* De ijs potiſſimum diſputatur,qui in flagranti crimine opem tulerunt. Bartolus *in l. is qui opem 34. D. de furt.* eadem pœna adficiendos exiſtimat. Contra *Dyn. Salicet. in l. un. C. de rapt. virg. Hippol. de Marſil. conſil. 47. in 2. & 3. col. Chaſſan. d. loc. n. 30. Schneid. in §. interdum quoque Inſt. de furt. n. 12.* mitiore: quorum ſententiam uti benigniorem probo. *arg. l. un. C. de Nil. agger. non rump. c. ſicut dignum de homicid. l. perſpiciendum 11. l. pen. D. de pœn.*

13. Qui mandat ſcelus, quique mandatum exequitur, uterque reus eſt, & ordinariæ pœnæ ſubjugandus. Nihil enim intereſt, ipſe quid facias, an per alium fieri cures, an cauſam præbeas *l. 3. §. item cujus l. nihil intereſt 15. D. ad leg. Corn. de ſic. Paul. 2. ſent. 23. §. mandatores l. 5. C. de accuſ. l. non ſolum 11. §. ſi mandatu D. de injur. §. non ſolùm Inſt. eod. l. 1. §. dejeciſſe D. de vi arm. l. 5. pr. D. ne quis eum qui in jus voc. c. quod quis mandato de reg. jur. in 6. Argentr. ad conſuet. Britan. tit. 24. art. 581.* Diſſ. *Bartol. in l. ſervus D. ad leg. Jul. de vi publ. exiſtimans mandatarium mitius puniri.*

14. Non eadem cauſa juſſus eſt, quæ mandati. Qui enim juſſum ejus in cujus poteſtate eſt executus fuerit, criminis qui-

dem reus eſt *d. l. non ſolum* §. *idemque ait D. D. de injur.* ordinaria tamen pœna non adficiendus *l. ult. C. de his qui ſib. adſcr. teſt. l. ſervos* 8. *C. ad leg. Jul. de vi. l.* 2. *C. de Sep. viol. Tiraq. de pœn. cauſ.* 34. & 35. *l. non videntur* 167. §. 1. *l. is damnum dat* 169. *D. de reg. jur.*

15. Ratihabitio mandato comparatur: an ergò qui ratum habuit admiſſum crimen, participem ſe reatus fecit? Non video, quemadmodum id procedat. *Hippol. de Marſil. in ſing.* 184. *Chaſſan. d. loc. n.* 28. & 29.

16. Criminum diviſiones in jure duæ potiſſimum occurrunt. Prior eſt, crimen omne vel capitale eſt, vel non capitale: Poſterior, crimen omne vel publicum eſt, vel privatum ſeu extraordinarium. Utraque tametſi hujus eſſe loci videatur, alibi pro re nata tradetur.

17. Diſtinguuntur etiam crimina in leviora & graviora. Graviora ſunt majeſtatis crimen, cædes, adulterium, inceſtus, raptus, ſacrilegium, violatio ſepulchri, monetæ *l.* 3. *C. de epiſc. aud. l.* 3. 4. & 5. *C. Theod. de indulgent.* Reliqua ferè leviora ſunt; inprimis quæ culpa magis quam dolo admiſſa ſunt.

18. Aliter diſtinguuntur, quod ſunt vel communia vel propria. Communia quæ ab omnibus admitti poſſunt, tam

mi-

militantibus, quàm paganis. Propria militum ſunt, quæ quis uti miles admittit: veluti ſi quis emanſerit, ſi deſeruerit ſtationem, excesſerit agmine, tenuerit vitem centurionis *l. 2. l. 3. & paſſim. D. de re milit.* His canones addunt propria clericorum, quæ quis uti clericus admittit: quæ omnia perſequi noſtri non eſt inſtituti.

19. Videamus quibus modis crimina extinguantur. Extinguitur crimen primò redditione pœnæ; ſi reus legis vel judicis voluntati ſatisfecerit, pœnamque juſtam ſuſtulerit *l. Divus 7. §.1 D. de jur. patr. l. capitalium 28. §. famoſos D. de pœn.* Quod quidam etiam de pœna inchoata judicant, ut ſi fur rupto laqueo de furca deciderit *Tiraq. de pœn. leg. cauſa 64. Dec. & Cagnol. in l. favorabiliores 125. D. de R. J. Boſc. in pract. crim. tit. de execut. ſent. n. 25.* Satis abſurdè.

20. Secundò morte rei *l. 2. l. 3. l. ult. C. Si reus vel accuſ. mort. fuer.* neque in heredes pœna tranſit: cujus rei illa ratio eſt; quod pœna conſtituitur in emendationem hominum, quæ mortuo eo in quem conſtituitur, deſinit *l. ſi pœna 20. D. de pœn.* ac ne maculam, quidem liberis crimen paternum infligit *l. crimen 26. D. eod.* Crimen perduellionis excipitur, quod etiam poſt mortem rei exercetur, damnata ejus memoria, publicatiſque bonis; liberis etiam

defuncti ſpoliatis omni ſucceſſione, omnique dignitate *d. l. quiſquis C. ad leg. Jul. Maj. nov.* 134. *cap. ult.* Idem probabiliter dici poteſt de hæreſi Manichæorum & Donatiſtarum *l.* 4. §. *in mortem C. de hæret. & Manich.* itemque de apoſtaſia *l.* 3. 4. *& ult. C. de apoſt.*

21. Excipitur etiam crimen repetundarum, ex quo adverſus heredes, intra annum duntaxat à morte ejus qui arguebatur, datur actio in quadruplum earum pecuniarum, quas defunctus in adminiſtratione poſitus, vel poſt eam accepiſſe convictus fuerit, quo magis aut quo minus officium faceret *l.* 2. *D. ad leg. Jul repet. l.* 1. 2. *& ult. C. eod.* Idem eſt in crimine peculatus & reſiduorum: eſtque ratio ejus rei hæc, quod in his judiciis quæſtio principalis ablatæ pecuniæ moveatur *l. ult. D. ad leg. Jul. pecul.* Olim etiam poſt mortem rei repetundarum procedebatur ad bonorum publicationem *l. ex judiciorum* 20. *D. de accuſ.* quod hodie ſecus eſt *nov.* 134. *cap. ult.*

22. Addunt exceptis quidam deſertæ militiæ crimen, iiſque ſuffragatur Alexander *in l.* 4. *C. de re milit.* Verum in contrariam ſententiam nos trahit conſtitutio prima *C. ſi reus vel accuſ.* reſtituta *ex lib.* 60. *baſil. tit.* 56. *cap.* 1. ſicut & *d. nov.* 134. *cap. ult.* quæ vetat bona defuncti publicari, ſi deſcendentes ſint vel adſcendentes ad tertium

tium uſque gradum, ſolo majeſtatis crimine excepto.

23. Inter excepta crimina non malè quis inceſtum numeraverit; quod crimen tametſi in hæredem non tranſit, id tamen contra regulam habet, quod liberis ex nefario complexu natis non tantum hereditates parentum utriuſque ſexus adimuntur, ſed & alimenta denegantur *auth. licet C. de nat. lib. auth. ex complexu C. de inceſt, & inut. nupt. nov. 89. cap. ult.*

24. Omnia publicorum judiciorum admiſſa olim in heredem tranſibant, ſi lis conteſtata, & condemnatio ſecuta fuiſſet: non quidem ut pœnam corporalem heres lueret, ſed bonorum publicandorum cauſa. Ex reliquis verò id ita procedebat, ſi vivo reo accuſatio mota eſſet, licet condemnatio non fuiſſet ſecuta *d. l. ex judiciorum* 20. *D. de accuſat.* Hoc quoque mutatum exiſtimo, ut nec lite conteſtata, nec condemnatione ſecuta bona publicentur; excepto crimine majeſtatis, in quo vetus jus intactum ſervatur *d. nov. 134. cap. ult.*

25. Tertiò extinguuntur crimina præſcriptione 20. annorum *l. querela* 12. *& ib. Dd. C. ad leg. Corn. de falſ.* niſi ſi qua nominatim brevioris temporis ſpatio coarctata ſunt: veluti injuria anno continuo *l. ſi non convitii C. de injur.* accuſatio adulterii quinquennio continuo, vel utili ſemeſtri *l.*

ſi non convicii C. de injur. accuſatio adulterii quinquennio continuo, vel utili ſemeſtri *l. 5. l. ita nobis 28. C. ad leg. Jul de adult. l. mariti 29. §. ſex menſium D. eod. l. 1. §. accuſationem D. ad SC. Turpil. Cuj. 20. obſ. 15. & 27. obſ. 15.* accuſatio peculatus quinquennio *l. peculatus 7. D. ad leg. Jul. pecul.*

26. Quæ autem ſupra ſcriptum 20. annorum ſpatium excedant, crimina nulla ſunt: non parricidii crimen, non ſuppoſitio partus, non concuſſio, non cædes propoſito facta, aut ſi quæ alia ſunt atrociora crimina. Diſſ. *gloſſ. & Dd. in d. l. querela. Theſaur. deciſ. 218. n. 1. Hippol. de Marſil. in l. qui falſum §. accuſatio D. ad leg. Corn. de falſ. Lud. Carrer. in tract. crim. tit. de homicid. cap. 28. n. 7. Farin. quæſt. 141. n. 52.*

27. Neſcio an illud rectè Dd. tradiderint, hanc præſcriptionem non habere locum, cum quæſitor criminum ſeu judex ignoravit crimen admiſſum eſſe *Bart. in l. eum qui §. in popularibus D. de jurej. Natta conſil 225. n. 5. Farin. pract. crim. lib. 1. tit. de inquiſ. quæſt. 10. n. 13. Boer. deciſ. 26. n. 16. Angel. de maleſ. ad verb. inchoata facta n. 7. in fin.* Quin rectiùs contrarium ſenſiſſe videntur *Theſaur deciſ. 76. n. 5. & deciſ. 208. Boſc. pract. crim. tit. de injur n. 24.*

28. Neſcio an illud, non prodeſſe præſcriptionem ei, qui delatus fugit & proſcriptus eſt. *Schneid. de ſpecieb. præſcr. n. 46.*

Item

Item illud, Etiam actionem civilem ex crimine ortam 20. annis extingui, pro perſecutione tam vindictæ, quàm rei familiaris ſeu damni privati *Charond. lib. 10. reſp. 76.* Illud certè rectè, hanc præſcriptionem habere locum, non ſolùm cum accuſator in medio eſt, ſed & cum ex officio judex quærit. *Schneid. d. loc. Bart. & Elb. Leon. ad. d. l. querela Viv. lib. 1. com. opin. verb. accuſatio falſi.*

29. Quartò tolluntur crimina leviora ſemel commiſſa abolitione generali. Abolitio generalis eſt, quæ vel ipſo jure pro tempore certo feriarum ſolenniùm datur, veluti ob paſchalem celebritatem *l. 3. C. de epiſc. aud.* vel extra ordinem ob res lætas edictis propoſitis promittitur *l. abolitio 8. & l. ſeq. l. ſi interveniente 12. D. ad Sc. Turpil.* Hæc reis leviorum criminum finitis feriis poſt. 30. dies plenam tribuit impunitatem: intra 30. dies utiles ab eodem accuſatorere peti poſſunt *d. l. 12. D. ad Sc. Turpil. l. 1. C. de gen. abol.*

30. Quintò & ultimò tollitur crimen indulgentia principis ſpeciali; quâ is per adnotationem ſuam perpetuum accuſatori ſilentium indicit, reoque ſtatim pleniſſimam tribuit impunitatem *l. 5. C. ad leg. Corn. de Sic. l. ſi docueris 9. C. ad leg. Corn. de falſ. l. pen. C. de calumn.* Nec tantùm crimen ejus qui damnatus non eſt, per indulgentiam tollitur, ſed etiam ſententiam paſſi per eandem reſtituuntur *l. cum indulgentia & tot. tit. C. de ſent. paſſ. & reſtit.*

AUCTARIUM

Ad Theſ. 4.

Tranſeamus à genere ad ſpeciem. Cædes vi vini admiſſa eſt: Pragmatici ſeparant ab ebrio ebrioſum: hunc pœna ordinariæ ſubjiciunt, non illum. Damhoud. in pract. crim. c. 84. n. 19. Gail. 2. obſ. 110. n. 28. *Rectiſſimè: modò in ebrio non tam ebrietatem quàm cauſam ſpectemus: Sicut in irato & excandeſcente non tam iram, quàm cauſam juſtumque dolorem ſpectamus* Gail. ibid. n. 35. *De ebrioſo verò etiam Pittaci ſententiam non invitus laudaverim.*

Ad Theſ. 6.

Cædes à dormiente admiſſa eſt: Pragmatici diſtinguunt; eum qui ſolet de nocte ſurgere, alioſque invadere, cædis reum agunt; quia ſciens vitium ſolus dormire debuit: eum qui id ſolitus non eſt, impunitum dimittunt. Gail. d. c. n. 30. *Non ſufficit diſtinctio: quid enim ſi qui ſolus dormiebat egreſſus ſit cubiculo, domo? quid ſi in ſomnis fecit, quod vigilans agitabat? Refert ex* com. ad lib. Hip. c. de aëre Jonſtonus in admir. hom. art. 6. *noctambulonem quendam Pariſiis gladio accinctum Sequanam tranaſſe, interfectoque eo, quem interficiendum ſibi vigilans propoſuerat, domum rediſſe. Mihi religio foret hoc genus hominum rigori legum ſubjicere.*

Ad

Ad Theſ. 19.

Non minus abſurda ſunt illa: Dimitti reum, qui non primo ictu mortem oppetierit: Saxis obrui lictorem quem manus tremulæ fruſtratæ fuerint: Donari reum precibus puellæ, petentis eum maritum ſibi dari: Eripi occurſu veſtalis, aut cardinalis: Sicarium liberari ſi cum proximis tranſegerit: Adulterum ſi conjux intercesserit. Evidens certe abſurditas, quotiens rerum natura ſimul & lex divina damnat: minor autem quotiens ſolum jus civile morti adducit.

Ad Theſ. 25.

Moribus noſtris non alia ferè præſcriptio nota eſt, niſi tertiæ partis ſeculi, van een derdendeel van hondert jaren Ruræmond. part. 3. tit. 4. §. 1. Zutph. tit. 12. art. 2. Velav. tit. 25. art. 2. *Quæri poteſt, an hâc præſcriptione longiſſimi temporis præſcriptio vicennii, quæ in criminibus locum habet, ſublata ſit? Negantium ſententiam, quam Franci probant* Boer deciſ. 26. & Saxones Heig. part. 1. qu. 16. n. 59. & ſeqq. *tuebimur.*

Ad pen. & ult.

Rectè largitur princeps abolitionem & indulgentiam eorum crimiuum, quæ civili magis quam divino jure vindicantur; Quæ autem divino capitalia ſunt, eorum indulgentiam à principe tribui poſſe non temerè dixerim: vetant enim illæ interminationes. Ne miſeratus

fuerit maleficum, Ne perſerit ei oculus tuus &c. Num. 35. 31. *Deut.* 13. 8. & 19. 13. 1. *Reg.* 20. 42.

DISPUTATIO SECUNDA DE CRIMINIBUS EXTRAORDINARIIS.

Reſp. BERNHARDO DUKER. *VVarndorpenſi VVeſtphalo.*

1. CRimen omne vel extraordinarium vel publicum eſt. Extraordinarium de quo extra ordinem agitur, pœna arbitrio judicis irroganda *l. ult. D. de priv. del. l. ult. D. de furt. l. ult. D. de injur.* §. *in ſumma Inſt. eod. l* 3. *D. Expil. her. l.* 1. §. 1. *D. de Effract. l.* 3. *D. ad SC. Turpil. l.* 1. §. *ult. l. hodie* 13. *D. de pœn.* Vocatur etiam crimen non legitimum: quia nec legem, nec formulam, nec pœnam certam habet *l.* 3. §. *pœna D. ſtellion.* Publicum omne legitimum, & legem, formulam, pœnam certas habuit *l.* 1. *l. ordo* 8. *D. de publ. jud. l.* 1. §. *quorum D. ad SC. Turpil. l. aliud fraus eſt* 131. §. 1 *D. de V. S.* Vocatur & privatum *d. l.* 1. §. *ult. D. de pœn,* quia jus accuſandi iis duntaxat competit, ad quos ea res pertinet *l.* 3. *D. de Extr. crim. l.* 2. *D. de concuſ. l.* 2. *D. de alig. l.* 3. *D. de*

præ,

pravar. l. ult. D. de furt. l. 1. *C. de crim. ſtellion. l.* 4. *D. Expil. her. l.* 4. *C. eod. Cuj.* 8. *obſ.* 33. *Duar.* 1. *diſp. ann.* 37. Publicum cuivis è populo accuſare licet § 1. *Inſt. de publ. jud. l. ſi plures* 16. *D. de accuſat. l. quamvis* 30 *C. ad leg. Jul. de adult.* eaque re etiamnum hodiè à publicis extraordinaria diſtant: formulis publicorum jam dudum ſublatis, nec durante legum pœna *d. l. ordo de publ. jud. d. l.* 1. & 13. *de pœn.*

2. Pœnas arbitrio judicis irrogari dicimus rectè. Nec enim quod in his titulis extraordinariorum criminum pœnas quoque expreſſas legimus, nullum propterea judicis arbitrium eſt: exemplum magis quod intueatur, non legem quam ſequatur legislator præſcripſit. Nec tamen exiſtimandum, liberrimum eſſe judicis in infligendis pœnis arbitrium: ubique enim curare debet, ut pœna peccato æqua ſit, nec ſcutica dignum horribili ſectetur flagello. Conſuetam & ſolitam pœnam irrogare eum debere, etſi non ſcripta ſit, Dd. puto rectè tradiderunt. vid. *Menoch. lib.* 2. *arbit. jud. quæſt. caſ.* 85. *cum* 3. *ſeqq. Argentr. in conſuet. Brit. tit.* 24. *art.* 576. *n.* 6. *Weſemb. in parat. D. de ext. crim. in fin.*

3. Placet autem horum criminum quibuſdam hæc diſtinctio: Sunt vel merè extraordinaria, vel pro arbitrio actoris. Merè extraordinaria ſunt, quorum

cauſa nullum aliud privatum publicumve judicium comparatum eſt: Species, expilatio hereditatis, ſtellionatus, coitio collegii illiciti, prævaricatio advocati, termini motio. Extraordinaria pro arbitrio actoris ſunt reliqua, cum quibus judicium aliud publicum privatumve concurrit. Atqui cum expilatæ hereditatis judicio concurrit actio ad exhibendum, & rei vindicatio & petitio hereditatis *l.* 2. *&* 3. *D. expil. her.* cum judicio termini moti concurrit actio pœnalis ex lege agraria Caji Cæſaris *l.* 3. *D. de term. mot.* accuſatio autem collegii illiciti in majeſtatis crimen incidit *l.* 2. *D. de colleg. junct. l.* 1. §. 1. *D. ad leg. Jul. maj.* Quare rejecta hâc diviſione ad enumerationem ſingulorum criminum progrediamur. Sunt autem hæc:

4. *Furtum.* Furto primum locum tribuimus: quanquam enim delicta privata criminibus opponuntur *in l. quis ſi t fugitivus* 17. §. *noxas D. de ædil. ed. l.* 2. §. *ſeptimus C. de vet. jur. enucl.* hodie tamen & crimina extraordinaria rectè vocari poſſunt; quandoquidem ex iis vel civiliter agere poſſumus, vel extra ordinem in crimen ſubſcribere *l. ult. D. de priv. del.* Animadvertitur autem extra ordinem potiſſimum in fures improbiores. Improbiores ſunt balnearii, qui veſtimenta lavantium vel res alias ſubripiunt: nocturni *l.* 1. *D. de fur. baln. l.* 3. §.

ult.

ult. D. de off. præf. vig. effractores qui domos aut horrea furandi cauſa effringunt, aut parietes perfodiunt *l. 1. §. ſimili modo &* *l. 2. D. de effract. & expil.* expilatores & vecticularii, qui ædes aut villas alienas expugnant *l. 1. §. 1. D. eod.* qui & publico judicio tenentur *l. pen. D. ad leg. Jul. de vi publ.* ſacculariì qui arte neſcio quá ex alienis ſacculis pecunias ſubducunt, aut crumenas ſecant *βαλαντιοτόμοι d. l. 1. §. ſimili modo l. ſaccularii 7. D. de extr. crim.* directarii, qui in aliena cœnacula ſe dirigunt furandi animo: apertularii, confectores cardinum, quibus nihil tàm obſeratum, occluſum, obſignatum quod non aperiant *d. l. 7.* Improbior etiam exiſtimatur, qui quid ex incendio, ruina, naufragio furatus fuerit *arg. l. 3. §. non ſolùm D. de incend. ruin. naufr. l. 1. §. 1. & 2. l. de eo 18. D. Depoſ.* Hi omnes extra ordinem accuſantur, & puniuntur arbitrio judicis: fures autem diurni vix extra ordinem coërcentur, ſed ad jus ordinarium & examinationem civilem remittuntur. *l. 2. D. de fur. baln.* Pœnæ variæ ſunt: ad ſummum exilii pœna infligitur, ut Oroſius ſcribit *lib. 4.* vel metalli aut operis perpetui, uti Ulpianus *in l. 1. D. eod. l. 1. & 2. D. de effract.* Ultimum autem ſupplicium non irrogatur, quinimò nominatim id vetat Juſtinianus *in nov. 134. cap. ult.*

5. *Abigeatus.* Abigei quoque fures im-

improbiores ſunt: Eſt autem abigeus qui dolo malo equum, bovem vel unum abegerit, porcos quinque vel quatuor, oves autem decem *l. 1. §. ult. l. ult. pr. D. de abig.* quantitas enim abigeum à fure diſcernit *l. aut facta* 16. §. *quantitas D. de pœn.* Nec exigimus, ut eodem temporis momento abegerit; etiam qui ſæpius abegit, licet ſemper unum vel alterum pecus, abigeus tamen eſt *d. l. ult.* §. *qui ſæpius.* Illud exigimus, ut de grege, armento, aut à ſtabulo, vel è paſcuis pecus abactum ſit: cæterum ſi quis boves aberrantes, vel equos in ſolitudine relictos abegerit, non eſt abigeus, ſed fur potius *l. 1. §. 1. D. h. tit.* Pœna hujus criminis non una eſt: gladii, metalli, operis publici, relegationis, ademtionis ordinis. Gravius puniuntur viliores: gravius qui cum gladio abigunt *l. 1. §. quanquam l. 2. D. h. tit.* gravius qui majora animalia equos, boves *ead. l. 1. §. ſed & qui porcam*: gravius in ea regione, ubi frequentius id genus maleficii eſt *d. l. 1. pr. h. junct. l. 16. §. pen. D. de pœn.* e. g. in Hiſpania: erant enim Hiſpani olim maximi abigei *Cujac. in par. h.* Qui autem à ſtabulo abigunt, utrum plenius, an lenius coërcendi ſint, controverſum eſt. Lex *ult.* §. 1. *h. tit.* habet *plenius*: Cujacius *in par. & 6. obſ.* 8. emendat *lenius* auctoribus Græcis. Nobis vulgata lectio placet auctoribus Latinis, Paulo & Ruffino *in collat leg. Moſ. tit.*

tit. de abig. ubi teſtantur atrociores eſſe qui à ſtabulo abigunt.

6. *Injuria.* Injuria ſi levis fuerit, civiliter vindicatur: ſin atrox, etiam in crimen ſubſcribitur extra ordinem §. *in ſumma Inſt. de inj ur. l. prætor 7. §. poſſe D. eod. l.* 1. §. 1. *D. de extr. crim.* Rectiſſimè enim id auctoribus noſtris placuit, ut ſi res ſatis modica ſuerit qua de agitur, ad examinationẽ civilem actor remittatur *d. l.* 2. *D. de fur. baln. l.* 1. §. *ult. D. de abig. Paul.* 5. *ſent.* 18. §. *ult. l.* 1. §. 1. *&* 2. *D. Si ventr. nom. mul. in poſſ. miſ. vid. Dd. in* §. *gallinarum Inſt. de rer. div. Covar.* 1. *var. reſol cap.* 3. Statuitur autem ex cauſa & perſona: ſervi quidem flagellis cæſi dominis reſtituuntur: liberi verò humilioris quidem loci fuſtibus ſubjiciuntur: cæteri vel exilio temporali, vel interdictione certæ rei coërcentur *l. ſed ſi* 17. §. *cum ſervus l. ult. D. de injur. l. hos accuſare* 12. §. *ult. D. de accuſat.* ob famoſum autem libellum pœna capitis ſtatuitur, non ſolùm in auctorem, ſed & in eum qui vulgaverit, quive inventum non corruperit *l. un. C. de famoſ. libell.*

7. *Sepulchri violatio.* Sepulchrum eſt omnis ſepulturæ locus, ubi corpus oſſave hominis condita ſunt *l.* 3. §. *ſepulchri D. de ſep. viol. l.* 2. §. *ſepulchrum D de relig. & ſumt. fun.* Violat qui diruit *l.* 2. *D. h.* qui terram evellit, ſaxa vel quid aliud aufert *l.* 4. *&* 5. *C. eod.* qui inhabitat, inædificat *l.* 3. *pr. &* §. *ſi quis in ſepulchro &* §. *pen. D. eod.* qui cada-

cadavera vexat ſpoliatve *ead.l.3.§.adverſus eos l. ult. D.eod. l.4.in fin.C.eod.l.ne corpora 38. D. de relig. & ſumt. fun.* Violat & qui mortuum infert in ſepulchrum, in quod inferendi jus non habet *d.l. 3.§.ſi quis*: & qui prohibet aliquem inferri quo jus inferendi eſt *arg.l. ult. C. h. & d.l.38.D.de relig.* De ſtatua in monumento poſita, an detur hoc judicium dubitari poteſt. Dari exiſtimamus eâ ratione, quia ſtatua monumenti eſt, ſicut oſſuarium *l. 2. D. h. tit.* nec movemur *l. ſi ſtatua 27. D. de injur.* Sanè de cenotaphio non datur: nec enim cenotaphium ſepulchrum eſt *l. 7. D. de rer. div. l. monumentum 42. D. de relig. & ſumt. fun.* Ornamenta non rectè cum corporibus conduntur *l. etſi quis 14. §. non autem D. eod. l. 4. §. non fit locus D. ad leg. Jul. pecul.* nihilominus qui his cadavera ſpoliaverit, criminis reus eſt *d.l. 3.§.adverſus D.h.t.* Pœna capitalis eſt, ſi oſſa eruta, vel corpora extracta ſint: aliâs relegationis: in ſpecie *l. 4. & ult. C. h. t.* pecuniaria. Edicto prætoris etiam actio datur, ei ad quem ea res pertinet, quanti ob eam rem æquum videbitur: ſi non ſit; aut agere nolet, datur popularis actio, quicunq; agere volet in C. aureos ſepulchro violato, in CC. ſepulchro inhabitato inædificatoque *l. 3. D. h.* Cui pœna ſit applicanda quæritur? Placet media ſententia dividentium eam pecuniam inter fiſcum & actorem.

8. *Con-*

8. *Concuſſio.* Concutere eſt terrorem injicere pecuniæ vel alterius rei extorquendæ cauſa. Hoc crimen committunt, qui cum imperio & poteſtate ſunt: item metatores, qui hoſpitia militibus præbenda deſignant, centuriones qui tyrones erudiunt, ſi terrore injecto à ſubjectis vel provincialibus quid extorqueant *arg. l. illicitas* 6. §. *illicita* & §. *ne tenuis D. de off. præſ. l.* 3. *C. de cond. ob. turp. cauſ.* item qui ſimulato magiſtratuum juſſu aliquid extorſerint *l.* 1. *D. h. tit.* quod de nuntio vel apparitore tradit Damhoud. *prax. crim. cap.* 29. *rubr. de concuſſ. n.* 5. de procuratore fiſci Farin. *quæſt.* 141. *n.* 39. & *ſeqq.* Hujus criminis nomine competit primùm privata actio ex edicto de calumniatoribus *l.* 1. *pr.* & §. *pen. l. pen. D. de calumn.* Dein condictio ob turpem cauſam *d. l.* 3. *C. de cond. ob turp. cauſ.* Tum accuſatio extraordinaria *l.* 1. & 2. *D. h. tit.* Adhæc judicium publicum legis Juliæ repetundarum *l.* 1. 3. 6. *D. ad leg. Jul. repet.* Demum judicium publicum legis Corneliæ de falſis *d. l.* 2. *D. h. l.* 1. *pr.* & §. 1. *D. ad leg. Corn. de falſ.*

9. *Prævaricatio.* Prævaricator eſt, qui cauſam adverſario donat, & ex parte actoris in partem rei concedit *l.* 212. *D. de V. S.* vel, qui colludit cum reo, & tranſlaticiè munere accuſandi defungitur, eo quod proprias quidem probationes diſſimulat, falſas verò

verò rei excuſationes admittit *l.* 1. §. *prævaricatorem D. ad SC. Turpil.* à varicando dictus *l.* 1. *pr. D. h.* nam qui prævaricatur, ex utraque parte conſiſtit; quinimò ex adverſa *l.* 4. §. *pen. D. de his qui not. infam.* Eleganter Plaut. *in Menæchm.*

Non equidem mihi te advocatum pater adduxi, ſed viro.
Hinc ſtas, illinc cauſam dicis.

Judicium autem prævaricationis duplex eſt, publicum & extraordinarium. Publicum in accuſatorem, qui judicio publico non ex animo egit; ex qua cauſa eadem pœna adficitur, qua teneretur ſi ipſe in legem commiſiſſet, qua reus per prævaricationem abſolutus eſt *l. pen. D. h. tit.* Extraordinarium in eundem, ſi judicio privato prævaricatus ſit: item in advocatum ſive is publico, ſive privato judicio prævaricatus ſit *l.* 1. §. 1. *l.* 3. §. 2. *D. h. tit.* Hodiè verò omnes prævaricatores extra ordinem coërcentur *l.* 2. *D. h. tit. adde l. ſunt præterea* 8. *D. de extr. crim. l.* 38. §. *ſi quis inſtrumentum D. de pœn.*

10. *Receptatio latronum vel aliis criminibus reorum.* Tenetur hoc crimine qui eos receptaverit, occultaverit dolo malo; quive cum apprehendere poſſet, pecunia accepta, vel ſubreptorum parte dimiſerit *l.* 1. *D. de receptat. l.* 1. & 2. *C. de his qui latr. vel al.* Qui ignarus recepit, aut qui ad hoc recepit ut proderet, non tenetur. 3. §. *non tantùm D. de*

D.de incend. ruin. naufr. Quâ ratione rectè ab interpp. traditur cauponem vel ſtabularium, qui hoſpitio ſubitario latrones recepit, excuſari: neque enim eligit ſibi viatores, nec repellere poteſt iter agentes *l.un. in fin. D. furt.adv.caup.naut. Bartol in l. omnes C.de agric.n.* 1.*Chaſſ. in conſuet. Burgund. ad rubr.*1.*n.*65. Excuſantur etiam, aut certè mitius puniuntur, apud quos latro adfinis vel cognatus conſervatus eſt *l.*2. *D.h.Chaſſ. d rubr.*§.5.*n.*13. *Gail.* 2.*de pac. publ.cap.*10. Qui privatorum delictorum reos receperit; an teneatur quæritur? Negat Weſemb. *in par. h.* non rectè: de fure enim recepto id diſertis verbis ſcribitur *in l. congruit* 13. *D. de off.praeſ.* Pœnæ pro qualitate admiſſi variæ ſunt: vel enim perinde puniuntur ut latrones qui recepti ſunt *l.*1.*D.h.l.*1.*C.de his qui latr.* vel mitius extra ordinem *l.* 2. *D. h.l.ult.§ ult.D.de abig.d.l.congruit D.de off. praeſ.*

11. *Expilatio hereditatis.* Hujus criminis reus fit, qui rem hereditariam ante aditam hereditatem, vel poſt aditam, antequam ab herede res hereditariæ poſſeſſæ fuerint, intervertit *l.*2.*D. expil.her.* niſi expilans uxor fuerit defuncti: ea enim, quia ſocia eſt, rei divinæ atque humanæ, nec furti tenetur *l.* 5. *D. h, l.* 4. *C. eod. l. quamvis* 17. *C. de furt. l. heres* 33. *D. de neg.geſt. l.* 1. *D. rer. amot.* Quo argumento dicendum, nec co-

coheredem teneri hoc crimine *l. 1. C. h.tit. l. 3. C. fam. erciſc.* quam tamen ſententiam Duarenus *h.* ita limitat, niſi evidens dolus arguatur *arg. l. meritò 51. D. pro Soc.* nos hanc limitationem nec unius æſtimamus aſſis. Pœnæ, quibus coercitum fuerit hoc crimen, jure expreſſæ non ſunt: ac nec expreſſis valdè opus fuit, cum crimen ſit extraordinarium. Planè non dubitant Dd. quin corporalis pœna infligi reo poſſit. *vid. Meno. h. 2. arbitr. quæſt. caſ. 299. cum ſeqq. Gomeſ. tom. 3. reſol. 5. n. 16. Coler. deciſ. 188.*

12. *Crimen termini moti*: quo tenetur, qui terminos finium cauſa poſitos propulerit, avulſerit: item qui finium obſcurandorum cauſa faciem locorum converterit, ex arbore arbuſtum, ex ſylva novale, aut aliquid ejuſmodi faciendo *l. 2. & 3. D. h. tit.* Modus pœnæ ex conditione perſonæ & mente facientis ſtatuitur: alii relegantur; alii ad opus damnantur: ſunt qui verberibus rem decidunt; ſunt qui capite luunt *d. l. 2. & l. 3. §. 1. h.* Concurrit autem cum accuſatione extraordinaria actio popularis ex lege agraria Caji Cæſaris, quâ reus in terminos ſingulos quos ejecerit locove moverit, quinquaginta aut eos in publico dare jubetur *d. l. 3. D. h.* Ita Cujacium ſecuti conciliamus *l. 1.* cum *3. h.* quas Dd. longa & moleſta diſtinctione implicant magis quam explicant. Nec tamen abhor-

ret

ret à ratione quod Argentreus ſcribit *ad conſuet. Brit. tit.* 24. *art.* 590. qui leges diverſorum temporum & auctorum, abrogari alias ab aliis putat.

13. *Coitio collegii illiciti:* Rei ſunt, qui collegium vel quodcunque corpus celebraverint, non ex Sc̄ti vel Cæſaris auctoritate; etiamſi honeſtus prætexatur titulus; veluti ſpecies religionis, aut voti ſolvendi *l.* 1. §. 1. *l.* 3. §. 1. *D. de colleg. & corp. l.* 2. *D. de extr. crim. l. conventicula* 15. *C. de epiſc. & cler.* Licita fuere collegia pontificum, argentariorum, publicanorum, piſtorum, naviculariorum, fabricenſium, Judæorum *l.* 2. §. *deinde ex his legibus D. de orig. jur. l.* 6. *pr. D. de edend. l.* 1. *D. Quod cuj. univ. nom. l.* 1. *C. de Jud. tit. C. de fabricenſ.* Alia ferè omnia prohibita: prohibendi autem ratio partim factionum metus; partim commiſſationum & compotationum intemperantia, ex qua nefandiſſima quæque ſcelera naſcuntur *Cuj.* 7. *obſ.* 30. Pœna arbitraria eſt: aliquando præter diſſolutionem collegii nil gravius patiuntur collegæ *l.* 3. *pr. D. de coll. & corp.* aliquando tenentur eâ pœnâ, quâ tenentur, qui hominibus armatis loca publica vel templa occuparunt *l.* 2. *D. eod. i. e.* pœna legis Juliæ de vi, uti Duarenus autumat: vel, ut alii, legis Juliæ majeſtatis *l.* 1. §. 1. *D. ad leg. Iul. maj.* ſi nimirum ſeditioſum ſit collegium, & contra ſalutem principis vel reip. coierit. 15. *Stel-*

14. *Stellion. tus*: à ſtellione, verſi. tiſſimo (ſi Cujacio credimus) lacerti genere dictus, his objicitur, qui dolo & improbiore fraudulentiâ quid fecerunt; ſi quod objiciatur, crimen aliud non ſit *l.* 3. §. 1. *D. h. tit.* Species ſunt: Si quis rem alii obligatam, diſſimulata per calliditatem obligatione alii diſtraxerit, vel permutaverit, vel in ſolutum dederit *d. l.* 3, §. 1. vel obligaverit *l.* 1. *& ult. C. eod.* Si quis rem alienam pignori dederit *l. tutor.* 16. §. 1. *D. de pigr. act. l.* 2. *C. h. tit.* aut æs pro auro *l. ſi quis* 36. *pr. D. de pign. act.* Si quis merces ſuppoſuerit, vel obligatas averterit, vel corruperit *l.* 3. §. 1. *& ult. D. h. tit.* Si quis impoſturam fecerit, vel colluſionem in necem alterius *ead. l.* 3, §. 1. Si creditor pecuniam non numeratam accepit, vel numeratam iterum exegit *l. ſi fidejuſſor.* 29. §. *in omnibus D. mandat.* His quidam adjiciunt eos, qui inſtrumenta alterius prodiderint, literas aperuerint: Non rectè opinor; hi enim falſi tenentur *l.* 1. §. *is qui depoſita D. ad leg. Corn. de falſ. Clar.* 5. *ſent.* §. *falſum.* *n.* 26. *Eman. Soar. lit. l. n.* 182. Pœna opus metalli excedere non debet in plebeis: in his autem qui ſunt in aliquo honore poſiti, ad tempus relegatio vel ab ordine motio remittenda eſt *d. l.* 3. § *pœna D. h. tit.* Judicium autem pœnale cum hoc crimine concurrit nullum; tametſi rei perſecutoriæ actio-

actiones concurrere poſſint *d. l.* 3. §. 1. *D.h. l.* 1. §. *ult. l.* 16. *pr.* & § 1. *D. de pign. act.*

15. *Dardanariatus.* Dardanarii à Dardano quodam (uti Guil. Gentius ſuſpicatur) vocitati, qui & pantapolæ *nov. valent. de pantap.* ſunt qui quaſcunque merces coemtas ſupprimunt, dum ex raritate adfectant caritatem: quique fructus ſuos æquis pretiis vendere nolunt, dum minus uberes proventus expectant. Pœna non una eſt: nam ſi negotiantes ſint, negotiatione eis interdicitur: interdum & relegantur: humiliores ad opus publicum dantur *l. annonam* 6. *D. de extr. crim.* Dardanarii & illi ſunt, qui falſo menſurarum ponderumve modo annonam onerant, & coërcentur extra ordinem, vel ex edicto D. Trajani pœna legis Corneliæ de falſis *d. l.* 6. *l. pen. D. ad leg Corn. de falſ. l. in dardanarios* 37. *D. de pœn.* Etiam pœnam mortis infligi poſſe, ſi diutius & ingenti cum reip. malo annona flagellata ſit, recte tradunt Remus *ad conſt. crim. Carol. V. art.* 113. Menoch. 2. *arbitr. jud. quæſt. caſ.* 317. Dardanariis adfines ſunt, qui monopolia exercent, ſive frumenti, ſive cujus cujus mercis, veluti pectinis, echini i. e. herinacei cujus cute veſtes expoliuntur *Cuj.* 10. *obſ.* 19. Pœna eſt exilium & publicatio bonorum. His proximi ſunt negotiatores qui paciſcuntur ne minoris ulli vendant merces ſuas, eo quod

ſtatuerint convenerintque invicem pretio. Pœna eſt XL. librarum auri. Eidem pœnæ ſubjiciuntur artifices,qui pacti ſunt,ne opus ab uno cœptum alius adimpleat. *l. un. C. de monop.*

16. *Scopeliſmus.* Quædam crimina certis provinciis peculiaria ſunt; ut σκοπελισμὸς i. e. lapidum poſitio Arabiæ crimen: cum inimicus in prædio inimici lapides ponit; indicio futuros, eum, qui agrum illum coluerit, malo letho periturum inſidiis eorum qui lapides poſuerint. hanc rem exequi præſides graviter ſolent, uſque ad pœnam capitis; quia & res ipſa mortem comminatur *l. ſunt praterea* 9. *D. de Extr. crim.* Verba (uſque ad pœnam capitis) Riminaldus jun. *in l. imperium D. de juriſd. n.* 161. Maran. *part.* 4. *diſt.* 1. *n.* 59. *&* 64. accipiunt excluſivè, ita uti mortis pœnam excludant: non rectè; repugnat enim ratio ſubjecta, ſimul & oratio. Cæterum de ſcopeliſmo quidam intelligunt locum Jobi. 5.23. *cum lapidibus agri erit fœdus tuum*; quod licet appoſitè dici videatur; tamen diſplicet magis quam placet: illud potius his verbis exprimitur quod *Pſal.* 91.13. legimus.

17. *Solutio aggerum Nili.* In Ægypto extraordinarium crimen eſt, ſi quis ruperit chomara, i. e. aggeres qui aquam Niloticam continent, antequam incrementum Nili exceſſerit duodecimum cubitum: item ſi quis

quis exciderit arborem ſycaminonem (alii ſycamorum) hæ enim arbores colligunt aggeres Nili. Pœna eſt vel metalli, vel operis alterius publici *l. pen. D. de extraord. crim.* Ex conſtit. Honorii & Theodoſii, qui aggeres ruperit igni ſubjicitur: conſcii & conſortes deportantur *l. un. C. de Nil. agg. non rump.*

18. *Abactio partus*, Quæ partum data opera abegerit, ſi Marciano credimus, extra ordinem accuſatur *l. 4. D. de extr. crim.* Sin Ulpiano, lege Corneliâ de Sicariis tenetur *l. 8. D. de leg. Corn. de Sicar.* Placet. interpp. diſtinctio, uti ſi fœtus ante diem quadrageſimum abactus ſit, coërceatur extra ordinem: Sin poſt diem xl. quia fœtus animax eſt, teneatur lege Corneliâ de Sicariis *gloſſ. in d l. 8. Angel. in l. pen. C. de Sic. Chaſſ. ad rubr. de juſt. n. 22. Cuj. 19. obſ. 9.* Hæc diſtinctio tametſi legibus expreſſa non ſit, uſu ſervatur *Weſ. par. D. de extr. crim.* & auctoritate lxx. interpr. firmatur qui *Exod. 21. 22.* ita habent, *ἐὰν ἐξέλθῃ τὸ παιδίον μὴ ἐξεικονισμένον, ἐπιζήμιον ζημιωθήσεται. ἐὰν δὲ ἐξεικονισμένον ᾖ, δώσει ψυχὴν ἀντὶ ψυχῆς.* Pagninus vertit, *nec tamen fuerit mors*: vertit & Junius, diſertè *mortis* verbum referens tam ad partum, quam ad matrem. De partu igitur qui animax eſt, rectè poſſumus uſurpare illud Tertulliani *in apolog. Homicidii feſtinatio eſt prohibere naſci: nec refert*

natam quis eripiat animam an naſcentem diſturbet. Homo eſt, & qui eſt futurus &c.

19. *Expoſitio infantis.* Si quis ſobolem ſuam aliorum miſericordiæ, quam ipſe non habet, in publico expoſuerit, extra ordinem in eum animadvertitur *l. 2. verb. animadverſioni C. de infant. expoſ. l. pen. C. de patr. pot. l. 1. §. pœna. D. de agnoſ. vel al. lib.* niſi fortaſſe extremâ egeſtate compulſus ſanguinolentum altellum expoſuerit, quo caſu gravius non animadvertitur *arg. l. patrem 16. C. de nupt. l. 2. C. de patr. qui fil. diſt. Cuj. in parat. C. de infant. expoſ.* Sed ſi in ſolitudinem quis infantem exportaverit, ubi periturum ſciat, non injuſtè homicidii, aut parricidii pœna plectetur. *arg. l. nihil intereſt 15. D ad leg. Corn. de Sic. l. 4. D. de agnoſ. vel al. lib. Coler. deciſ. 158.*

20. *Perjurium.* De perjurio adeò variè leges loquuntur, ut coacti fuerint interpp. diſputare, ſitne pœna aliqua in perjuros jure civili conſtituta. Nobis illa ipſa varietas legum argumento eſt, perjurium ordinarium crimen non eſſe, ſed extra ordinem arbitrio judicis vindicari. Exempla pœnarum ſunt. in *l. ſi duo 13. §. ult. D. de jurej.* ubi pejerans fuſtibus caſtigatur, cum elogio προπετῶς μὴ ὄμνυε, *i. e. petulanter ne jurato:* in *l. ult. D. ſtellion.* ubi ſtellionatus tenetur in *l. 41. C. de tranſact.*

& l.

& l. pen. C. de dignit. ubi infamia cum damno pecuniario notatur.

21. *Circulatio.* Circulatoris vox honeſta eſt *in l. ſi duos* 6. §. 1. *D. de excuſ. tut.* niſi *circuitores* legendum eſt, ut mavult Cujacius: nobis parum honeſta: Circulatores enim qui ſerpentes circumferunt, ſi cui ob eorum metum damnum datum eſt, extra ordinem coërcentur *l. ult. D. de extr. crim.* His Dd. rectè adjungunt eos qui alias quaſlibet præſtigias faciunt, ſi cui quid damni dederint. Sunt his proximi qui leves hominum mentes ſuperſtitione numinis terrent, qui ex reſcripto D. Marci in inſulam relegantur *l. ſi quis aliquid* 30. *D. de pœn.* Reſcriptum Paponius *arr. lib.* 1. *tit.* 1. *ar.* 6. eleganter producit ad eos, qui ementitas ſanctorum reliquias circumferunt, aut præſtigias faciunt, ut imagines nutu, fletu, riſu, ſudore leves vulgi mentes terreant.

22. Sunt & alia crimina extraordinaria, in quæ, quia quod diſputari poſſit vix quicquam habent, digitum intendiſſe ſufficiat. Sunt ergò hæc: Si quis ſollicitaverit alienas nuptias *l.* 1. *pr. D. de extra. crim.* Si quis conatus fuerit puero ſtuprum perſuadere eadem *l.* 1. §. *ult.* Si quis aquas, fiſtulas, lacus, quidve aliud ad injuriam publicam ſpurcaverit *ead. l.* 1. §. 1. Si quis rebus ſuis,

vel ſibi obligatis, vel debitis, quas alius poſſidet, ante titulum vel ſignum ſuum impoſuerit, quam per judicem evicerit *l.* 1. *&* 2. *C. ut nem. lic. ſin. jud. auct. ſign. nov.* 17, *cap.* 15. *nov.* 164. Si quis titulum principis prædio alieno impoſuerit. *l.* 2. *C. ut nem. priv. tit. præd.* Si homo validus una littera plus medico fuerit. *l. un. C. de mendic. val. nov.* 80. *cap.* 5. Si quis coegerit ludere *l.* 1. §. *ult. D. de aleat.* Si quis domum aleatoribus præbuerit *l.* 2. *C. eod.* Si carceri præpoſitus vel miles dimiſerit cuſtodiam *l. carceri* 8. *l.* 12. *& ult. D. de cuſt. reor.* Si quis blaſphemus fuerit *nov.* 77. Si quis ſciens filiumf. pignori acceperit *l. ult. D. Quæ res pig. vel hyp. obl. non poſ.* Hiſce ſimilia & alia quædam occurrunt; ſed quia uſum exiguum foro præbent, & vix temporibus noſtris commodari poſſunt, viſum eſt eà præterire.

AUCTARIUM.

Ad Theſ. 4.

Conſtitutio criminalis Caroli V. & ſtatuta plerarumque regionum, furtum magnum, quod qualificatum vocant, capite plectunt. Qualificatum autem multis modis dicunt; perſona, re, tempore, loco, modo. Argentr. tit. 24. art. 585. *Nos capitale ſolùm agnoſcimus plagium* Deut. 24. 7. *& ſacrilegium* Joſ. 7. *forſan & violentum agnoſcere poterimus capitale* arg. Exod. 21, 2. *reliqua ferè*

ferè omnia ſubjicimus novellæ Juſtiniani.

Ad theſ. 6.

Moribus introducta eſt actio injuriarum ad palinodiam: de qua quæritur, civilis ſit, an criminalis? Criminalem non eſſe, vel actionis nomen monere poterat. Crimina enim non per actiones, ſed per accuſationes exercentur: pr. Inſt. de publ. jud.

Ad theſ. 11.

Uxorum expilatricium cauſa, utile foret, inquit Cuj. 14. obſ. 38. *revocare jus antiquum, revocatum à Leone* nov. 110. *quo inventarium rerum mariti conficere jubebatur uxor, intra tres menſes à morte defuncti: ni feciſſet, nihil eorum quæ abeſſe ſibi querebatur, petere poterat. Nos magis laudabimus noſtratium ſtatuta, quæ non tantum ab uxore, ſed & à marito ſuperſtite repertorium exigunt.* Zutph. tit. 3. art. 5. Velav. tit. 34. art. 5.

DISPUTATIO TERTIA
DE
PUBLICIS CRIMINIBUS ET IN SPECIE,
DE
LEGE JULIA MAJESTATIS, LEGE JULIA de VI.

Reſp. RODOLPHO HEGEMAN, *Elburgo Gelro.*

1. PUblica crimina ex eo dicta ſunt, quod cuivis ex populo executio eorum plerunque datur §. 1. *Inſt. de publ. jud.* Per executionem plerique omnes intelligunt accuſationem. Solus propemodum Goveanus 1. *var. lect.* 27. dum timet, ne hæc notatio populares actiones complectatur, cognitionem intelligit. Nos à vulgari interpretatione non diſcedimus.

2, Hæc crimina vocantur etiam legitima. *l.* 3. §. *pæna D. Stellion.* quia legem certam habent: nec ullum eſt crimen publicum, niſi quod certâ aliquâ lege publicum eſſe jubetur: Seu lex antiqua ſit; veluti Cornelia, Fabia, Julia &c: *l.* 1. *D. de publ. jud.* ſeu nova poſteriorum Imperatorum; veluti

veluti Theod. & Valent. *l.* 4. *C. de apoſt.* Arcad. & Honor. *l.* 4. *C. de hæret. & Manich.* *l.* 10. *C. de epiſ. aud.* Leon. & Anthem. *l.* 31. *C. de epiſc. & cler.*

3. Habuerunt etiam formulam, ordinem & pœnam certam *d. l.* 3. §. *pæna D. ſtellion. l.* 3. §. *ult. D. de prævar. l.* 1. §. *quorum D. ad Sc. Turpil. l. aliud fraus eſt* 131. §. 1. *D. de V. S.* Sed primùm ordo obſolevit, durante aliquandiu legum pœna *l. ordo* 8. *D. de publ. jud.* Dein & pœnæ legum exoleverunt, vindicanturque crimina omnia extra ordinem arbitrio judicis modo durius, modò remiſſius *l.* 1. §. *ult. l. hodie* 13. *D. de pæn.* Illud tamen peculiare eſt, quod publica crimina infamant omnia: extraordinaria non omnia *l. infamem* 7. *D. de publ. jud.*

4. Primum ex publicis & graviſſimum eſt majeſtatis crimen, quo majeſtas principis vel ſecuritas pop. Romani violatur: vocatur etiam ſacrilegium, tyrannis, impietas. Violatur autem majeſtas multis modis. Atrocior Species perduellio eſt: cujus rei ſunt, qui ſceleſtam inierint factionem adverſus patriam, vel principem: qui exercitum proditione, plebem ſeditionibus minuerint, nuntium, literas hoſtibus miſerint, aut caſtra, arcem conceſſerint: qui injuſſu principis dilectum habuerint, bellum geſſerint; hoſtes commeatu, armis,

telis, equis, pecunia juverint *l. 1. 3. ult. D. ad leg. Jul. maj. l. 5. C. eod. l. 2. C. Quæ res export. non deb. Tacit. annal. 1.*

5. Perduellionis etiam rei ſunt, qui ſceleſtam inierint factionem de nece virorum illuſtrium, qui conſiliis & conſiſtorio principis interſunt; ſenatorum etiam & eorum qui principi militant ex conſtit. Arcad. & Hon. 5. *C. h. tit.* Per horum enim latus princeps læditur, cum pars corporis principalis ſint. Verùm quod ad hos attinet, intereſſe puto, utrum publico, an privato odio violentur: ita, uti publicum odium & hoſtilis animus perduellionem faciat: non faciat odium privatum.

6. Species minus atroces ſunt, ſiquis confeſſum in judicio reum ac propter hoc in vincula conjectum emiſerit *l. 4. D. h. tit.* Si quis ſciens falſum ſcripſerit vel recitaverit in tabulis publicis *l. 2. D. h. tit.* Si quis privatum carcerem habuerit *l. 1. C. de priv. carcer.* Si quis adulterinam monetam conflaverit *l. 2. C. de falſ. mon.* Si magiſtratus provincialis accepto ſucceſſore, ante quinquageſimum diem exceſſerit provincia *l. un. C. ut omn jud. tam civ. quàm milit.*

7. Si quis improbo petulantique maledicto nomen principis laceſſierit, aut temulentia turbulentus obtrectator temporum ejus extiterit, integris omnibus ad principem referri debet, ut ipſe æſtimet, prætermitti

mitti an exquiri debeat *l. un. C. Si quis Imp. maled.* neque enim hoc crimen à judicibus in occaſionem habendum eſt, ſed in veritate *l. famoſis* 7. §. *hoc tamen D. h. tit.*

8. Si quis per genium principis pejeraverit, an majeſtatis reus ſit quæri poteſt. Quidam exiſtimant reum eſſe, qui conſultâ malitiâ pejeraverit: non eſſe qui inconſulto calore. Rectius alii neutrum teneri: Eſt enim perjurium ſive per Deum, ſive per Cæſarem factum, extraordinarium magis quàm ordinarium crimen *l.* 2. *C. h. tit. l.* 2. *C. de reb. cred. l. ſi duo* 13. §. *ult. D. de jurej. l. ult. D. Stellion. l. ſi quis major.* 41. *C. de transact. l. pen. C. de dignit.*

9. Si quis ſtatuas principis, & imagines violaverit, haud dubiè majeſtatis crimen contrahit. Violat autem qui trahit, cædit, conſpurcat, conflat, vel ſimile quid facit *l.* 5. 6. 7. §. *ult. D. h. tit.* Excipitur is qui ſtatuas reprobatas conflat *l.* 4. *eod.* Reprobatas intelligo, quæ ſinè permiſſu principis collocatæ ſunt, vel per injuriam privatæ collationis *l.* 3. *C. de ſtat. & imag. ub. Cuj. in parat.*

10. Eſt autem in hac quoque re modus tenendus, nec crimen in occaſionem ſævitiæ habendum. Statuam ſuam altius collocaſſe ſtatuâ Cæſaris, numo vel anulo effigiem Cæſaris impreſſam latrinæ aut lupanari intuliſſe, juxta ſtatuam Auguſti veſtimenta mutaſſe, urinam reddidiſſe, ſtatuis

coronas detraxiſſe aliarum imponendarum gratia multis crimini datum fuiſſe legimus. *Tac.d. lib.* 1. *annal. Suet. in Tiber. Spartia. in Caracal.* Verùm crudelitatis hoc fuit, non juris; eamque ob cauſam hujuſmodi ſpecies infra animadverſionem poſitas Tribonianus in libros noſtros non retulit.

11. Pœna legis Juliæ fuit aquæ & ignis interdictio: hodie ultimum ſupplicium quod irrogatur vel gladio, vel ſigne, vel beſti rum laniatu *Paul.* 5. *ſent.* 29. §. *publicâ Inſt. de publ. jud. l.* 2. *C. de falſ. mon.* Atrocius animadvertitur in perduelles, qui non tantum capite multantur, ſed & damnata poſt mortem memoria, fiſcum heredem habent; cum ſi quis ex aliis cauſis arguatur; morte crimen extinguatur *d.* §. *publica l. ult. D. h. tit.* Hæcque pœna non principes tantùm ſceleris apprehendit; ſed & conſcios, & ſatellites, & miniſtros eorum corripit. Quod ſi quis ex his indicium factionis fecerit, vel præmio & honore donatur, ſi ab initio fecerit: vel abſolutione ac venia dignus habetur, ſi vel ſerò modò incognita adhuc conſiliorum arcana patefecerit *l.* 5. *C. h. tit.*

12. Sunt qui excipiunt eum, qui probationibus ſuis diffiſus non indicat ſceleſtam factionem. Proinde quaſi index omnis accuſet: aut omnis qui accuſat, ſi probare non

non poſſit, protinus vel tormentis ſubdatur, aut pro calumniatore puniatur. Non eſt meo judicio ea mens Conſtantini *in l. 3. C. h. tit.* Quare non invitus Bartolum, Felinum, Decium & alios ſequar, qui ſinè diſtinctione ſilentium crimini imputant.

13. Porrò nec liberi reorum à pœna immunes ſunt: filii enim notantur infamia, privantur teſtamenti factione, & ſucceſſionis cujuſcunque incapaces conſtituuntur; ita ut nec patri, nec matri, nec propinquis, nec extraneis ſuccedere poſſint: filiabus quia pro ſexus infirmitate minus auſuræ creduntur, quotquot numero fuerint, ex bonis matris Falcidia ſolum ſervatur. *d. l. 5. C. h. tit.* Rigidum id quidem, & ſatis inclemens; rationes tamen rigoris duæ ſunt; quarum alteram Cicero indicat *in epiſt. ad Brutum, Commune eſſe*, dicens, *omnium civitatum, quò liberorum charitas amiciores reip. parentes redderet*: alteram ſuppeditant Impp. *in d. l. 5. Verendum eſſe ne à filiis dignitate & divitiis conſpicuis exempla paterni criminis proficiſcantur.*

14. Nepotes an filiorum appellatione in hac conſtitutione contineantur, quæritur: Placet ſententia Alber. Gentilis *in com. ad eand. l.* non contineri. Ratio eſt, quia materia eſt odioſa: In odioſis autem filiorum

rum appellatione nepotes non comprehenduntur *Decian.l.7.rer.crim.c.41.n.7.* Eâdem ratione motus putaverim nec ad emancipatos, nec ad adoptivos, nec ad naturales filios prædictam conſtitutionem pertinere. Illud non dubito, pertinere eam æquè ad filios ante commiſſum crimen natos, atque eos qui poſt commiſſum crimen naſcuntur. *Gomeſ. tom, 3. var. reſol. cap. 2. n. 16.*

15. Cum autem lex filiabus tantum Falcidiam concedat ex bonis maternis, apparet ad liberos damnati non pertinere beneficium illud cujus fit mentio *in l. cum ratio 7. D. de bon. damn. l. quando 10. C. eod.* uti nimirum ex bonis publicandis portiones certas ſalvas habeant. Ac nec libertorum quidem bona eis ſalva eſſe puto: tametſi id ſcribere videatur Jctus *in l. eorum 9. D.h.tit.*

16. Cumque liberi damnatorum priventur jure faciendi teſtamenti, quæri poteſt, utrum hereditates eorum fiſco vindicentur, an verò legitimis heredibus ab inteſtato deferantur? Benignius eſt ut legitimis dicamus cum Gomeſ. *d.loc.n.* 14. Diſſ. *Cyn. & alii. in d.l.5.§. uxores.*

17. Sunt & alia in exercendis majeſtatis judiciis ſingulari jure conſtituta: Ut quod famoſi, qui jus accuſandi non habent;

bent; & mulieres & milites, qui alienas cauſas defendere non poſſunt; & ſervi quoque deferentes audiuntur; & quidem dominos ſuos, & liberti patronos. *l. famoſi 7. l. in quæſtionibus* 8. *D. h. tit.* Quod dignitas nulla in his quæſtionibus à tormentis excipitur *l.* 5. *C. h. tit. Paul.* 5. *ſent.* 29. §. *ult.* cum aliâs digniores non facilè torqueantur *l. milites* 8. *l. decuriones* 16. *C. de quæſt. l. ex libero* 15. *D. eod. l. ſi quis decurio* 21. *C. ad leg. Corn. de falſ. l. niſi* 7. *C. de malef. & mathem.*

18. Secundum crimen publicum nobis vis erit, quæ & ipſâ lege Juliâ vindicatur. Eſt autem vis duplex: alia publica: privata alia. Publica (ſi Cujacio credimus) olim dicebatur, quam contra jus faſque inferebat perſona publica, quæ cum imperio & poteſtate eſt. Privata quam privatus. Argumento eſt Paulus *in* 5. *ſent.* 26. §. 3. Ubi pleriſque in caſibus vim publicam agnoſcit, in quibus Tribonianus agnoſcit privatam. Hodiè vis publica eſt, quæ fit armis, etiam à privata perſona. Privata quæ fit ſinè armis. Armorum autem appellatione non ſolùm ſcuta, & gladios, & galeas: ſed & fuſtes, & lapides & alia quibus noceri poteſt intelligimus §. *item lex Julia de vi Inſt. de publ. Jud. l. armatos* 9. *l. pen.* §. 1. *D. ad leg. Jul. de vi publ.* §. *recuperandæ Inſt. de interd.*

19. Eſ-

19. Ergò lege Jul. â de vi publica tenentur, qui arma, tela domi ſuæ, agrove in villa præter uſum venationis, vel itineris, vel navigationis coegerint. Qui turbæ ſeditioniſve cauſa ſervos aut liberos homines in armis habuerit. Qui cum armis, hominibuſve armatis incendium fecerit, villas expugnaverit, bona rapuerit, poſſeſſorem domo, agrove ſuo, aut nave dejecerit. Qui cum telo dolo malo in concione fuerit, aut ubi judicium publicè exercetur. Qui magiſtratus Pop. Rom. civem Romanum contra provocationem necaverit *l.* 1. 3. 5. 10. 11. *D. h. tit.*

20. Tenentur & qui ſine armis vim fecerunt, ſi vis ab eis facta atrocior ſit: cujuſmodi ſunt, qui convocatis hominibus incendium fecerint; quique ex incendio quid rapuerint. Qui fœminam per vim ſtupraverit. Qui nuptam innuptamve mulierem rapuerit. Qui legatum, oratoremve, aut comites eorum pulſaverit, injuriam fecerit. Qui reum vinxit, impediitve quo minus Romæ intra certum tempus adſit. Qui nova vectigalia exercuit *l.* 3. §. 3. & 4. *l.* 5. §. 7. *l.* 6. *l.* 7. 8. *ult. D. b. tit.* Hæc omnia & ſinè armis fieri poſſunt: propter atrocitatem tamen puniuntur credo pœna legis Juliæ de vi publica.

21. Pœna legis hujus eſt aquæ & ignis interdictio, in cujus locum ſucceſſit depor-

portatio *l.* 10. §. 1. *D. h. tit* §. *item lex Julia de vi. Inſt. de publ. jud. Paul.* 5. *ſent.* 26. Exacerbatur in ſervos, & eos qui cædi cauſam dederunt: hi enim capite puniuntur *l. ſervos* 8. *l. quoniam* 6. *C. h. tit.* ſicut & incendiarii, qui plerunque vivi exuruntur *l. capitalium* 28. §. *incendiarii D. de pæn.* & tenentur etiam lege Corneliâ de ſicariis *l.* 1. *pr. D. ad leg. Corn. de ſic.*

22. Puniuntur etiam capite, qui in turba cum telo ædes alienas aut villas expugnaverint *l. pen. D h. tit.* Qui non in turba id fecerint extra ordinem accuſantur, inque iis puniendis operis publici pœna non exceditur *l.* 1. §. *ult. l.* 2. *D. de effract. & expilat.* Hoc autem loco quæritur, an & qui oppugnaverint ædes alienas, non expugnaverint, capite ſint puniendi? Placet ſententia Weſenbecii in par. h. non eſſe puniendos: ob eam cauſam, quod regulariter non conatus, ſed conſummatum crimen capitis pœna puniatur.

23. Maximè exacerbatur pœna in eos, qui mulierem nuptam innuptamve rapuerint: nam & capite puniuntur, & bona eorum raptæ conceduntur, ſiquidem ingenua fuerit, nec devota: Sin devota virgo vel diaconiſſa, monaſterio vel eccleſiæ applicantur. Quod ſi ancilla rapta ſit vel libertina, raptor quidem capite punitur, bona tamen ei non auferuntur. Item ex hac

cauſa

cauſa poſtulati non poſſunt appellare, non fori præſcriptione uti. In ipſo flagitio deprehenſi impunè à parentibus, conſanguineis, tutoribus, patronis, dominis virginis vel viduæ occidi poſſunt: nec excuſantur, ſi non invitam abduxerint: nec matrimonium raptu quæſitum ullo modo convaleſcit. Conſcii quoque & miniſtri qui in ipſa rapina raptorem comitati ſunt, eâdem pœnâ puniuntur: qui autem in ipſa rapina comitati non ſunt, capitis quidem pœnâ tenentur, bona tamen eis non auferuntur *l. un. C. de rapt. virg.*

24. Conſtitutio ei quoque mortem comminatur, qui ſponſam ſuam per vim rapere uſus fuerit *d. l. un. verſ. quibus connumeramus.* Hoc cum durum quibuſdam videretur, ſpurium ſubdititiumque dixerunt: inprimis cum nec in Cod. Theod. *l. un. de rapt. virg.* reperiretur. Nos illis tum demum aſſentiemur, cum exemplo aliquo vetere docebunt, abeſſe etiam hunc verſiculum à Codice Juſtinianeo. Interim cum Ulpiano dicemus. *Tametſi lex dura ſit, ita tamen ſcripta eſt.*

25. Lege Iuliâ de vi privata tenentur, qui ex naufragio quid dolo malo rapuerint. Qui convocatis hominibus vim fecerit quo quis verberaretur, pulſaretur neque homo occiſus ſit: aut fecerit quo minus quis in jus produceretur; aut ut ex agro ſuo ſine

armis

armis dejiceretur: quique ipſe dejecerit, ſpoliaverit. Qui quæſtionem de alterius ſervo habuerit. Qui improbè coierit in alienam litem. Qui debitori ſuo debitum per vim extorquere conatus fuerit, aut bona ejus ſinè judicis auctoritate occupaverit *l. 1. 2. 3. & tot. tit. D. ad leg. Jul. de vi priv.*

26. Ex propoſitis ſpeciebus quædam utroque legis capite vindicantur: Ut ſi quis convocatis hominibus vim fecerit, tenetur de vi publica *l. 5. l. 10. §. 1. D. de vi publ.* tenetur etiam de vi privata *l. 2. D. de vi privat.* Idem dicendum putaverim de eo, qui quid ex naufragio rapuerit: qui quid ex incendio, ruina: conjunguntur enim plerunque in jure noſtro quatuor hi caſus; tumultus, incendium, ruina, naufragium. Et ſanè poſſe quandoque ex eodem facto utriuſque capitis crimen objici oſtendit *l. ſi præſes 32. D. de pœn.*

27. Pœna hujus legis eſt publicatio tertiæ partis bonorum cum infamia. Itaque damnatus nec ſenator, nec decurio, nec judex eſſe, nec ullum honorem capere poteſt *l. 1. l. ult. D. ad leg. Jul. de vi priv. l. 2. C. eod. l. hos accuſare 12. §. omnibus D. de accuſat. §. item lex Julia de vi Inſt. de publ. jud.* Is autem qui debitori vim fecerit extorquendi debiti cauſa, etiam jus crediti amitti ex conſtitutione D. Marci, quæ refertur *in l. pen. D. h. tit. l. extat. 13. D. Quod met. cauſ.*

AUCTA-

AUCTARIUM

Ad Theſ. 4.

M*Ajeſtatem recentiores in divinam & humaniam dividunt. Divinam violari dicunt, cum quis impium aliquid & abominandum in SS. Trinitatem dicto facto ve molitus fuerit.* Damhoud. prax. crim. cap. 61. Gomeſ. 3. var. reſol. 2. Clar. 5. ſent. recept. §. blaſphemia & §. hæreſis. Weſ. in par. D. ad leg. Jul. maj. in fin. *Non abſurdè quidem, præter mentem tamen legiſlatoris: nam lex Julia & conſtitutiones imperatoriæ tantum de majeſtate principis, populive Rom. loquuntur. Blaſphemi autem extra ordinem magis coercentur, quam publico majeſtatis judicio.*

Ad eand.

Securitatem in l. 1. D. ad leg. Jul. maj. aliqui interpretati ſunt ſalvam guardiam, vel ſalvum conductum. Non rectè: Securitas enim nihil aliud eſt, quàm ſalus & tranquillitas Pop. Rom. Nihilominus rectè dicemus majeſtatis teneri qui ſalvam guardiam principis violaverint, ſed alio ex capite: eo nimirum quo coercentur qui ſtatuas vel imagines principis violaverint.

Ad theſ. 7.

Cremutius Cordus majeſtatis judicio oppreſſus eſt, quod editis annalibus, laudatoque M. Bruto,

Bruto, C. Caſſium Romanorum ultimum dixiſſet Tac. lib. 4. annal. *Quis improbâ & petulanti linguâ Tiberio maledictum exiſtimet, cùm vel Auguſti judicio hi & viri & cives boni fuerint. Hujus enim de Catone oraculum eſt, Quiſquis præſentem reip. ſtatum mutari non vult, & vir & civis bonus eſt.*

Ad theſ. 13.

Hiſce coloribus rigor tinctus æquitatem mentitur, non adſequitur. Quæ enim æquitas, ob crimen patris ita adfligi filium, ut ſit ei vita ſupplicium, mors ſolatium? Itaque rectè dixeris hanc veterum duritiem moribus plerarumque regionum in melius mutatam: ut patris quidem hereditas fiſco vindicetur; filii autem nec infames, nec inteſtabiles nec incapaces fiant. vid. Clar. in 5. ſent. §. læſa majeſtas n. 10. & 14 Schneid. in §. publica Inſt. de publ. jud. Boer. tract. de ſedit. §. 6. n. 23. Gudel. lib. 5. de jur. noviſ. cap. 16. n. 24.

Ad theſ 23.

Qui volentem abduxit, non eo minus raptor eſt; quia velle non intelligitur quæ circumvenitur & ſeducitur l. 3 §. *ſi quis volentem* D. de hom. lib. exhib. *An ergo & inconſultis parentibus clam ductam; pro rapta interpretari debemus? Ita Cujacius facit in parat. C. qui loc amplius, ex Joannis ſententia, conſtitutionem de raptis producit ad adoleſcentes illecebris vetularum ad matrimonium inſciis parentibus illicefactos. Nec ratione deſtituitur: veruntamen du-*

durius eſt blanditias,quamlibet odio legum dignas velle morte plectere. Noſtrates ſanè plerique omnes de ea quæ invita rapta eſt loquuntur: tantum abeſt, ut ad adoleſcentes blandimentis captos pœnam produci velint. Friſ.lib. 2. tit. 12. Trans-Iſul. part. 2. tit. 10. art. 13. Omland. lib. 7. art. 43. Ruræmond. part. 6. tit. 2. §. 3. art. 2. & 3. Mechlin. tit. 2. art. 12.

DISPUTATIO QUARTA
AD
LEGEM JULIAM DE ADULTERIIS, STUPRIS, ET INCESTU.

Reſp. LUDOVICO MALAPERT *Ultrajectino.*

1. TErtium crimen publicum adulterium eſt; quartum ſtuprum; quintum inceſtus: crimina valdè cognata, eamque ob cauſam eodem titulo propoſita. Et lex quidem Julia adulterium & ſtuprum promiſcuè & καταχρηστικώτερον appellat: Sed propriè adulterium in nupta committitur, propter partum ex altero conceptum compoſito nomine: Stuprum verò in virginem viduamve committitur, quod Græci φθορὰν id eſt corruptionem appellant. *l. 6. D. h tit. l. inter ſtuprum* 101. *D. de V. S.*

2. Eſt

2. Eſt igitur adulterium crimen publicum, quo quis uxorem alterius corrumpit. Uxorem cum dicimus, præter virginem & viduam excludimus ancillam, quæ uxor non eſt, ſed contubernalis. Quare ob ancillam corruptam non publico judicio agitur ſed privato; puta legis Aquiliæ, injuriarum, ſervi corrupti *d. l. 6. pr. D. h. tit. l.* 23. *&* 24. *C. eod. l. ſi ſtuprum* 25. *D. de injur. l. ſi quis ſervum* 9. §. 1. *D. de Serv. corr. Paul.* 1. *ſent.* 13. Poteſt etiam extra ordinem corruptor accuſari *l. ult. D. de off. præſ.*

3. Sponſam non excludimus: tametſi enim uxor verè non ſit, quæ ducta domum nondum eſt; propter ſpem tamen matrimonii in hac lege pro uxore habetur: ac nec matrimonium, nec ſpem matrimonii impunè violare permittitur. *l.* 11. §. *quærebatur l.* 13. §. *Divi D. h. tit. l. propter violatam* 7. *C. eod. Farin. quæſt* 141. *n.* 50.

4. Nec intereſt uxor juſta ſit, an injuſta: veluti peregrina vel à peregrino ducta, minor annis duodecim, ſinè conſenſu patri, domum ducta, quam quis propter neceſſitudinis vinculum uxorem habere non poteſt *d. l.* 13. §. 1. 4. *&* 8. *D. h. tit.* Sed etſi concubina ſit, adulterii accuſari poteſt: ſi modò ea ſit, quæ in concubinatum ſe dando matronæ nomen & matrisf. honeſtatem habet: ut puta quæ in patroni concubinatu eſt *d. l.* 13. *pr. h. tit. l. probrum* 41. §. 1. *D. de rit. nupt. Farin. qu.* 141. *n.* 62.

5. Hoc

5. Hoc amplius ſi uxor vulgaris ſit, adulterii accuſari poteſt: quamvis ſi vidua eſſet impunè in ea ſtuprum committeretur *d l.15.§. ſed & in ea D. h. tit l. ſi ea quæ 22. C. eod.* Excipiunt viliſſimam fœminam, veluti cauponæ famulam; quæ vina intemperantiæ miniſtrare ſolet: hæc ob vitæ vilitatem indigna legis nexibus creditur *l. quæ adulterium 29. C. h. tit.*

6. Vindicatur etiam adulterium in ea, quæ ut licentius peccaret marito repudium miſit *l pen. C. h. tit.* Item in ea cujus maritus ab hoſtibus captuss eſt *d. l. 13. §. ſi quis planè. 7. D. h. tit.* aut ſuæ publicæve rei cauſa abeſt: niſi fortè longo tempore tranſacto ſine ullius ſtupri probatione falſis rumoribus inducta, quaſi ſoluta priore vinculo ſecundis nuptiis juncta eſt: tum quia veriſimile eſt deceptam fuiſſe, nihil vindicta dignum videri poteſt. Quod ſi ficta mariti mors argumentum faciendis nuptiis probabitur præſtitiſſe, vindicari debet pro admiſſi criminis qualitate *l. 11. §. pen D. h. tit. junct. l. 18. C. eod. Farin. qu. 140. cap. 2.*

7. Si maritus rem habeat cum innupta, adulterium an ſtuprum eſt? Sunt fateor, ſatis ſpecioſæ rationes Theologorum quorundam, quibus adulterium eſſe pervincere conantur: magna etiam eſt nobis Platonis auctoritas *in 8. de leg. Si maritus eat ad non ſuam, vel uxor ad non ſuum, magnum ſcelus eſt,*

eſt, & ſint hi perpetuò infames: Et Ariſtotelis 7. *polit. cap. pen. Si quis cum alia, aut ſi quæ cum alio coierit, id ſit in turpiſſimis rebus.* Non tamen tanti ſunt, ut in foro jure civili diſceptantibus recedendum ſit ab illa certiſſima definitione: *Adulterium in nupta committitur: Stuprum in virgine vel vidua honeſtè vivente. Farin. quæſt.* 141. *n.* 76. *& ſeqq.*

9. Sunt & alii qui lege Julia de adulteriis tenentur, tametſi adulterium ipſi verè non commiſerint; cujuſmodi ſunt omnes illi quos lenocinii turpitudo collutulat. *Farin. quæſt.* 143. §. *pœna lenocinii: De pœna n.* 6. *& ſeqq.* Nominatim maritus qui deprehenſam in adulterio uxorem retinuit, vel quid de adulterio uxoris ſuæ ceperit *l.* 2. §. *lenocinii l.* 11. *pr. &* §. *ult. l.* 29. *pr. &* §. *plectitur cum. ſeqq. D. h. tit. l. ſinè metu* 17. *C. eod. l.* 3. §. *ſed etſi aliud D. de accuſat.* item qui domum præbuerit adulterio *Farin. qu.* 141. *n.* 49. *l.* 8. 9. 10. §. 1. *D. h. tit.* qui ſuaſerit *l.* 12. *D. eod.* cujus ope conſilio dolo malo factum eſt, ut vir fœminave in adulterio deprehenſi pecunia aliave qua pactione ſe redimerent *l.* 14. *D. eod.*

10. Præter hos tenetur etiam lege Julia, qui adulterii damnatam ſciens uxorem duxerit, quæve damnato nupſerit *d l.* 29. §. 1. *D. h. tit. l.* 9. *C. eod. l.* 1. §. 2. *D. de concub. l. auxilium* 37. §. 1. *D. de minor.* Qui infa-

 man-

mandæ uxoris cauſa adulterum ſubjecerit *d.l.* 14.§.1.*D.h.tit.* Qui poſt tres denuntiationes à marito ſibi miſſas cum uxore ejus deprehenſus fuerit *nov.* 117.*cap.* 15.Qui pupillam ſuam uxorem duxerit *l.* 7. *D. h. tit.* Qui Chriſtianus Judæam, quive Judæus Chriſtianam duxerit *l. ne quis* 6. *C. de Jud. & cœlicol. Farin qu.* 139.*cap.* 1.

11. Pœnam legis Juliæ plerique gladium exiſtimant, moti auctoritate Juſtiniani *in* §. *item lex Julia de adulteriis Inſt. de publ. jud.* Verùm quod Imperator gladium adſcribit legi Juliæ, non ex rogatione legis eſt, ſed ex abrogatione. Ex lege Julia pœna adulterii eſt relegatio *l.* 11. *D h.tit. l.* 5. *D.de Quæſt.l.Divus* 8. *D. de divort.* In locum relegationis ſucceſſit ex novis conſtitutionibus gladius *l. quamvis* 30. *C. h. tit.* Ex noviſſima tamen Juſtiniani conſtitutione *nov.* 134.*cap.* 10. adulteræ gladii pœna remittitur: verberata enim in monaſterium detruditur; detruſam ſi recipere maritus velit, intra biennium id facere ei ſine fraude licet. Si intra prædictum tempus non receperit, mulier tondetur, & monaſterio in perpetuum mancipatur.

12. Neque tamen omnes qui lege Juliâ tenentur, etiam gladii pœna tenentur. Ultor gladius eos perſequitur, qui adulterium verè commiſerint *d.l.* 30. *C. h.tit.* quique internuncii & miniſtri criminis fuerint

d.nov.

d. nov. 134. *cap.* 10. Cæterum eum qui damnatam adulterii duxerit, qui adultero dimiſſo adulteram retinuerit, qui pupillam, qui Judæam duxerit velle capite punire, ſatis durum & crudele foret. In hos igitur vetus legis pœna, nimirum relegatio rectius ſtatuetur.

13. Porrò præter pœnam modò ſcriptam etiam rei familiaris damnum imminet adulteris. Nam ſi uxor adulterium commiſerit, retinet maritus dotem, donationem propter nuptias, & ex parapheruis tantam portionem, quanta eſt tertia dotis *nov.* 117. *cap.* 8. reliqua bona addicuntur monaſterio: niſi ſint deſcendentes quibus bes, vel aſcendentes quibus triens defertur *d. nov.* 134. *cap.* 10. Si verò maritus adulterium commiſerit, lucratur uxor dotem, donationem propter nuptias, & ex reliquis bonis tantum, quantum tertia pars donationis propter nuptias continet. Quod ſupereſt fiſco vindicatur, niſi ſint deſcendentes, vel aſcendentes ad tertium uſque gradum, qui fiſco præferuntur *d. nov.* 134. *cap.* 10. *& ult. vid. Farin. qu* 142.

14 Datur etiam jus occidendi patri maritoque. Patri adulterum domi ſuæ, vel domi generi ſui deprehenſum quemcunque occidere licet; verùm unà cum filia: nec poteſt adultero cæſo parcere adulteræ

l. 20.21.22.23.24.32. *D.h.tit.* Marito autem adulterum occidere licet, domi ſuæ non domi ſoceri deprehenſum: nec quemlibet ut patri, ſed vilem, puta lenonem, mimum vel arenarium, judicio publico damnatum nec in integrum reſtitutum, libertum *d. l.* 24. *D. h. tit.* adulteram occidere non licet; quam & interfecto adultero dimittere ſtatim debet. Cur tam variè? Cur patri licet quod marito non licet? Placuit hoc ideò, quia plerunque pietas paterni nominis conſilium pro liberis capit: mariti autem calor & impetus facile decernentis refrænandus fuit *d. l.* 22. *D.h.tit.*

15. Licet tamen marito ſinè fraude, quem aut nolit, aut non poſſit occidere adulterum in uxore ſua deprehenſum retinere horas diurnas nocturnaſque continuas non minus viginti, teſtandæ ejus rei gratia: Idemque caput legis ad patrem producitur *l.* 25. *D. h. tit.* Quod ſi occiderit maritus, uxorem, aut adulterum quem non licet, aut pater occiderit adulterum dimiſſa filia; legis quidem Corneliæ de ſicariis reus eſt, mitius tamen punitur: quia difficile eſt juſtiſſimum dolorem reprimere *l.* 38. §. *Imperatores D. h. tit. l.* 1. §. *ult. D. ad leg. Corn. de ſicar.* Prohibet etiam lex Julia ſervos adulteræ vel patris ejus intra 60. dies manumitti ne quæſtioni ſubducantur *l.* 3. *C. h. tit.*

tit. pr. Inſt. de her. Inſt. l. 48. §. *interdum D. eod. Sicar. l.* 4.*c. de adult.*

16. Accuſatio adulterii multa ſpeciali jure conſtituta habet. *Farin.qu.* 141.*n.*104. 106. Nam primum mulier accuſandi jus non habet, tametſi de ſuo matrimonio violato queri velit *l.* 1.*C.h.tit.* cum in aliis cauſis & mulieres audiantur, ſi ſuam ſuorumve injuriam perſequantur *l.* 1.*&* 2.*D. de accuſat. l.* 4. 5. 9. 12. 14. *C. Qui accuſ. non poſſ.* Dein nec minor 25. annis accuſare poteſt, niſi ſui matrimonii injuriam perſequatur: cum in aliis cauſis accuſator minor non reprobetur *l.* 14. §. *lex. Julia D. h.tit.*

17. Adhæc licet regulariter plures ab eodem ejuſdem criminis rei peragi poſſint *l.* 2. *C. Si reus vel accuſ. mort. fuer.* nemo tamen adulterum & adulteram ſimul accuſare poteſt *l.* 15. §. *ult.D.h.tit.l. reos* 8.*C.eod.* Intelligimus autem eum, qui verè adulterium commiſit: nam quo minus is qui domum præbuit, cujuſve conſilio crimen redemtum eſt ſimul cum adultera vel adultero accuſetur, jus non vetat *l.* 32. §. *ult. D. h.tit.*

18. Præterea maritus neque uxorem, neque adulterum conſtante matrimonio accuſare poteſt: ſed uxorem dimittere ante debet, quàm vel hanc vel illum accuſet

 l. 11.

l. 11.§. *volenti D. h. tit. l.* 11. *C. eod. l. ult.* §. *illud D. de divort.* Dimiſſa uxore electionem habet utrum adulterum prius, an adulteram corripere velit *l.* 5. *D. h. tit.* Sed ſi dimiſſa alii nupſerit, ante adulterum facere reum debet *l.* 2. *pr. l.* 11. §. *licet D. h. tit l.* 14. 28. *C. eod.* niſi dimiſſæ antequam nuberet judicium denunciaverit. *l.* 16. & 17. *D. h. tit.*

19. Extraneus autem adulterum quidem conſtante matrimonio accuſare poteſt *l.* 39. §. 1. *D. h. tit.* adulteram non item, niſi ante maritum lenocinii convicerit *l.* 26. *D. eod.* Soluto matrimonio & extraneus electionem habet, adulterum prius an adulteram convenire velit *d. l.* 5. *D. h. tit.* niſi adultera ſecundas nuptias contraxerit, quo caſu idem jus videtur conſtitutum extraneo quod marito *d. l.* 39. §. 3.

20. Demum tempus hujus accuſationis quam aliarum brevius eſt. Nam cum pleraq; crimina intra annos viginti accuſari poſſint *l. querela* 12. *C. ad. l Corn. de falſ* adulterii accuſatio ferè quinquennii præſcriptione tollitur. Adultero accuſando quinquennium continuum computatur ex die admiſſi criminis: adulteræ ſex menſes utiles à die divortii; qui tamen ita ſunt computandi ne excedant quinquennium continuum ex die admiſſi criminis computandum *l.* 29. §. *ſex menſium & ſeqq. l.* 31. *D. h. tit. l.* 5. *l.* 28. *C. eod. l.* 1. §. *accuſationem D. ad Sc. Turpil. Cuj.* 20. *obſ.* 15.

21. Por-

21. Porrò ex menſibus illis utilibus primi duo id eſt ſexaginta dies utiles dantur marito vel patri ad accuſandum jure mariti vel patris: reliqui quatuor menſes dantur extraneis, vel & marito patrique ad accuſandum jure extranei *l. 2. §. pen. & ult. l. 3. l. 4. §. 1. l. 11. §. ſexaginta l. 14. §. pen. l. 30. §. 1. D. h. tit. l. 6. C. eod.* Jus mariti hoc eſt: Si intra LX. dies accuſare velit, aliis præfertur, nec timet calumniæ pœnam, ſi crimen objectum non probaverit; quandoquidem nec inſcribere in crimen tenetur *d. l. 6. & l. 30. verſ. imprimis C. h. tit. l. auxilium 37. §. 1. D. de minor.* Jus patris in eo tantùm conſiſtit, quod intra dies LX. præfertur aliis: calumniæ verò periculum non effugit: quippe, cum & in crimen inſcribere teneatur *l. 30. D. h. tit.*

22. Poteſt autem non tantùm uxor accuſari jure mariti, verum etiam ſponſa *l. 7. C. h tit. l. 11. §. quærebatur D. eod.* Nec obſtat. *l. 13. §. ſi minor. D. h. tit.* Loquitur enim de minore XII. annis domum ducta, quæ nec uxor fuit propter ætatem; nec ſponſa quia ſponſalia non præceſſerant *l. quæſitum eſt. 9. D. de Sponſal.* ideoque jure mariti accuſari non potuit. *Cuj. 6. obſ. 16.*

23. Quantum igitur ex ſuperioribus apparet, ſatis ſcrupuloſa & difficilis eſt juriſprudentia in permittenda adulterii accuſatione; multæque ſunt præſcriptiones, quæ

accuſatoribus objici poſſunt. Videamus quid novis conſtitutionibus mutatum ſit. Lex Conſtantini 30.*C. h. tit.* quinque duntaxat perſonis, quas verus dolor ad accuſandum impellit, accuſationem permittit: marito, patri, fratri, nec non patruo & avunculo: Extraneos penitus excludit. Huic conſequens eſt, ut quæ de extraneis & eorum jure modò dicta ſunt, poſt Conſtantini legem intelligantur de fratre, patruo, & avunculo. vid. *Clar.* §. *adulterium n.* 3. *Farin. qu.* 141.*n.* 34. *& ſeqq.*

24. Conſtitutio novella 117. *cap.* 8. §. 2. illud vult, ut maritus conſtante matrimonio uxorem accuſet, nec repudiet niſi convictam. Vult etiam ut maritus in crimen inſcribat. Unde ſequitur maritum hodiè calumniæ periculum ſubire, ſi crimen objectum non probaverit. Id enim ipſum vult inſcriptio & ſubſcriptio in crimen; ſolenni lege ſe vincire & in pœnam reciproci ſtylo trepidante cavere *l.* 3. *D. de accuſat. l. ult. C. eod. l.* 2. *C. de exhib. & tranſmit. reis.* Sequitur etiam maritum non teneri hodie lenocinii ob id ſolum quod retinuerit uxorem: cum & recipere damnatam poſſit *d. nov.* 134. *cap.* 10. *Gudel. lib.* 5. *de jur. noviſ. cap.* 18. *v. Far. qu.* 144. §. *retentio n.* 93.

25. Præſcriptiones quod attinet, conſtitutio Dioclet. & Max. 28. *C. h. tit.* videtur omnes removere præter exceptionem

nem quinquennii temporis, lenocinii quod marito objicitur, & illam quæ poſt ſolutum prius matrimonium ante denunciationem nuptæ competit. Verùm non eſt ita: præſcriptiones tantùm captioſas, eluſorias, moratorias removet: cujuſmodi eſt præſcriptio fori *l.* 14. *C. h. tit. l. ult. C. Theod. eod.* præſcriptio. Si non præjudicium fiat filio impuberi *l.* 11. §. *defuncto D. eod.* præſcriptio dotis reddendæ, vel debitæ à marito pecuniæ ex alia cauſa *l.* 33. *C. h. tit.* Alias autem quæ luſoriæ non ſunt, non removet. *Cuj.* 27. *obſ.* 15.

26. Quantum ad vim & effectum ſententiæ attinet, jure ſingulari conſtitutum eſt, ut abſolutio quidem adulteri mulieri proſit: condemnatio non obſit *l.* 17. §. *quæritur D. h. tit. l.* 12. *C. eod.* Contra regulam juris quæ vult *Rem inter alios actam aliis neque nocere, neque prodeſſe l. ult. C. int. al. act. vel jud. l.* 2. & 3. *C. Quib. res jud. non noc. l. pen. D. de re jud.* Quod ſi poſt abſolutionem adultero nupſerit mulier, crimen obtentu propinquitatis ac neceſſitudinis depulſum, inſtaurari adverſus utrumque poteſt *l. ſi quis* 34. *C. h. tit.*

27. Huc uſque de adulterio. Stuprum eſt corruptio virginis vel viduæ honeſtè viventis. Virginem ingenuam intelligimus non ancillam: ancillæ compreſſæ nomine pri-

vata ſunt judicia, ut ſupra dictum, non publica *l. 25. C. h. tit. l. ſi ſtuprum 25. D. de injur.* Excludimus etiam meretrices, quarum conſuetudo extra legum Romanarum pœnam eſt; cum & licentiam ſtupri apud ædiles vulgare ſolitæ ſint *l. ancillarum 27. D. de hered. petit. l. 22. C. h. tit. Tacit. annal. 2. in fin.* vide *Farin. qu.* 147. §. *ſtuprum.*

28. Sicut autem lege Juliâ de adulteriis tenentur, qui vere adulterium non commiſerunt; ita & ſtupri aliqui tenentur, tametſi ſtuprum non admiſerint: cujuſmodi ſunt qui domum præbuerunt, qui opem conſilium contulerunt, qui ex ſtupro quæſtum fecerunt *l.* 8. 12. 14. 29. §. *plectitur D. h. tit. l.* 10. *C. eod.*

29. Quantum verò ad ſtupratorem, parum intereſt quâ ratione mulierem corruperit: utrum repugnanti, an volenti, vi an dolo, aut blanditiis pudorem extorſerit. Quantum ad ſtupratam, plurimum: nam quæ vi aut dolo qui juris ſpeciem præferebat ſubacta eſt, à crimine ſtupri remota eſt: Quæ autem volens pudorem ſuum alienæ libidini ſubjecit non minus atque ſtuprator in legis pœnam incidit, *l.* 18. *&* 20. *C. h. tit.* vide *Farin. n.* 49.

30. Pœna eſt, ſi ſtuprator honeſtus ſit publicatio dimidiæ partis bonorum: Sin humilis, coërcitio corporis cum relegatione *§. item lex Julia de adulteriis Inſt. de publ. jud.*

jud. Exaſperatur in eos, quorum crimen improbius eſt. Nam qui virginem immaturam corrupit humilior in metallum damnatur, honeſtior in inſulam relegatur *l.* 38. §. *qui nondum D. de pœn.* Tutor qui pupillam corrupit, deportatur *l. un. C. Si quis eam cuj. tut. fuer.* Servus qui dominam corrupit flammis ſubjicitur, mulieri caput amputatur *l. un. C. de mul. quæ ſe propr. ſerv.* Qui vi ſtupravit in legem Juliam de vi incidit, & capite punitur *l.* 3. *l.* 5. *D. ad leg. Jul. de vi publ.* confer. *Sand. lib.* 5. *tit.* 9. *deciſ.* 11. *Farin. n.* 7. & 8.

31. Tempus accuſando ſtupro præſcriptum eſt idem quod adulterio. Stuprator poſtulandus eſt intra quinquennium continuum ex die admiſſi criminis *l.* 29. §. *hoc quinquennium D. h. tit.* Vidua intra ſex menſes utiles ex die admiſſi criminis computandos; qui tamen ita ſunt computandi, ne excedant quinquennium continuum *ead. l.* 29. §. *ſex menſium. Duaren. ad eund. tit. cap.* 8. Stuprum verò violentum ſinè præfinitione hujus temporis accuſari poteſt *d. l.* 29. § *ult.*

32. Inceſtus ſequitur, qui plerunque cum adulterio vel ſtupro conjunctus eſt, aliquando ſeparatum ab utroque crimen. Eſt autem inceſtus conjunctio fœda & nefaria cum proximis perſonis contra naturam & ſanguinis reverentiam admiſſa.

Cum igitur inceſtus omnis ſanguinem contra naturam polluat, diſtinguitur tamen quod vel juregentium admittatur, vel jure civili. *Farin.qu.* 149.

33. Juregentium committitur inceſtus cum aſcendentibus & deſcendentibus in infinitum uſque *l. ult. D. de rit. nupt.* Ex latere cum ſorore *l.* 8. *l.* 14. §. *ſerviles l.* 39. §. 1. D. *eod.* Adfines etiam committunt inceſtum juregentium, vitricus & privigna: privignus & noverca, ſocer & nurus, gener & ſocrus *l.ult.§.ult.D.de cond. cauſ.dat.*

34. Jure civili inceſtus committitur cum fratris vel ſororis filia *l.* 38. D. *h. tit.* non quod non & hanc naturalis ratio conjunctionem damnet: erubuit enim Claudius Agrippinam ducere niſi facto Sc. nec quiſquam factum imitari ſuſtinuit, præter adulatorem equitem Romanum unum: *Suet. in Claud. Tacit. annal.* 12. Sed ideò vocatur inceſtus juris civilis quia civili jure aliquando hoc matrimonium permiſſum fuit: puta dicto Scto & poſterioribus quibuſdam conſtitutionibus, ut patet ex *l. ult. C. de inceſt. nupt. l. ult. C. Si nupt. ex reſc. pet.*

35. De pœna inceſtus eſt *l.* 38. *D. h. tit.* ſed obſcura valdè: eam enucleandam ita cenſeo. Mulier ſi commiſerit inceſtum juregentium, punitur æquè graviter ac mas: Sin jure civili tenetur ſolùm adulterii

vel

vel ſtupri pœna: ſi ſcilicet per adulterium vel ſtuprum inceſtum commiſſum fuerit: nam ſi per matrimonium errore juris contractum, excuſatur, quia juris civilis ignorantia in mulieribus tolerabilis eſt *l.* 57. §. 1. *D. de rit. nupt.* Mas autem graviter punitur etiamſi jure civili inceſtum commiſerit: Scilicet ſi inceſtus per adulterium vel ſtuprum commiſſus fuerit: nam ſi per matrimonium ſufficit ſimplex adulterii pœna *d. l.* 38. *& l.* 11. §. 1. *D. h. tit.* Cæterùm gravior inceſtus pœna deportatio eſt *l.* 5. *D. de Quæſt.* & ex *l.* 4. *C. de inc. nupt. nov.* 12. *cap.* 1. confiſcatur dos, donatio propter nuptias, & ſi liberi non ſint, omnia bona: irrogatur etiam exilium cum privatione cinguli: & ſi vilis ſit perſona corporis quoque verberatio adjicitur.

36. Hæc accuſatio tametſi conjuncta cum adulterio vel ſtupro, quinquennio non perimitur, ſed durat annos XX. *l.* 39. §. *præſcriptione D. h. tit. l.* 12. *C. ad leg. Corn. de fals.* Idem judico de accuſatione Veneris prodigioſæ quæ vel virum vel fœminam mentitur. Accedit enim propius ad inceſtum nec inceſtu mitius punitur. Verum de hac, ut ſuus piis auribus conſtet honos pluribus dicere ſuperſedebimus. *Farin. qu.* 148.

AUCTA

AUCTARIUM

Ad theſ. 3. & 22.

Tanta ſi debetur reverentia ſponſalibus Romanorum, quantam noſtris deberi putabimus? Nam illa, ſi ad canones exigantur de futuro fuere: noſtra pleraque de præſenti. An ergò ultor gladius eum ferire debet, qui ſponſam alterius corrupit? Id adfirmare non timeo, cum argumentum ſacer codex ſuppeditet. Gen. 38. 34. Deut. 22. 23. Hoſ. 4. 13.

Ad theſ. 5.

Rationem exceptionis hujus viderint auctores. Nos Sextus Cæcilius docuit legem Juliam ad omnia matrimonia pertinere: nec enim ſoli, inquit, Atridæ amant uxores ſuas. Conf. Lev. 19. 20.

Ad theſ. 11.

Viderit & Juſtinianus vel potius uxor ejus Theodora, quâ ratione mulierem pœnæ gladii ſubduxerit magis quam virum; neque enim hoc relicto ſubduci illa jure potuit. Mat. claſ. 2. cap. 11. n. 26. in fin.

Ad 12.

An leno quoque capite puniendus? Non dubito, cum ipſius ille qui uxorem proſtituit, qui lacûnar ſpectare ſolet, aut ſtertere vigilanti naſo, qui cuſtodes ponit, ut voluptas negata ardentius cupiatur, non tam miniſter quàm architectus ſceleris eſſe videatur. arg. l. 1. §. ult. D. de

D. de Extr. crim. *Conf.* Farin. qu. 143. §. pœna lenocinii n. 6. & ſeqq. & qu. 144. §. lenones n. 33. *De pœna patris proſtituentis liberos Farin. qu.* 144. §. *potentes.*

Ad 13.

Moribus noſtris nec dos propriè eſt, nec donatio propter nuptias: ſucceſſit in utriuſque locum quod vocatur doarium. Conſequens eſt igitur, ut ad doarium producantur, quæ de dote & donatione propter nuptias hic dicuntur.

Ad 14.

Moribus noſtris jus occidendi neque patri, neque marito datur. Hiſpani id retinent uti teſtatur Gudel. d. cap. 18. *Neque poſsis damnare, quaſi alienum omninò à juſtitiâ & religione: Quandoquidem ut Caſsiodorus ait* lib. 1. var. *Pro amore pudicitiæ porrigere ferrum maritis, non eſt leges calcare, ſed condere. Conf.* Mart. claſ. 2. c. 11. n. 24. *Illud ſanè durum quod* Foller. *refert. pr.* crim. 2. patt. princ. verb. *item quod fuit leno* n. 12. *in regno Neapol. lenonem cenſeri, qui deporenſam in adulterio uxorem non occidit, ſed retinuit.*

DISPU-

DISPUTATIO QUINTA
AD
LEG. CORNELIAM DE SICARIIS,
ET
POMPEJAM de PARRICIDIS.

Reſp. GUILIELMO de GRUTER, *Ultrajectino.*

1. LEgis Corneliæ multa fuere capita: nos præſenti diſputatione tria potiſſimum exequemur: primum de ſicariis; ſecundum de veneficis: tertium de incendiariis.

2. Sicarii ſunt, non tantùm qui ſicas geſtant, verùm etiam qui quovis alio telo utuntur §.5. *Inſt. de publ. jud. l. ſi calvitur* §. *telum D. de V. S. l. pen.* §. *telorum D. ad leg. Jul. de vi publ. l.* 1. §. *occiſorum D. de SC. Silan.*

3. Sed etſi telo quis uſus non fuerit, occiderit tamen, ſeu manu, ſeu voce, ſive qua alia ratione ſicarius intelligitur *arg. l.* 7. §. 1. *D. ad leg. Aquil.* ut, ſi quis falſum teſtimonium dolo malo dixerit, quo quis publico judicio rei capitalis damnaretur: ſi quis cum magiſtratus eſſet, publicove judicio præeſſet, innocentem damnaverit *l.* 1. *D. h. tit.* ſi quis naufragos ſuppreſſerit, feceritve dolo malo, quo minus navi, vel periclitantibus ſubveniretur *l.* 3. §. *ult. D. de inc.*

ruin.

ruin. naufr. Si quis hominem ita incluſerit, abjeceritve, ut fame necaretur *l.* 4. *D. de agnoſc. & al. lib. l.* 2. *C. de infant. expoſ.*

4. Item ſiquis mandaverit alii cædem, tametſi manus non intulerit, occidiſſe intelligitur: eoque caſu uterque ſicarius eſt, & qui cæcidit, & qui mandavit. Nihil enim intereſt, ipſe quid facias, an per alium fieri cures *l.* 3. §. *item cujus familia l nihil intereſt D. h. tit. l.* 5. *C. de accuſ. l. pen. C. Si reus vel accuſ. mort fuer. l.* 11. §. *Si mandatu D. de injur.*

5. Idem exiſtimo, ſi quis juſſu ejus, in cujus poteſtate erat cædem perpetraverit *d. l.* 11. §. *Proculus de injur. l.* 20. *de Obl. & Act. l.* 157. *de R. J. l.* 7. §. *ſive autem D. arb. furt. caſ.* Sed ſi quis cædem ab alio factam ratam habuerit, aut cum prohibere poſſet, non prohibuerit, non temerè idem dixerim. *arg. tot. h. tit. & l.* 1. §. *quod ſi quis veneno D. de SC. Silan. Covar. in Clem. ſi furioſus part.* 2. §. 1 *n.* 5. *&* §. 2. *n.* 6.

6. Si quis cædenti opem tulerit, haud dubiè ſicarius eſt; tametſi alter princeps ſceleris patrati videatur: *arg. l.* 1 *D. de recept. l.* 54. §. *qui ferramenta D. de furt. l.* 7. *D. ad leg Pomp. l. un.* §. *& qui eis auxilium C. de rapt. virg. l.* 11. §. *ſi alius D. ad leg. Aquil.*

7. Hoc amplius quidam legis interpretatione pro ſicariis habentur, tametſi hominem non occiderint. Hujuſ[illegible]
cũ telo ambulant hominis oc[illegible]

ciendi cauſa, cujus familia, ſciente eo, adipiſcendæ vel recuperandæ poſſeſſionis gratia arma ceperit: qui auctor ſeditionis fuerit: qui hominem caſtraverit, quive caſtrari ſe paſſus eſt: qui non Judæum circumciderit *l.* 1. *l.* 3. §. 4. *l.* 4. §. 2. *l.* 5. *l.* 6. *l.* 11. *D. h. t. l.* 1. *&* 2. *C. de Eunuch. nov.* 142.

8. Quantum ad perſonas attinet eorum, qui cæſi dicuntur, parum intereſt, qualem hominem occideris, liberum an ſervum *l.* 1. §. 2. *l.* 11. §. 1. *&* 2. *D. h. tit. l.* 23. §. *ſi dolo D. ad leg. Aquil.* tuum an alienum *l. un C. de emend. ſerv. l.* 5. *D de accuſat. l.* 2. *D. h. tit. l.* 5. *D. ad leg. Pomp. l.* 3. *&* 4. *C. de patr. pot.* adultum an infantem *l. pen. C. h. tit.*

9. Ac nec illud intereſt, natum occideris, an eum qui in utero eſt *l.* 1. *D. h. tit.* ut enim Tertullianus ait *in apolog. homicidii feſtinatio eſt prohibere naſci &c.* Hoc verò ita intelligendum, ſi formatus jam fuerit fœtus: ſin minus, extra ordinem punitur, quæ partum abegit *l.* 4. *D. de extr. crim. l.* 38. §. *qui abortionis D. de pœn.*

10. Quin etiam ſi quis non alii, ſed ipſe ſibi manus intulerit animo pereundi, pro homicida damnandus videtur. Qui enim ſibi non pepercit, multo minus alii parcet *l.* 3. §. *Sic autem D. de bon. eor. q. ant. ſent. mort. ſibi conſc. l.* 6. §. *qui ſe vulneravit D. de re milit. l.* 23. § *excipitur & ille D. de ædil. ed.*

11. Sanè ſunt qui impunè occidi poſſunt:

ſunt: nempe transfuga *l.* 3. §. *ult. D. h. tit.* deſertor militiæ *l.* 2. *C. Quand. lic. unic. vind. ſe vel publ. devot.* latro & nocturnus graſſator in agris *l.* 1. *C. eod. l.* 2. 3. 4. *C. h. tit. l.* 4. *l.* 45. §. *qui cum aliter D. ad leg. Aquil.* quin & fur quicunque alius, ſeu diurnus, ſeu nocturnus, ſi telo ſe defendat, parcique ei ſine periculo non poſſit *l.* 9. *D. h. tit. l.* 4. §. 1. *D. ad leg. Aquil. l.* 54. §. *furem D. de furt.* adulter *l.* 20. *& ſeqq. D. ad leg. Jul. de adult.* raptor mulieris *l. un. verſ. ne igitur C. de rapt. virg.* ſtuprator qui vim adhibet *l.* 1. §. *pen. D. h. tit.*

12. Pœna legis Corneliæ fuit deportatio, & omnium bonorum publicatio: poſt honeſtiores quidem deportari, humiliores capite plecti cœperunt *l.* 3. §. *pen. D. h. tit.* Juſtinianus verò *in* §. 5. *Inſt. de publ. jud.* tantùm gladii pœnam proponit, eâque hodie utimur. Gravius nihilominus animadvertitur in famoſos latrones, qui furca figuntur in his locis, ubi graſſati ſunt, ut & conſpectu deterreantur alii ab iiſdem facinoribus; & ſolatio ſit cognatis interemptorum eodem loco pœna reddita. *l.* 28. § *pen. D. de pœn.*

13. Huic autem pœnæ ita locus eſt, ſi dolo homo occiſus ſit; non ſi culpa: ac ne lata quidem culpa dolo æquiparatur *l.* 7. *D. h. tit. l.* 23. §. *ſi dolo D. ad leg. Aquil.* Culpæ ergò pœna nulla eſt? mitius extra ordinem

pu-

punitur: caſus autem culpa vacuus extra pœnā eſt *l.5.§.ult.l.16.§.eventus D.de pœn. l.3.§.adjectio l.4.§.1.D.h.tit.l.1.l.5.C.eod.*

14. Eo ampliùs, etſi dolo homo occiſus ſit, aliquando tamen pœna gladii remittitur. Nam qui impetu occidunt, etſi dolo non omnino carent, tamen ſi juſtus dolor impetum concitaverit, mitius extra ordinem puniuntur. Ita reſponſum eſt de marito, qui occidit uxorem, aut adulterum quem non licet: de patre, qui occidit adulterum dimiſſa filia *l.1.§.ult.D.h.tit.l.38.§. Imperatores D.ad leg. Jul.de adult.l.4.C.eod.*

15. De eo, qui moderamen inculpatæ tutelæ egreſſus eſt, nominatim id reſponſum non eſt: rectè nihilominus plerique interpretes exiſtimaverunt, hunc quoque extra ordinem puniendum eſſe. Idem placet de eo, qui rerum, non ſalutis ſuæ cauſa alium occidit: eſt enim ratio utrobique eadem.

16. Ebrietas quoque magna, licet dolo non omnino vacua eſſe videatur, ab ordinaria pœna excuſat *l.6.§. qui ſe vulneravit D. de re milit.l.11.§. delinquitur D. de pœn.* Ebrioſitas non excuſat, ut pleriſq; placet. Nobis id adeo probatur, ut parum abſit, quin, quod ad ebrioſos attinet, Pittaci laudemus ſententiam, duplicique pœna dignos judicemus, qui conſuetudine peccandi delectantur.

17. Præterea ii qui effectu ſceleris potiri

tiri non potuerunt, ferè mitius extra ordinem puniuntur: veluti, qui cum telo ambulavit hominis occidendi cauſa, qui gladium ſtrinxit, qui percuſſit, non occidit. Poſtquam enim ultimum ſupplicium in locum deportationis ſucceſſit, in hanc ſententiam crebriori calculo itum eſt, totoq; propemodum orbe obſervatur. Teſtib. Covar. *in Clem. ſi furioſus part. 2. n. 6. & ſeqq.* Petr. de Ferrar. *tit.* 52. *gloſ. 7. n.* 2. Rebuf. *ad conſtit. reg. tom.* 1. *in procem. gloſ.* 5. *n.* 28. Gail. 1. *de pac. publ* 14. Pet. Gudel. *l.* 5. *de jur. nov. c.* 17.

18. Quid ergò? ſi quis circa perſonam errans, Mævium occiderit, cum Titium vellet, an quaſi effectu ſceleris deſtitutus mitius puniendus erit? Tentabimus hunc ordinaria pœna plectendum eſſe: fuit enim occidendi animus; occidit etiam; tametſi non eum quem deſtinaverat. Ita qui Titio injuriam facere vult, ſi Seio faciat, quem Titium putat, Sejo injuriarum tenetur *l.* 18. §. *ſi injuria D. de inj. Bart. in l.* 11. §. *pen. de pœn. Bald. in l.* 5. *n.* 9. *C. de Epiſc. & cler. Vaſq.* 3. *cont. ill. cap.* 96. *n.* 32. *Gomeſ.* 3. *var. reſol.* 3. *n.* 34. 35.

19. Idem tentabimus ſi cum Titium occidere vellet, Mævium forte aſtantem, aut prætereuntem, vel & intervenientem occiderit: eſt enim eadem utroq; caſu ratio. *Salic in l. 6. C. ad leg. Iul. de vi publ. Gomeſ. d. loc. Molin. ad conſuet. Pariſ. tit.* 1. §. 30. *n* 153.

20. Ex contrario, ſi ſcelus effectum ſit, ſed

ſed præter mentem & intentionem agentis, benignius eſt pœnam gladii remitti: veluti, ſi percutiat, non occidendi animo, occidat tamen *arg.l.* 1.§. *D. Hadrianus l.* 3.§. *adjectio l.* 4. §. 1. *l.* 14. *D. h. tit l.* 1. & 5. *C.eod.*

21. Quo poſito, ſi quis cædi mandet, occidi vetet, conſequens videbatur, homine occiſo mandantem extra ordinem, mandatarium pœna ordinaria adficiendum, ſi conſulto occiderit. *Dec. conſ.* 234. & 482. *Carrer.prax.crim. tit.de homicid.*§.*circa n.*73. *Covar.d.par.*2.§. 1.*n.*2.

22. Illud non intereſt, cum de pœna quærimus, dolo cæſus in continenti animam efflaverit, an poſt diem ex lethali vulnere obierit: neque enim ullus juris apex eſt, qui diſtinguat: quin diſtinguendum non eſſe, non obſcurè colligitur *ex l. un. C. de emend.ſerv.l* 15.§.1.*l. ita vulneratus* 51. *D.ad leg. Aquil.*

23. Si quis hominem lethaliter vulneraverit, poſt alius eundem occiderit, an uterque pœna gladii puniendus ſit quæritur? Probo eos qui exiſtimant, hoc caſu poſteriorem, qui occidit, pœna gladii; priorem mitius extra ordinem puniendum *arg.l.* 11. §.*Celſus l.* 15 §.1.*D.eod.l.pen.D.de pœn.Covar.d.part.* 2.§.2.*n.*4. *Tiraq.de pœn.leg.cauſ.* 61. *Weſ.parat.h.n.*16.

24. Si in rixa homo occiſus ſit, ictus unius-

uniuſcujuſque in hoc collectorum coniemplari oportet *l. ult. D. h. tit.* Si ea res percuſſorem non prodat, poterat dici omnes teneri, niſi cædis auctorem deſignent *arg. d. l. 11. §. ſed ſi plures l. 51. §. 1. D. ad leg. Aquil.* Verum eculeo eos ſubdi, aut extra ordinem plecti ſatius eſt, quam pœna capitis, *arg. l. 5. & pen. D. de pœn. l. Arrianus D. de O. & A. Covar. d. §. 2. n. 5. Carrer. d. tit. § 2. n. 75. Petr. de Ferr. tit. 52. gloſ. 9.*

25. Neque excipimus auctorem rixæ; tametſi Baldus *in l. 1. C. de ſerv. fugit.* ejuſque ſtudioſi exiſtimarint, eum qui pugnam inceperit, ordinaria pœna adficiendum, tan quam militet contra eum juris præſ[illegible] Sed eſt eorum ratio durior, quam par erat. *arg. l. 1. § Divus D. h. tit.*

26. Satis in ſicarios: pergamus ad veneficos, de quibus capite quinto legis Corneliæ cautum fuit. Veneficus eſt, non ſolum qui veneno occiderit; ſed & qui hominis necandi cauſa venenum malum fecerit, vendiderit, habuerit. Ex SC. etiam pigmentarii, ſi cui temerè cicutam, ſalamandram, aconitum &c. dederint, pœna hujus legis tenentur *l. 3. D. h. tit.*

27. Præterea qui mala ſacrificia fecerint, qui ſacra impia nocturnave incantandi, interficiendi cauſa peregerint: magi, mathematici, augures, aruſpices, vates, arioli, ſomniorum conjectores, & ut verbo

divi

divinatores ex SC. & conſtitutionibus principum eadem lege tenentur *l.* 13. *D.h. tit. l.* 2. 3. 4. 5. 6. *C. de malef. & mathem. Paul.* 5. *ſent.* 21. §. *ult.* & 23. §. *qui hominem.*

28. Nec ſolùm ii tenentur, qui ipſi reſponſa dederint, quibus animi populares turbari poſſunt; verum etiam qui docuerunt alios divinandi artes; item qui didicerunt. Culpa enim ſimilis eſt, tam prohibita diſcere, quàm docere *l.* 8. *C. d. tit.*

29. Pœna veneficii gladius eſt; aut aliqua gladio gravior *d.* §. 5. *Inſt. de publ. jud. l.* 28. §. *venenarii D. de pœn.* plus eſt enim hominem veneno occidere quam gladio *l.* 1. & 6. *C. de malef. & math.* Divinatores quoque vel gladio, vel peſte ferali abſumuntur *l.* 3, 5. & 6. *C. eod.*

30. Mitius puniuntur, qui non malo animo, malo tamen exemplo venenum potionemve dederint. Nam ex SC. relegari juſſa eſt ea quæ medicamentum ad conceptionem dedit, ex quo ea quæ acceperat deceſſerit *l.* 3. §. *adjectio D. ad leg. Corn. de Sicar.* Si tamen poculum amoris, vel abortionis datum fuerit, eoque mulier aut homo perierit, quia res peſſimi exempli eſt, ultimum quoque ſupplicium irrogari poterit *l.* 38. §. *qui abortionis D. de pœn.*

31. Excipit etiam à pœna veneficii Conſtantinus eos, qui remedia quæ fierint ejuſmodi, quibus non cujuſquam ſalus aut

aſti-

æſtimatio læderetur; ſed quorum proficerent actus ad valetudinem recuperandam, aut ne divina munera & labores hominum ſternerentur imbre, vento, grandine &c. *l. 4. C de malef. & mathem.*

32. Nec plura de veneficis: ad incendiarios progrediamur. Incendiarius eſt cujus dolo malo incendium factum fuerit: ſive ipſe ſua manu ſtupam tædaſve intulerit, ſive per alium id fieri curaverit; ſive adeo mandatum alterius executus fuerit. Quod ſi cœtu, converſu, turba, ſeditione incendium fecerit, etiam legi Juliæ de vi publica ſubjicitur *l. 1. l. 10. D. ad leg. Corn. de Sic. l. 11. C. qui accuſ. non poſ. l. 5. D. ad leg. Jul. de vi publ.*

33. Pœna hæc eſt; ſi qui intra oppidum incendium fecerint, prædæ, aut inimicitiarum cauſa, plerumque vivi exuruntur. Qui verò caſam aut villam incenderint aliquo lenius puniuntur. In Africa tamen meſſium incenſores gravius coërcentur: ſed & qui acervum frumenti juxta ædes poſitum combuſſerint, vincti, verberatique igne necantur *l. 9. D. de inc. ruin. nauf. l. 16. §. pen. l. 28. §. incendiarii D. de poen. d. l. 10. de ſicar.*

34. Fortuita incendia extra legis pœnam ſunt, niſi culpa caſui cauſam dederit; quo caſu civiliter exercentur, incenſarum ædium; legiſve Aquiliæ actione inſtituta

d.l.9.& l.pen.D.de inc.ruin.d.l.28.§.incendiarii de pœn.l.2. C.ad leg. Aquil.l.7.§.12. D.de pact. Paul.5.ſent.3.§.ult.

35. Quid ſi reus minus idoneus ſit, damnumve ſarcire non poſſit? Levius caſtigatur; non ſolum comminatione & verbis, ſed & verberibus, ſeu corporali animadverſione. Falſum eſt enim illud multorum axioma, Nullam corporis pœnam infligi poſſe culpæ nomine *l.3.§.1.D. de offi.præf. vig.l.2.in fin.D.de term mot.l.15.D.ad leg. Corn.de falſ.l.3.§.adjectio D. ad leg.Corn.de ſic. l.38.§.qui abortionis D. de pœn.*

36. Tantum de lege Cornelia: Sequitur Pompeja de parricidis, Parricidii vox & generis, & ſpeciei eſt. Generaliter cædem quamcunque apud Latinos auctores deſignat. Specialiter parricida vocatur qui fata parentis, liberorum, fratris, ſororis, patrui, avunculi, amitæ, conſobrini, eorumve qui propiore ſunt gradu: viri, uxoris, ſoceri, generi, ſocrus, nurus, vitrici, novercæ, privigni, patroni, ſponſi, ſponſæve & parentum eorum properaverit *l.1.3.& 4. D. ad leg.Pomp.*

37. Nec ſolum Pompeja lege tenetur, qui effectu immanis ſceleris potitus eſt; ſed & qui emit venenum ut patri daret, quamvis non potuerit dare. Tenentur etiam qui conſcii fuerunt criminis, quique ad id committendum pecuniam ſubminiſtraverunt

l.1.

l. 1. *in fin. l.* 6. *&* 7. *D. h. tit.*

38. Pœna alia inſtituta eſt more majorum: alia lege Pompeja. More majorum parricida, virgis cæſus, culeo inſuitur, cum cane, gallo gallinaceo, vipera, & ſimia: Dein in mare aut proximum flumen præcipitatur. Lege Pompeia, ea pœna adficitur, quæ eſt legis Corneliæ de Sicariis. Hodiè utraque utimur: feralis pœna eos manet; qui parentes aut liberos occiderunt: reliquos pœna gladii §. *alia deinde lex Inſt. de publ. jud. l. un. C. de his qui par. aut lib. occid. l.* 1. *&* 9. *D h. tit.*

39. Sicut autem legis Corneliæ pœna mitigatur ei, qui ſtimulo juſti doloris concitatus occidit; ita patri quoque pœnam mitigant, ſi juſti doloris vi victus filium peremerit *l.* 5. *D. h. tit.* De cauſis doloris ita tradunt, qui anteſignani multitudinis cluent. *Ex quibus cauſis filius exheredari poteſt, ex iis ſi caſus ſit, pœna patri mitiganda eſt.*

40. Quid ergo? Si filius patrem occiderit, ex ea cauſa, ex qua exheredari poterat, filio quoque pœnam mitigabimus? Haud temerè de omnibus cauſis id adfirmaverim. Sane ſi filius patrem occiderit, cum ad patriam delendam hoſtili animo veniret; ſine ſcelere id fieri, quin & præmio dignum judicaverunt majores *l. minimè* 35. *D. de relig. & ſumt. fun.*

 41. Si

21. Si filius patrem verberaverit, non occiderit. quid fiet? Præfectus urbi delictum, ad publicam pietatem pertinens, vindicabit pro modo admiſſi *l. 1. §. ſi filius D. de obſeq. par. & patr. præſt. l. 3. & 4. C. de patr. pot.* Ex contrario, ſi pater filium malè contra pietatem adficiat, ex conſtitutione Trajani invitus eum emancipare cogitur. Poteſtas enim patria in pietate, non in atrocitate conſiſtere debet *l. ult. D. Si à par. quis man. ſit l. 5. D. h. tit.*

AUCTARIUM

Ad theſ. 13.

QUid eſt, quod hos extra ordinem puniendos dicimus? Atqui M. Horatius interfectæ ſororis crimine à Tullo rege damnatus, ad populum provocato judicio, non ſolum abſolutus eſt; ſed & forti punitione librata dextera, ut Valerius ait, tantum conſanguineo, quantum hoſtili cruore gloriæ hauſit. Nos abſolutum, ea tempeſtate, non miramur: gloria auctum non adſequimur.

Nec miramur P. Dolabellam Aſiæ proconſ. damnare non ſuſtinuiſſe Smyrnæam, quæ virum & filium veneno extinxerat, quum ab his optimæ indolis juvenem, quem ex priore viro enixa fuerat, occiſum comperiſſet. Nec hæſitaſſe M. Popilium Lænatem Prat. quum rea peracta eſſet mulier, quæ matrem, dolore necatorum ab ea

ab ea liberorum accenſa, fuſte interemerat.

Ad Theſ. 22.

Lethale ſit vulnus nec ne medicorum eſt judicium, quod aliqui ex noſtris hominibus temere ſibi adrogarunt. Utrum verò perpetua hæc quæſtio eſſe debeat, an aliqua temporis præſcriptione excludi, controvertitur. Sunt qui perpetuam eſſe debere judicant: Sunt qui dierum XL. *lapſu excludunt: non deſunt, quibus annus placet. Ego neque iſtis, neque illis accedo, ſe divirum ſummum Hippocratem huic rei fundum potiorem quæro.*

Ad Theſ. 31.

Atqui circulatores hi ſunt & agyrtæ, qui extra ordinem puniuntur l. ult. D. de extr. crim. qui igitur Conſtantinus potuit eos criminis metu liberare? Reſpondent aliqui conſtitutionem à Conſtantino ante emiſſam, quam converteretur. Rectene dubito: videtur enim ante Chriſtiana ſacra profeſſus, victo ſcilicet Maxentio, tametſi ſecundum Euſebium & Græcos baptiſmum ſerius acceperit. Utcunque ſit Leonis conſtitutio LXV. *hoc genus incantationis damnans, Conſtantinianæ præferenda eſt.*

Ad Theſ. 38.

Solon interrogatus, cur ſupplicium nullum ſtatuiſſet in eum, qui parentem necaſſet; reſpondit, ſe id neminem facturum putaſſe. Sapientiùs Romani, cum intelligerent, nihil eſſe tam ſanctum, quod non violaret aliquando

audacia, ſupplicium in parricidas ſingulare excogitaverunt.

Ægyptiorum legibus, in eum qui filium abſque juſta cauſa necaviſſet, non alia pœna ſtatuta fuit, quam ut cum filii cadavere triduum concluderetur. Laudat id non nemo, ut ſapienter factum. Nos pœnam Romanis legibus expreſſam illorum acumini anteferimus.

Ad Theſ. 40.

Proſcripti hoſtes judicantur. Quidſi pater proſcriptus fuerit, impunè à filio occidi poterit? Apud Venetos id cum contigiſſet, præmia eorum legibus propoſita parricidæ data ſunt. Sed præſtaret forſitan inquit vir polyiſtor, urbem Venetorum aquarum voragine prius abſorberi, quam tanti ſceleris immanitati præmia dediſſe. L. Sullæ aliud fuit judicium, cum Sulpitium Rufum proſcriptum & in villa latentem à ſervo proditum comperiſſet, manumiſſum parricidam, ut fides edicti ſui extaret, præcipitari protinus de ſaxo Tarpejo cum illo ſcelere parto pileo juſſit. Poſtremò totum illud, quod de patre patriam deleturo diximus, aliis non probatur; qui ita cenſent: Nullum tantum ſcelus à parente admitti poſſe, quòd ſit parricidio vindicandum.

DISPU-

DISPUTATIO SEXTA
DE
POENIS.

Reſp. GISBERTO à DEDEM, *Harderviço Gelro,*

1. POena eſt delicti vel criminis coërcitio *l. ſanctio legum* 41. *D. de poen. l. aliud fraus eſt* 131. *l. ſi qua poena eſt* 244. *D. de V. S.* Eſtque vel capitalis, vel nec capitalis: & à pœna crimen aliud capitale, aliud nec capitale:

2. Capitalis eſt quæ vitam adimit, aut libertatem, aut civitatem §. *publicorum Inſt. de publ. jud. l.* 2. *D. eod l. licet* 103. *D. de V. S.* Unde Calliſtratus *in l.* 28. *D. de pœn.* capitalium pœnarum tres conſtituit gradus; ultimum ſupplicium, metalli coërcitionem, in inſulam deportationem.

3. Ultimum ſupplicium irrogatur hiſce modis; furca, igne, gladio *d. l.* 28. *pr. l.* 1. *pr. D. de abig.* beſtiis *d. l.* 1. §. 3. *D. de abig. l. perſpiciendum* 11. §. *ult l. qui ultimo* 29. *l. ad beſtias* 31. *l. ſi quis aliquid* 38. §. *actores D. de pœn.* culleo §. *alia deinde lex Inſt. de publ. jud. l. pœna* 9. *D. ad leg. Pomp. de parric.* Furcam ſubſtituit haud dubiè Tribonianus, cum Calliſtratus poſuiſſet crucem; eò, quod ſublatum eſſet crucis ſupplicium à

Conſtantino, ejuſque loco introducta furca; uti ſcribunt Nicephorus & Aurelius Victor in Conſtantino. *Cuj. in 5. ſent. Paul. tit.* 17. §. 1. & 16. *obſ.* 1.

4. Hæc ſunt, quæ in jure noſtro occurrunt ultimi ſupplicii genera: alia omnia vel incognita, vel prohibita. Prohibentur nominatim hæc: ne quis in crucem tollatur *Cuj. d. loc.* ne quis ſecuri vel telo perimatur *l. aut damnum* 8. §. 1. *D. de pœn. Spart. & Xiphil. in Caracal.* ne quis fuſtibus aut virgis ad necem uſque cœdatur, aut tormentis enecetur *d. l.* 8. §. *nec ea quidem l. pen. D. de Quaſt.* aut veneno *d. l.* 8. §. 1. aut inedia *l. non etiam* 10. *D. de interd. & releg.* aut de ſaxo præcipitetur *l. ſi diutino* 25. §. 1. *D. de pœn.* Ratio prohibitorum, crucis quidem, eſt reverentia ſigni ſalutis noſtræ: reliquorum, quia aliena videbantur ab humanitate & clementia pop. Rom. Argumento eſt Livii locus *lib.* 1. de ſupplicio Metii Suffetii, *Primum ultimumque illud ſupplicium apud Romanos exempli parùm memoris legum humanarum fuit: in aliis gloriari licet, nulli gentium mitiores placuiſſe pœnas.*

5. Proxima morti pœna eſt in metallum damnatio *d. l.* 28. *pr. verſ. deinde* vel in opus metalli: nihil enim intereſt inter metallum & opus metalli, niſi vincula; quibus gravioribus in metallum, levioribus in opus metalli damnati premuntur: unde & refugæ

gæ ex opere metalli in metallum dantur *d. l. 8. §. eſt pœna & §. inter eos autem D. de pœn l. 5. §. ult. D. de extr. cognit.* Hæc pœna libertatem damnatis aufert *d. §. eſt pœna*; ſi modò, uti jus præcipit, in perpetuum damnati fuerint: ad tempus enim nemo damnari debet: ſi id imperitia judicantis factum fuerit, damnato, tametſi metallicum opus faciat, libertas ſalva eſt *d. l. 28. §. Divus D. de pœn.*

6. Damnationi in metallum jungimus damnationem in ſalinas, in calcarias, in ſulphurarias, in miniſterium metallicorum: quæ ſi in perpetuum facta fuerit, non minus pœnæ ſervos facit, atque illa *d. l. 8. §. in miniſterium & §. in calcariam quoque D. de pœn.*

7. In tertio capitalium pœnarum gradu Calliſtratus locat deportationem *d. l. 28.* Nos ſecuti fidem Licinii Rufini *in collat. leg. Moſ. & Rom. tit. de abig.* tertium locum tribuemus damnationi in ludum, ſive venatorium, ſive gladiatorium. Hanc metalli coërcitione minorem eſſe patet ex reſcripto D. Hadriani, cujus verba Rufinus hæc habet; *Ad gladium abigei dantur, aut ſi quis tàm notus & tàm gravis in abigendo fuit, ut prius ex hoc crimine aliqua pœna adfectus ſit, hunc in metallum dari oportere.* Graviorem autem deportatione eſſe nemo dubitat, cum ſervos pœnæ faciat *d. l. 8. §. quicunque*

& §. ſervos d. l. 31. D. de poen. l. ſi quis mihi 25. §. ſi quis planè D. de adq. vel amit. her. Porrò per gladium ludum intellexit Hadrianus, ſicut & Ulpianus *in d. l. 25.* translata ſignificatione; cum alioquin multum interſit inter damnatos ad gladium, & damnatos in ludum. Illi ſtatim conſumuntur, vel certè intra annum conſumendi ſunt: hi etiam pileari & rudem accipere poſſunt. *Rufin. d. loc. Paul. 5. ſent. 17. §. 1.* Ita multùm intereſt inter damnatos ad beſtias, & damnatos in ludum venatorium: illi ſtatim conſumuntur: hi conſervantur ad populi voluptatem *d. l. 8. §. quicunque l. 6. §. ſed & ſi quis D. de inj. rupt. irr.* Poſſis dicere ludum gladiatorium à Conſtantino ſublatum eſſe, ſublatis cruentis gladiatorum ſpectaculis *l. un. C. de glad. pen tol.* verùm diſplicet id Cujacio 13. *obſ. 10.* Certè *per nov. 22. cap. 8.* pœnæ ſervitus penitus tollitur.

8. Quartus gradus complectitur deportationem in inſulam, quæ ſucceſſit in locum veteris pœnæ, qua aqua & igni reo interdicebatur *l. 5. §. ult. D. de extr. cognit. §. minor Inſt. de cap. minut.* Complectitur etiam damnationem in opus aliud publicum perpetuum præter metalli opus *d. l. 28. §. Divus D. de poen.* Utraq; ſalva libertate civitatem ſolùm aufert *d. §. Divus & l. ſunt quidam 17. §. 1. D. eod. l. 3. l. 6. pr. l. 7. §. hæc eſt* diffe-

differentia l. 14. §. 1. *l.* 15 *D. de interd. & releg. Cuj. in d. ſent. Paul.*

9. Pœnæ capitali (paucis caſibus exceptis) cohæret publicatio bonorum omnium, tàm præſentium, quàm futurorum *l.* 1. *pr. D. de bon. damn. l.* 2. *D. de bon. proſcr.* Hodiè quocunq; crimine quis damnatus ſit (excepto majeſtatis crimine, in quo veteres leges ſervantur) non publicantur bona, ſi deſcendentes ſint vel adſcendentes ad tertium uſque gradum *nov.* 117. *c.* 12. *nov.* 134. *c. ult.* Irnerius *in auth. bona damnatorum C. eod.* gravi errore pro adſcendentibus agnatos ſcripſit. Si adſcendentes non ſint, uxori dos & ante nuptias donatio ſervatur *ead. nov.* Conſervabatur & olim dos marito, ſi mulier eſſet damnata, exceptis quinque criminibus *l.* 3. *D. de bon. dam.* Conſervabatur & liberis legitima portio *l.* 1. *l. cùm ratio* 7. *D. eod.* nempè dimidia bonorum *l. quando quis* 10. *C. eod.*

10. Non capitalis pœna eſt, quæ ad exiſtimationem magis, quàm capitis periculum pertinet *d. l.* 28. §. 1. *D. de poen.* cujuſmodi ſunt, damnatio in opus temporarium *ead. l.* 28. §. *Divus Hadrianus & d. l.* 8. §. *in miniſterium D. eod. l.* 5. §. *minuitur D. de extr. cognit.* damnum pecuniarium cum infamia, aut dignitatis aliqua depoſitio, aut actus alicujus prohibitio *d. l.* 8. *pr. l. moris* 9. *D. de poen. l.* 2. *in fin. D. de publ. jud.* §. 2.

Inſt. eod. l. relegatus 7. §. pen. & ult. D. de interd. & releg.

11. Et infamia quidem in criminibus coërcendis vix unquam ſola pœnæ locum explet, ſed alias pœnas comitatur. Infamant autem crimina publica omnia *l. infamem 7. D. de publ. jud.* Extraordinaria non omnia; crimen ſepulchri violati *l. 1. D. de Sep. viol.* expilatæ hereditatis *l. ſi te 12. C. Ex quib. cauſ. infam.* & quæ deſcendunt ex ea cauſa, quæ etiam in privato judicio condemnato infamiam importat, ut furti, vi bonorum raptorum, injuriarum *d. l. 7. l. ſi furti 8. C. Ex quib. cauſ. infam. l. 1. l. 4. §. ult. D. eod. § ex quibuſdam Inſt. de pœn. tem. litig.* reliqua non item. Infamiam autem ita demum important, cum reo ordinaria pœna irrogata eſt: ſi gravior pœna extra ordinem impoſita ſit, tranſactum cum eo de exiſtimatione videtur. *l. quid ergo 13. §. pen. D. de his qui not. infam. l. in ſervorum 10. §. 1. D. de pœn.*

12. Inſignior ſpecies relegatio eſt. Relegatio eſt, cum cui vel omnibus locis præterquam inſula interdicitur; vel certo loco, aliis omnibus latæ fugæ patentibus. Eſtque vel in perpetuum, vel ad tempus: & neque civitatem, neque patriam poteſtatem, neque bona aut alia jura adimit; niſi quod ejus, qui in perpetuum relegatur bonorum pars publicari poſſit *l. 1. l. 4. l. 5. 7.*

14. *D.*

14. *D. de interd. & releg.* cum deportatio hæc omnia adimat, fiatque ſemper in inſulam, & in perpetuum *d. l.* 14. §. 1. *l. deportatus* 15. *D. eod.*

13. Admonitio quoque fuſtium, caſtigatio flagellorum vel virgarum pœnæ non capitales ſunt *l. veluti* 7. *D. de pœn.* quarum illa liberorum eſt, ſed humiliorum *l. in ſervorum* 10. *l. capitalium* 28. §. *non omnes D. eod. l.* 1. §. *cum patronus D. de off. præf. urb. l.* 5. *C. Ex quib. cauſ. infam. irrog.* hæc ſervorum *ead. l.* 10. *de pœn. l. prætor* 7. §. *præterea l. ſed eſt quæſtionis* 9. §. *pen. l. ult. D. de injur. l. levia* 6. *D. de accuſat. l.* 4. §. 1. *D. de incend. ruin. nauf.*

14. Etiam membri amputatio: *arg. d. l.* 2 *D. de publ. jud. l. ſi quis fortè* 6. *in fin. D. de pœn.* idque dubitatione caret, ſi auris, digitusve amputetur: verùm ſi pes aut manus abſcindatur, ſunt qui exiſtimant hanc capitis pœnam eſſe *Bartol. in d. l.* 2 *n.* 12. *Bald. in l.* 3. *C. de ſerv. fugit. Chaſſan. in conſuet. Burg. tit.* 1. *in verb. & juribus earum n.* 5. & 7. & *in* §. 5. *ejuſd. tit. verb. corporaliter. Weſ. in parat. D. de pœn. n.* 3. quod non placet: niſi fortè utraque manus, uterque pes abſcindatur: & id ipſum tamen fieri vetuit Juſtinianus *nov.* 134. *cap. ult.*

15. Etiam ſtigmatis inuſtio: dum meminerimus faciem hominis notari non debe-

debere *l. ſi quis* 17.*C. de poen.* cum olim fugitivi, & ex lege Remmia calumniatores in fronte notarentur *l.* 1.§.*ult. D. de ſerv. fugit*, *Cuj.* 7.*obſ.* 13 *Cic. pro Roſc. Amer. Crura quidem vobis nemo ſuffringet: ſed ſi ego hos benè novi, litteram illam cui vos uſque eò inimici eſtis, ut etiam eas omnes oderitis, ita vehementer ad caput adfigent, ut poſtea neminem alium niſi fortunas veſtras accuſare poſsitis.*

16. Quid de carcere judicandum? Id necquicquam quæritur: carcer enim jure civili non pœna eſt, ſed manſio reorum: ad continendos non puniendos habetur *d. l.* 8. §.*ſolent. l. mandatis* 35.*D. de poen. l. incredibile eſt* 6.*l. omnes* 23.*C. eod. l. ſi quis* 6.§.*ejus D. de inj. rupt. irr. fact. teſtam.* Quid de tormentis? Et hoc fruſtrà quæritur: prohibitum eſt enim pœnæ cauſa torquere hominem, cum eruendæ veritati, non puniendis ſceleribus quæſtiones ſint *l.* 1. *&* *l. pen. D. de quæſt.*

17. Hæc genera, hi gradus pœnarum ſunt. Videamus in infligendis pœnis officium judicis. Id ſummatim tribus præceptis abſolvitur I. Pœnæ ſuos debent tenere auctores *l. ſi poena* 20 *l. crimen* 26. *D. de poen. l. ſancimus* 22.*C. eod.* II. Interpretatione ſunt molliendæ potius, quàm exaſperandæ *l. pen. D. eod. l. factum.* 155. §.*ult. D. de R. J.* ſcilicet in levioribus cauſis proniores ad lenitatem judices eſſe debent; in gravioribus

bus ſeveritatem legum, cum aliquo temperamento benignitatis ſubſequi *l. perſpiciendum* 11. *pr. D de pœn.* III. Judex pro modo admiſſi vel durius vel remiſſius ſtatuere debet *l. hodiè* 13. *D. eod.* Primum & ſecundum facilè capimus. Tertium, in quo virtus omnis judicis conſiſtit, operoſius declarandum eſt.

18. Perſpiciendum ergò primùm judici, utrum propoſito an impetu quid admiſſum ſit *d. l. perſpiciendum §. delinquitur.* Gravi enim & ordinaria pœna plectuntur qui propoſito deliquerunt: Aliquo mitius qui impetu; ſi juſtus dolor, ſi cauſa juſta vel probabilis impetum concitaverit *l. 1. §. ult. D. ad leg. Corn. de ſic l. ſi adulterium* 38. *§. Imperator D. ad leg. Jul. de adult. l. 3. §. ſi tamen maritus D. de Sc. Silan. l. 2. C. ad leg. Corn. de ſic. l. 4. l. ſcientiam* 45. *§. qui cum aliter D. ad leg. Aquil. l. lex Julia* 7. *§. ult. D. ad leg. Jul. repet. l. famoſi* 7. *§. hoc tamen D. ad leg. Jul. maj. l. omne* 6. *§. qui ſe vulneravit D. de re milit. Cic.* 1. *off. Leviora ſunt ea quæ repentino aliquo motu accidunt, quàm ea quæ meditata & præparata inferuntur.*

19. Dein utrum culpa an caſu. Modicè enim plectuntur, qui culpa non dolo deliquerunt *l. 5. §. ult. l. 16. §. eventus l. 28. §. incendiarii D. de pœn. l. genero* 8. *D. de his qui not. infam. l. ferè* 108. *D. de R. J.* ac ne lata quidem culpa dolo æquiparatur *l. in lege.* 7. *D. ad*

D. ad leg. Corn. de Sicar. l. cum autem 23. §. *excipitur D. de ædil. ed.* Caſus autem culpa vacuus fato non noxæ imputatur *l.* 1. *l* 5. *C. ad leg. Corn. de ſic. l. milites* 12. *D. de cuſtod. & exhib. reor.* Quod dicimus latam culpam dolo non æquiparas. Doctores adeò firmant, ut nullam corporis pœnam ob latam culpam infligi poſſe putent. *Bartol. in l.* 1. *D. ſi is qui teſt. lib. Bald. in l. data opera n.* 20. *C. Qui accuſ. non poſs. Hippol. de Marſil. in d. l.* 7. *D. ad leg. Corn. de ſicar. Argentr. in conſuet. Brit. tit.* 24. *art.* 594. *&* 597. *Chaſſan. d. n.* 5. Non recte: contrarium enim patet ex legibus. *l.* 3. §. 1. *D. de off. præf. vigil. l. qui ædes* 9. *l. ſi fortuitò.* 11. *D. de incend. ruin. naufr. l.* 2. *in fin. D. de term. mot. l. Divus* 15. *D. ad leg. Corn. de fals. l.* 3. §. *adjectio D. ad leg. Corn. de Sic. l. ſi qui abortionis D. de pœn.*

20. Adhæc perſonarum non nullam habere debet rationem judex. Perſona autem dupliciter ſpectatur; ejus qui fecit, & ejus qui paſſus eſt. Aliter enim puniuntur ex iiſdem facinoribus ſervi, aliter liberi; hi illis lenius *l.* 1. *l.* 10. *l.* 16. §. *perſona l.* 28. §. *ult. D. de pœn.* Aliter viliores, aliter honeſtiores: illi his gravius *l.* 9. §. *iſta ferè l. Divus* 15. *l.* 28. §. *non omnes &* §. *generaliter l.* 38. §. *actores &* §. *ſeq. l. ult.* §. 1. *D. eod. l.* 5. *l. ſi matrem* 8. *l. decurionem* 12. *C. eod.* Gravius etiam punitur, qui quid in dominum paren-

rentemve auſus eſt, quàm qui in extraneum: in magiſtratum, quàm in privatum. *d. l.* 16. §. *perſona d. l.* 28. §. *omnia.* §. *atrox Inſt. de injur. l. prætor* 7. §. *atrocem. D. eod.*

21. In ejus rei conſideratione ætatis quoque ratio habenda *ead. l.* 16. §. *perſonæ:* quamvis enim minor qui doli capax eſt, & crimen contrahere poſſit, neque adverſus id in integrum reſtituatur, commiſeratio tamen ætatis pœnæ mitigationem inducit *l. ſi ex cauſa* 9. §. *nunc videndum l. auxilium* 37. *D. de minor. d. l.* 38. §. *fratres D. ad leg. Jul. de adult. l.* 1. §. *impubes D. de Sc. Silan. l. de minore* 10. *l. ex libero* 15. §. 1. *D. de quæſt. d. l. ferè* 108. *D. de R. J.* Exemplo minorum ætate quoque defectis pœnam mitigari non inconveniens erit *l.* 2. *D. de term mot. l.* 3. §. *ignoſcitur D. de Sc. Silan. cap. tanta diſt.* 86. Sed & ſequior ſexus non rarò virili mitius punitur *d. l.* 38. §. 1. & 2. *D. ad leg. Jul. de adult. l.* 5. §. *ad filias C. ad leg. Jul maj. l. ſacrilegii* 6. *D ad leg. Jul. pecul. c. indignantur* 32. *q.* 6. *c. ſicut de homicid.*

22. In perſonis etiam illud conſiderandum, utrum diu in reatu fuerint nec ne: eorum enim qui diutino tempore in reatu fuerunt, leniri ſupplicium ſolet *l. ſi diutino* 25. *D. de pœn.* In reatu fuiſſe, de accuſatis intelligo; hi propriè in reatu ſunt: tametſi

uſus

uſus produxerit ad eos qui metu accuſationis ſolum verterunt. *gloſ. & Dd. in d. l. 25. & in l. querela 12. C. de falſ. Tiraq. de pœn. cauſ. 29.*

23. Præterea locus non uno modo ſpectatur. Primum enim quod in theatro, in foro, in conſpectu prætoris admittitur, gravius eſt eo, quod in privato fit. Tum & locus corporis atrocitatem delicti auget: ut ſi in oculo quis percuſſus ſit, ſi latus hauſtum ſit *d. §. atrox. Inſt. de injur. l. vulneris 8. & l. ſeq. D. eod.* Adhæc eadem ſcelera in quibuſdam provinciis gravius plectuntur; ut in Africa meſſium incenſores, in Myſia vitium: ubi metalla ſunt adulteratores monetæ *d. l. 16. §. evenit* D. *de poen.* in Ægypto qui chomata Nili rumpunt *l. pen.* D. *de Extr. crim.* Demum gravius crimina coërcentur in iis provinciis, ubi nimium multis graſſantibus exemplo opus eſt *d. l. 16. §. ult. l. 1. pr.* D. *de abig.* & admiſſa in eo loco, ubi major delinquendi facultas: qua ratione fures balnearii aliis ſeverius puniuntur *l. 1 & 2.* D. *de fur. baln.* Quod autem Saturninus ait *in ead. l. 16. §. 4.* locum facere, ut idem vel furtum vel ſacrilegium ſit, & capite luendum vel minore ſupplicio, vix poſſis probare: ſacrilegium enim non locus, ſed res facit *l. 5.* D. *ad leg. Jul. pecul. Cuj. 13. obſ. 19.*

24. Tempus diſcernit deſertores ab eman-

manſoribus, fures nocturnos à diurnis: quorum illi his improbiores ſunt *d.l.* 16. §. *tempus* D. *de poen. l.* 2. D. *de effract. l.* 1. D. *de fur. baln.* Improbiores etiam ſunt & gravius coërcentur qui diu atque ſæpius eadem ſceleris via graſſati ſunt: mitius qui ſemel fortè deliquerint *d. l.* 28. §. *ſolent.* §. *graſſatores* §. *famoſos* D. *de poen. l.* 3. *C. de epiſc. aud.*

25. Poſtremò qualitas rei diſcernit furem à peculatore *l.* 4. D. *ad leg. Jul. pecul.* furem à ſacrilego *l.* 5. D. *eod.* Quantitas diſcernit furem ab abigeo *d. l.* 16. §. *quantitas l. ult. D. de abig.* furem parvum à magno: quorum hic potius ducendus quam ille; tametſi converſo ordine ſæpè, ut Diogenes dicebat, à magnis ducantur parvi. Modus diſcernit furem nec manifeſtum à manifeſto: furem à raptore *d. l.* 16. §. *qualitas pr. Inſt. vi bon. rapt.* furem ab effractore *l.* 1. *&* 2. D. *de effract.* à derectario *ead. l.* 1. §. *ſimili modo* à ſacculario *l ſaccularii* 7. D. *de Extr. crim.* ex quibus hi illo & improbiores & gravius coërcendi.

26. Hæc ſunt quæ judex perpendere ante debet, quam judicandi cauſa tabellam ſumat. Inculcant Dd. & alias cauſas ob quas pœna mitigetur, compendio enumeratas à Tiraq. *d. tract. de poen. leg.* Weſ. *in par. de poen.* ut ſunt; imperitia delinquentis, ruſticitas, pœnitentia, confeſſio ſpontanea,

tanea, nobilitas, paupertas, multitudo delinquentium, merita publica, inſigne artificium, officium, vita ante benè acta, mutuá compenſatio. Has non agnoſco.

27. Repetitis itaque omnibus, cum judex modò durius, modo remiſſius ſtatuere poſſit, videndum quouſque ſe extendat poteſtas illa: an pœnæ ita ſint in arbitrio ejus, ut etiam de genere ad genus tranſire poſſit? Hoc ejuſmodi eſſe puto, ut nec adfirmandum temerè, nec pertinaciter ſit negandum. Poteſt pecuniariam pœnam in corporis coercitionem commutare: hoc enim neceſſitas exprimit, quoties aliqui egeſtatis confidentia pecuniariam eludunt *l. 1. §. ult. D. de pœn. l. ſi quis id 7. §. in ſervos 3. D. de juriſd. l. ult. D. de in jus voc. l qui ædes 9. D. de incend. ruin. naufr.* Item quoties ſervi rei ſunt: in hos enim, quia pecuniariam pœnam ſufferre non poſſunt, extra ordinem durius animadvertitur *l. hos accuſare 12. §. ult. D. de accuſ. d. l. 7. §. 3 D. de juriſd.*

28. Poteſt etiam corporis coercitionem non capitalem ex cauſa convertere in capitalem: veluti relegationem in deportationem, fuſtigationem in metalli pœnam. Id ſæpè fieri videmus, ut ex quibus cauſis honeſtiores relegantur, ex iiſdem viliores deportentur, aut in metallum vel opus publicum dentur. *l. ult. D. de Sep. viol. l. 1. §. quanquam D. de abig. l. 1. D. de fur. baln. l. 1. §. 1.*

§. 1. *& ult. D de effract. l.* 3. §. *pœna D. ſtellion. l.* 5. *C. de pœn.*

29. Frequenter & illud legimus, ut ex quibus cauſis alii deportantur, ex iiſdem ſervi vel humiliores ultimo ſupplicio adficiantur *d. l.* 1. *D. de abig. l.* 3. §. *pen. D. ad leg. Corn. de Sic. l.* 1. §. *ult D. ad leg. Corn. de falſ. l.* 38. §. *actores D. de pœn.* Verùm hoc ex lege Portia aliiſque veteribus profectum eſſe videtur, quæ condemnatis civibus non animam eripi, ſed exilium permitti jubent. Saluſt. *in conj. Catil. Poſtquam reſp. adolevit, & multitudine civium factiones valuere, circumveniri innocentes, alia hujuscemodi fieri cœpere. Tunc lex Portia aliæque leges paratæ ſunt, quibus legibus exilium damnatis permiſſum eſt.* Quare cum civitatis Romanæ ſit jus hoc proprium & peculiari ratione conſtitutum, non temerè id judex ſequetur, ut ab inferioribus pœnarum gradibus ad ſupremum transgrediatur; aut contra à ſupremo ad inferiores dilabatur, alioquin violabit regulam illam juſtitiæ, quæ peccatis pœnas æquas eſſe jubet. In primis, quotiens pœnæ jure divino expreſſæ ſunt, non temerè judex eas commutabit. e. g. Sicarium lex divina morte mulctat *Gen.* 9. 4. *Exod.* 21. 12. mulctat & adulterum *Lev.* 20. 10. *Deut.* 22. *verſ.* 22. non debet ergò judex vel hunc relegare vel illum deportare.

Con-

Contra furtum jure divino capitale non eſt, *Exod.* 22. non rectè igitur ad laqueum damnabit judex fures.

30. Quia tamen ſalus populi ſuprema lex eſt, neceſſitate reip. urgente exiſtimaverim pœnas ita exaſperari poſſe, ut ab inferioribus gradibus ad ſupremum tranſcendamus. Argumento fortiſſimo ſunt militares ſanctiones, quæ plerunque capite mulctant milites, ex quibus cauſis pagani vix modicè plecterentur: nec tamen jure divino improbantur, *arg.* 1. *Sam.* 26. 15. 1. *Reg.* 20. 39. *Luc.* 3. 14. *Act.* 10. 35. & *ſeqq.*

AUCTARIUM

Ad theſin. 11.

QUæ infamant crimina, ipſo jure infamant: Quamobrem non poterit judex condemnato honorem reſervare.

Ad 12. & 13.

Relegationem cum fuſtigatione conjunctam hodie poenam capitalem eſſe, tum alii adfirmant. tum apud Saxones peculiariter verum eſſe tradit Weſ. in parat. de pœn. n. 3. eò quod apud Saxones, ſucceſſerit in locum deportationis. Vim argumenti non aſſequor.

Ad 16.

Hodiè carcer & manſio eſt, & poena: capitalis nec ne? Diſtinguendum, arbitror; carcer perpetuus capitalis poena eſt: non perpetuus contrà.

Ad 17.

Habent Doctores & hoc præceptum, Extenſio legis pœnalis non admittitur. Verùm hoc verum eſt non niſi de genere pœnæ Duar. in l. 7. D. de juriſd. in aliis extenſio legis poenalis admittitur, uti patet ex l. 3. D. ad leg. Pomp. de parric. l. SCto. 59. l. libertum 64. D. de rit. nupt.

Ad 29.

Hanc peccati & pœnæ æqualitatem leges Romanæ alicubi non obſervant. Leges veterum Germanorum impingunt ſæpius. Lex Saxonum : Qui nobilem occiderit ICCCCLX. *ſol. componat. Qui litum* CXX. *tit.* 2. *Qui caballum furatus fuerit, capite puniatur tit.* 4. *Lex Longobardorum : Si ex conſilio alterius quis mortuus fuerit, mortuum componant werigildo lib.* 1. *tit.* 3. *Si quis furtum fecerit, & in ipſo furto tentus fuerit, componat pro tali culpa ſol.* XL. *aut certè occidatur tit. de fur. Lex Alamannorum : Si quis uxorem alterius contra legem tulerit* LXXX. *ſol. componat. tit.* 51. *Si quis liberum hominem occiderit, componat cum ſol.* LXXX. *tit.* 68. *Lex Bajoariorum : Si quis cum uxore alterius concubuerit, componat hoc marito ejus, cum werigeldo* CLX. *ſol. tit.* 6. *Si quis liberum hominem occiderit, ſolvat* CLX. *ſol. tit.* 3. *Impingunt etiam conſtitutiones Siciliæ lib.* 3. *tit.* 40. *Adulterinam monetam ſcienter accipientibus poenam capitis irrogamus. tit.* 43. *Contra adulteros & adulteras,*

non

non ut olim gladio eſt agendum, ſed confiſcatione, naſi truncatione, flagellatione. Habet ſimilia noſtrum ſeculum; cum quo ne rixari videremur, vetera maluimus: quandoquidem

Securis licet Æneam Rutulumque ferocem
Edere, nec cuiquam gravis eſt percuſſus Achilles,

DISPUTATIO SEPTIMA
DE
ABOLENDIS REORUM NOMINIBUS.

Reſp. HENRICO MOREELSEN, *Ultrajectino.*

1. Ei nomen aboletur, quoties inſcriptione, vel adnotatione facta, aut crimen aut accuſatio extinguitur.

2. Crimen extinguitur redditione pœnæ, ſententia judicis, morte rei, præſcriptione longi temporis, indulgentia principali. Accuſatio eo amplius finitur abolitione & præſcriptione temporali.

3. Redditione pœnæ extinguitur crimen, ſi reus legis vel judicis voluntati ſatisfecerit, pœnamque ſecundum ſententiæ tenorem ſubierit *l. ſi pœna* 20. *l. crimen* 26. *l. capitalium* 28. §. *famoſos D. de pœn l.* 7. §. 1. *D. de jur. patr. l.* 17. §. *ſi ante judicium D. de injur.*

4. Sa-

4. Satisfeciſſe non intelligitur, niſi qui totâ pœnâ perfunctus fuerit. Quod enim aliqui tradiderunt etiam inchoatam pœnam ſufficere, dimittendumque e. g. furem, qui rupto laqueo terræ potitus fuerit; ſicarium, cujus non primo ictu reſecta fuerit cervix, valdè eſt abſurdum. Diſſ. *Boer. deciſ.* 217. *n.* 18. *Chaſſ. rubr.* 1. §. 5. *verb. s'il n'a grace n.* 123. *verſ. addo & alium.*

5. Adeò autem, qui pœna perfunctus eſt, crimine liberatur, ut, etſi famoſum fuerit crimen, tamen ſi pœna temporalis irrogetur, tranſacto tempore infamia quoque eluatur. Ita enim imperatores Hadrianus, T. & M. Antonini, Gordianus reſcripſiſſe videntur *in l.* 8. *D. de poſtul. l.* 3. §. 1. *D. de decur. l.* 1. *&* 2. *C. de his qui in exil. Cuj.* 7. *obſ.* 19. *&* 20. *obſ.* 38. *& in com. ad d. l.* 1. confer *Baron. in l.* 13. *D. de his qui not. infam. Giph. in l.* 3. *C. eod. Don.* 18. *com.* 8. *Scip. Gentil.* 3. *de juriſd.* 35.

6. Sententia judicis tollitur crimen, ſi reus cauſa cognita ab eo abſolutus fuerit. Durius enim viſum eſt, de ejuſdem hominis admiſſo ſæpius agi: Sed & rerum judicatarum ea eſt auctoritas, ut pro veritate habeantur *l.* 7. §. *iiſdem D. de accuſat. l. pen.* §. *ult. D. naut. caup. ſtab. l. ingenuum* 25. *D. de ſtat. hom. Gloſ. in d. l.* 7. *Cuj. ad* 1. *ſent. Paul.* 6. *Gomeſ.* 3. *reſol.* 1. *n.* 26. *Petr. de Ferr. tit.* 52. *gloſ.* 1. *n.* 9.

V 7. De-

7. Defenditur autem reus eo caſu æquitate præſcriptionis: quam quidem præſcriptionem peremtoriam eſſe patet, eſtque fruſtra ab aliquibus hæſitatum dilatoria foret, an peremtoria, vide *Bart. in l. Senatus D. de accuſ. Petr. de Ferr. d. loc. n.* 12.

8. Ita tamen præſcriptio reo prodeſt, ſi non per prævaricationem abſolutus ſit. Nam ſi accuſator prævaricatus ſit, primùm prævaricatio ejus detegi debet: ea detecta, reus ab alio repeti poteſt *l. ſi quis homicidii* 11. *C. de accuſ. l.* 3. §. 1. *D. de prævar. l.* 3. §. *pen. D. de hom. lib. exhib. l.* 14. *D. de appel. l.* 30. §. 3. *D. de jurej.*

9. Sed etſi novus accuſator ſuum dolorem perſequatur, doceatque ignoraſſe ſe accuſationem ab alio inſtitutam, vel impeditum quo minus temporius accuſaret, magna ex cauſa ad accuſandum admittitur *d. l.* 7. §. 2. *D. de accuſat. l.* 4. §. *ult. D. ad leg. Jul. de adult.*

10. Tranſactio non minorem vim habet, quam res judicata *l. non minorem* 20. *C. de tranſact.* Quid ergò, ſi quis tranſegerit de eo crimine, de quo tranſigi leges permittunt, an æquitate tranſactionis defendendus erit? Adjungo me iis, qui exiſtimant tranſactionem neque aliis obeſſe, neque jus dicenti, quo minus eundem repetere poſſint *Donel. in l. tranſigere C. de tranſact. n.* 4. *Delr. ibid. n.* 59. *Con.* 5. *com.* 7. *n.* 2.

n. 2. *Clar.* 5. *ſent.* §. *ult. quæſt.* 58. *n.* 3.

11. Jurijurando propè major tribuitur auctoritas, quàm rebus judicatis *l.* 2. *D. de jurej. l.* 8. *C. eod.* Num igitur reus, qui jurejurando innocentiam aſſeruit, religione jurisjurandi ſe tueri poterit? Id fruſtra quæritur; quandoquidem jusjurandum in cauſis criminalibus deferri ſolitum non eſt. *Duar. ad tit. de jurej. cap.* 9.

12. Morte rei crimen expirat, cum is fato functus eſt, ſeu mortalitate. Qui enim ipſi ſibi violentas manus inferunt, conſcientia criminis perculſi, eorum bona nihilominus publicantur: Scilicet, ſi non defendantur, vel cum à proximis defenderentur, probatum fuerit crimen *l.* 3. §. *ult. D. de bon. eor.* ꝗ. *ant. ſent. mort. l.* 1. & 2. *C. eod. l. pen. C. ſi reus vel accuſ. mort. fuer.*

13. Extinguitur autem ideò crimen, quia pœna conſtituitur in emendationem hominum, quæ mortuo eo, in quem conſtituitur deſinit; ac ne maculam quidem liberis paternum crimen infligit *l.* 3. *D. de publ. jud. l. ſi pœna* 20. *l. crimen* 26. *de pœn. l.* 1. 3. *ult. C. ſi reus vel accuſ. mort. fuer. l. ult. D. ad leg. Jul. maj. l.* 1. *in fin. D. de req. nec abſ. dam.*

14. Varias tamen hæc regula patitur exceptiones. Primùm enim ſi quid ſcelere adquiſitum eſt, ejus perſecutio etiam poſt mortem rei fiſco competit *l.* 9. *D. de jur.*

fiſc. l. 4. & 12. D. ad leg. Corn. de falſ. l. 6. D. de publ. jud. l. 8. de publ. & vectig: quemadmodum & in civilibus cauſis, licet actio pœnalis extincta ſit, turpia tamen lucra heredibus quoque auferuntur *l. 5. D. de calum. l. 1. D. de priv. del. l. 2. in fin. D. vi bon. rapt. l. un. C. Ex del. def. in quant. her. ten.*

15. Dein excipitur crimen perduellionis, quod etiam poſt mortem rei exercetur, damnata ejus memoria, publicatiſque bonis; liberis etiam defuncti ſpoliatis omni ſucceſſione, omnique dignitate *l. quiſquis C. ad leg. Jul. maj. l. ult. D. eod. l. 20. D. de accuſ.*

16. Excipitur etiam apoſtaſia, & hæreſis, inprimis improbior Manichæorum & Donatiſtarum; quibus qui contaminati ſunt, eorum memoria ſimiliter poſt mortem accuſatur *l. 4. §. in mortem C. de heret. & manich. l. 3. 4. & ult. C. de apoſt.*

17. Deſertæ quoque militiæ crimen excipitur reſcriptis D. Marci, Antonini, & Alexandri *l. 4. C. de re milit.* quibus quidem adverſari videtur conſtitutio prima *C. ſi reus vel accuſ. mort.* reſtituta ex libris baſil. Verùm non eſt ea nobis tanti, ut à conſtituta ſententia dimovere poſſit.

18. Sed & ex crimine repetundarum adverſus heredes, intra annum duntaxat à morte ejus qui arguebatur, datur actio in quadruplum earum pecuniarum, quas defun-

ſunctus in adminiſtratione poſitus, vel poſt eam accepit, quo magis, aut quo minus officium faceret. Idem eſt in crimine peculatus & reſiduorum *l. 2. D. ad leg. Jul. repet. l. 1. 2. & ult. C. eod. l. ult. D ad leg. Jul. pecul. l. 15. §. 3. D. ad SC. Turpil.*

19. Adhæc inter excepta crimina non malè quis inceſtum numeraverit: tametſi enim pœna in heredem non tranſit, id tamen contra regulam habet, quod liberis ex nefario complexu natis, non tantùm hereditates parentum utriuſque ſexus adimuntur, ſed & alimenta denegantur *auth. licet. C. de nat. lib. auth. ex complexu C. de inc. & inut. nupt. nov. 12. c. 1. nov. 74. §. ult. nov. 89. cap. ult.* Si tamen iſta Juſtiniani mens eſt, ac non potius à Latinis corruptæ ſunt eæ conſtitutiones, ut vir doctiſſimus ſuſpicatur. *Con. 8. com. 6. n. 5.*

20. Denique ex omnibus publicorum judiciorum admiſſis pœna ademtionis bonorum in heredem tranſibat, ſi lis conteſtata, & condemnatio ſecuta eſſet: ex reliquis verò id ita procedebat, ſi vivo reo accuſatio mota eſſet, licet condemnatio non fuiſſet ſecuta *l. 20. D. de accuſ l. un. D. ſi pend. appel. mors interv. l. 3. C. eod.* Verum id mutatum exiſtimo *nov. 134. c. ult.* ita, ut nec lite conteſtata, nec condemnatione ſecuta bona publicentur, ſi ſint deſcendentes, vel aſcendentes ad tertium uſque gradum. Conf. *Fabr. dec. 73. err. 5. & 6.*

21. Si tamen pœna publicationis bonorum ſpecialiter impoſita ſit lege, jus vetus propoſitum *d.l.* 20. intactum ſervatur. Itaque caſtigandos puto eos, qui *ad l.* 2. *C. Si reus vel accuſ. mort. fuer.* nimis laxa, & generali oratione ita commentati ſunt: *Quibus criminibus pœna amiſsionis bonorum ſpecialiter à lege impoſita eſt, ex iis ipſo jure agi poteſt adverſus hæredes, ad bonorum, & fructuum inde perceptorum confiſcationem.*

22. Præſcriptio longi temporis, quâ crimina extinguuntur, eſt xx annorum *l. querela* 12. *C. ad leg. Corn. de falſ. l.* 2. & 3. *D. de req. vel abſ. dam.* Excipiuntur quæ nominatim brevioris temporis ſpatio coarctata ſunt; veluti injuria anno continuo *l.* 5. *C. de injur.* adulterium quinquennio continuo, vel utili ſemeſtri *l.* 5. *l.* 28. *C. ad leg. Jul. de adult l.* 29. *§. ſex menſium D. eod. l.* 1. *§. accuſationem D. ad SC. Turpil.* Peculatus quinquennio *l.* 7. *D. ad leg. Jul. pecul.* accuſatio SC. Silaniani ſimiliter *l.* 13. *D. de SC. Silan.*

23. Quæ vero ſupraſcriptum xx. annorum ſpatium excedant, crimina nulla ſunt: non apoſtaſia, non parricidium, non partus ſuppoſitio, non concuſſio, non cædes propoſito facta, aut ſi quæ ſunt atrociora crimina, *Cuj. cap.* 28. *de præſcript.* & 4. *obſ.* 14. *Argentr. ad conſ. Brit. art.* 274. *verb. action de crime. n.* 7. Conſentit quod ad cædem *Imbert.*

bert. 3. *Inſt.fcr.* 9. *Boer.deciſ.* 26. *Teſſaur. deciſ.* 209 De parricidio *Mornac. in l.* 40. *D. ex q. cauſ. maj.*

24. Sane ſi crimen exceptionis modo objiciatur, perpetuo id fieri poſſe non nego: Sunt enim exceptiones ſuâ naturâ perpetuæ, poteſtque ſine vitio ad crimina produci regula illa juris: Temporales ad agendum, perpetuæ ſunt ad excipiendum *l.* 5. *C.de except.l.* 5. *in fin.D.de dol. except. Argentr.d.loc.n.* 2.

25. Quid ſi ex eodem crimine civilis quoque actio oriatur, ſeu vindictæ, ſeu rei familiaris perſequendæ gratia? Non deſunt qui exiſtimant, hanc quoque xx. annorum ſpatio tolli. Non rectè: nam furti actio pœnam perſequitur, tamen perpetua eſt; vi bonorum raptorum in ſimplum, legis Aquiliæ perpetuæ ſunt; tametſi accuſatio inſtitui non poſſit poſt annum viceſimum.

26. Porrò præſcriptio hæc vicennii non ſolùm locum habet cum accuſator aliquis in crimen inſcripſit, ſed & cum is qui juriſdictioni criminali præeſt, ex officio in reum vult animadvertere *Schneid. ad tit. Inſt. de uſucap. cap. de ſpecieb. præſ.r.n.* 46. *Bartol. & Elb. Leonin. in d. l. querela Viv.* 1. *com. opin. verb. accuſatio falſi, Boer. d. deciſ.* 26. *n.* 2. *Clar. d. §. ult. quæſt.* 51. *n.* 2. *Con.* 3. *com.* 11. *n.* 5. *Gomeſ.* 3. *reſol.* 1. *n.* 6.

27. Et computatur non modò tempus,

quo quæſitor criminum ſcivit ſcelus admiſſum eſſe, verum etiam quo ignoravit *argil.* 29. §. *ſex menſium l.* 31. *D. ad leg. Jul. de adult. l.* 7. *D. ad leg. Jul. pecul. l.* 5. *C. de injur. Clar. d. loc. n.* 5. *Argentr. d. art.* 274. *verb. par cinq ans n.* 3. & 4. *Teſſaur. deciſ.* 76. *n.* 5. & *deciſ.* 208. *Boſc. pract. crim. tit. de injur. n.* 24. *Diſc. Boer. d. deciſ.* 26. *n.* 16. *Angel. in l. genero verſ. nunc reſtat videre D. de his q. not. inf. per eand, l. cui* 6. *de calumn.* 15. §. 5. *D. Q. vi aut clam. add. arg. l.* 1. 5. §. 5. *ff. Q. vi aut cl.*

28. Interrumpitur autem inſcriptione in crimen facta, vel ſi reus requirendus adnotatus ſit. Conf. *Bart. in l.* 5. *in fin. de uſucap. Arg. art.* 266. *de interrupt. cap.* 12. *n.* 12. & *ſeqq. Gomeſ.* 3. *reſol.* 1. *n.* 8. *Boer. d. deciſ.* 26. *n.* 15. *S. hn. d. n.* 46. Interrupta verò, quandiu crimen vindicari poteſt? Veriſimile eſt, ex eo tempore, ex quo reus adnotatus eſt, novum computandum eſſe vicennium *arg. l.* 24. *D. de req. nec abſ. dam. l.* 11. § *ſexaginta D. ad leg. Jul. de adult.*

29. Indulgentia principis perimit crimen. cum is per adnotationem ſuam, ſeu ſpeciali reſcripto pœnæ gratiam reo facit, plenâque ſecuritate ſupplicem donat: vel propter vitæ anteactæ merita & honeſtatem, vel ob inſigne artificium, vel ætatis commiſeratione &c. *l. pen. C. de calum. l. pen. C. de prec. Imp. off. l. ad beſtias* 31. *D.*

de.

de pœn. l. 1. *in fin, D. de conſtit. princ.*

30. Alio caſu perimitur indulgentia crimen, cum princeps damnatum reſtituit. Ea reſtitutio vel plenior eſt, & non ſolùm reditum in patriam, ſed & bona, & honores complectitur: vel minus plena, & reditum ſolum, non etiam reliqua continet *l.* 1. *l. cum indulgentia & tot. tit. C. de ſent. paſ. & reſtit. l. ult. C. de gener. abolit.* §. 1. *tit. Inſt. Quib. mod. jus patr. pot. toll.*

31. Iiſdem illis modis, quibus crimina tolluntur, ferè & accuſatio perimitur: neq; enim reus eſſe poteſt, ubi crimen non eſt. Sed eo amplius accuſatio etiam abolitione, & brevioris temporis lapſu finitur.

32. Abolitio aut publicè fit, aut privatim *l.* 11. §. *ult. D. de accuſ. l. abolitio* 8. *D. ad SC. Turpil.* Publicè, quum ſtatis temporibus feriarum ſolennium veluti ob paſchalem celebritatem; vel extra ordinem, ob res lætas, reorum nomina, edictis propoſitis abolentur *l.* 3. *C. de epiſc. aud. d. l.* 8. *l.* 9. *l.* 12. *D. ad SC. Turpil. l.* 1. 2. 3. *C. de gen. abolit.*

33. Privatim fit abolitio, quum accuſator à judice impetrat accuſationis omittendæ licentiam. Impetrat autem ex juſta & probabili cauſa, veluti propter errorem, calorem ætatis, militiam, cognationem &c. *l.* 10. *D. ad Sc. Turpil. l.* 2. *C. de abolit. l.* 16. 30. *C. ad leg. Jul. de adult. l.* 15. *D. de jur. fiſc.*

34. Utraque tunc potiſſimùm datur, cum leviora crimina objecta ſunt. Quod ſi graviorum criminum reus arguatur, abolitio ei non prodeſt *d. l. 3. C. de epiſ. aud. l ult. C. de abolit. l. ult. § ult. D. ad SC. Turp.* Sed prior etiam invito reo prodeſt accuſatori: poſterior non niſi conſentiente reo; ſi modò paſſus ſit, vel vincula, vel verbera, vel tormenta: Sin integer eſt ab injuria, invito quoque datur *d. l. ult. C. de abol.*

35. Fit etiam tertio genere abolitio: nempè accuſatore mortuo, vel ex juſta cauſa impedito, quo minus accuſare poſſit; quo caſu poſtulante reo nomen ejus aboletur: neque enim hæredes accuſatoris coguntur exequi crimina *l. 3. l. 18. §. ult. l. 19. D. de accuſat. l. 10. D. ad SC. Turpil. l. un. D. ſi pend. app. mors interv. l. 3. C. eod.*

36. Sed ſive primo, ſive ſecundo, ſive adeò tertio genere abolitio fiat, tollit ea accuſationem magis; quam crimen. *Suet. in Auguſto & Domitiano.* Nam ſi publice ſit facta, non ſolùm alii, ſed & eidem finitis feriis intra XXX. dies utiles eundem repetere licet *l. 7. l. 12. D. ad SC. Turpil. l. 1. C. de gen. abol.* Sin privatim, eidem quidem eundem repetere non licet, niſi principis nutu: alii licet *l. 1. C. de abol. l. 4. D. ad SC. Turp. l. 3. C. eod. l. 11. §. ult. D. de accuſat.* Licet etiam alii repetere reum, cujus nomen

morte accuſatoris abolitum eſt *l.* 3. §. *ult. D. eod. l. pen. D. de publ. jud.*

37. Aliud dicendum videtur, cùm ad abolitionem acceſſit dierum lapſus: videlicet, tum crimen quoque peremtum eſſe. Cui enim bono dierum utilium definitio, ſi poſt eorum lapſum reus repeti poteſt, nec plena gaudet ſecuritate?

38. Poſſis adjicere quartum genus abolitionis *ex l.* 3. §. 1. *D. de accuſ.* Si libelli inſcriptionum legitimè ordinati non fuerint, nomen rei aboletur, & ex integro repetendi cum poteſtas ſit: niſi malis dicere, eo genere non tàm aboleri accuſationem, quàm retrò nullam declarari.

39. Tempus legitimum quo accuſatio tollitur eſt annale & biennale, intra quod ſi reus peractus non fuerit, abſolvitur. Annus eſt, cum reus ex vinculis cauſam dicit, biennium cum ſolutus *l. ult. C. de cuſtod. reor. l. ult. C. ut intr. cert. temp. crim. cauſ. quæſt. term.* Verbum *abſolvitur,* ita interpretor cum gloſſographis, abſolvitur ab inſtantia, non à crimine. Nam & civili judicio, quum diſceptatio protracta eſt ultra triennium, inſtantia perit actori, non cauſa *l. properandum C. de judic. Weſ. par. de accuſat. n.* 16.

AUCTARIUM.

Ad theſin 4

NOn minus abſurda ſunt quæ ſequuntur: *Saxis obrui lictorem, quem manus tremulæ fefellerint.* Cic. Ver. 7. p. 536. *Donari reum precibus puellæ, petentis eum ſibi maritum dari.* vid. Coler. dec. 238. *Eripi occurſu veſtalis aut Cardinalis. Solvi vinctum, ſi ædes flaminis Dialis ingreſſus fuerit. Nefas eſſe verberari, ſi ad pedes ejus ſupplex procubuerit. Sicarium liberari, ſi cum proximis tranſegerit.* Num. 35. v. 31. & ſeqq. *Adulterum, ſi conjux interceſſerit. Evidens certè abſurditas, quotiens reum natura ſimul, & lex divina damnat: minor, quotiens ſolum jus civile morti addicit.*

Ad Theſ. 12.

Criminalis juriſdictio in maleficos extinctos non ſævit. Eo argumento non nemo vehementer invehitur in judices, qui defunctorum corpora ſuſpendi jubent. Ang. in l. 2. C. Q. teſt. fac. poſ. *Ego verò temere culpare nolim; inprimis eos, qui iſto pœnæ genere autophoniam coercent. Hæc quoque ratio à maleficio abſterrere poteſt. Neque enim Cynicus nobis ſenſus eſt, nihil ut intereſſe putemus poſt mortem uncotrahamur, an feretro & humeris civium efferamur. Conf.* Cic. Verr. 7. pag. 537. l. 11. C. de relig. & ſumt. fun, Alc. in l. 3. de juriſd. n. 29. Menoch. caſ. 285.

Ad Theſ. 15.

Sanguine ſcriptam meritò dixeris hanc

Au-

Arcadii & Honorii conſtitutionem, quæ liberis quoque impensè iraſcitur. At quamobrem liberis? Quia verendum eſt, ne à filiis dignitate & divitiis conſpicuis, exempla paterni criminis proficiſcantur. Non placet ratio, quæ æquitatem mentitur magis, quam adſequitur. Quæ enim æquitas, ob crimen patris ita adfligi filium, ut ſit ei vita ſupplicium, mors ſolatium? Sane mitis eſt Arcadii conſtitutio, ſi ad Perſarum & Macedonum leges ſpectes, quibus ob noxam unius, omni propinquitati pereundum erat. Enimvero iſtæ alias omnes, non dicam duritie, ſed diritate exempli ſuperare videntur.

Ad Theſ. 19.

Ponamus corruptas non eſſe, abſurda futura eſt ſententia, qua alimenta negantur, cum necet, qui negat l. 4. D. de agn. vel al. lib. *Auguſtinum audiamus in* c. ſicut 32. quæſt. 4: *Semen hominis ex qualicunque homine Dei creatura eſt: & eo malè utentibus malè erit; non ipſum aliquando malum erit. Papinianum etiam, tametſi is ſacris noſtris imbutus non ſit;* in l. 6. D. de decur. *Spurii & ex inceſtu nati decuriones fieri poſſunt: non enim impedienda eſt dignitas ejus qui nihil admiſit. Si dignitas impedienda non eſt, quis alimenta honeſte negabit?*

Ad theſ. 22.

Quid ſi reus apprehenſus fuerit ante, quam compleretur præſcriptio, cum jam plures anni lapſi eſſent? Sunt qui mitigandam pœnam exi-

exiſtimant; uſi in eam rem argumento l. 25. D. de pœn. Nobis conſtat, eam legem ad ipſorum ſententiam nihil attinere.

Ad theſ. 29. & ſeqq.

Rectè largitur princeps abolitionem & indulgentiam eorum criminum, quæ civili magis, quam divino jure vindicantur. Quæ autem divino capitalia ſunt, eorum indulgentiam à principe tribui poſſe non temerè dixerim. Sunt fateor, qui aliter ſentiunt, & cum plauſu audiuntur; quandoquidem

nihil eſt, quod credere de ſe
Non poſſit, cum laudatur Diis æqua poteſtas:

Verum his rectius philoſophatus eſt rex barbarus, qui cum proceres peterent, uti virum ſtrenuum, ſtupri per vim illati reum dimitteret, ita diſſeruit: Ejuſdem ingenii eſſe delicto ſe obſtringere, & delictorum ſupplicia impedire: omninò aut hunc pœnas dare, aut Gotthorum remp. interire neceſſe eſſe.

DISPU-

DISPUTATIO PRIMA
DE
SERVITUTIBUS.

Reſp. JACOBO CLOCK, *Alcmar-Batav.*

1. SErvitus jus eſt, quo res aliena nobis vel rei noſtræ ſervit. Excludimus ergo hâc definitione ſervitutem illam, quam mancipia heris ſuis ſerviunt: quamque propterea perſonalem alii, alii mere perſonalem nuncupant. Vide *Cæpol. de ſervit. cap.* 1. *&* 2. *Schneid. ad pr. Inſt. de ſervit. præd. urb. & ruſtic. Coraſ. ad rubr. D. de ſervit. n.* 14. *& ſeqq. Gomeſ.* 2. *var. reſol.* 15. *Donel.* 9. *com.* 21. *&* 22.

2. Secundo excludimus jura illa, quæ domini territoriorum & nobiles exercent in adſcriptitios ſuos: ſeu operas eis indicentes, ſeu pro filia nubente dotem collatitiam poſcentes, ſeu mortuo patre matreve familias jus optimi catalli exercentes: & ſi quæ his exactiones ſimiles reperiuntur *c. un. verb. angariæ, tit. Quæ ſint. regal. ubi Afflict. n.* 7. *Sub. ad rubr. C. de oper. libert. n.* 2. *Donel. d. cap.* 22. *in fin. Sixtin.* 2. *de regal.* 13. *n.* 41 *& ſeqq. Stam.* 3. *de ſervit. perſon. c.* 21. Diſſ. *Carpzov. part.* 2. *conſt.* 4. *def.* 1. *n.* 3.

3. Ter-

3. Tertiò excludimus jus venandi, quod domini territoriorum in agris privatorum exercent: ita ut privatis vix noxiam feram in ſuo deprehenſam occidere liceat. *Sixtin. de regal.* 2. *cap.* 18. *n.* 46. *Heig. part.* 1. *quæſt.* 15. *n.* 45. *Pruckman. de venat. cap.* 1. Diſſ. *Zaſ. in* §. *æquè Inſt. de action. n.* 24. *Gail.* 2. *obſ.* 66. *Mynſ.* §. *inter ruſticorum Inſt. de ſervit.* Aliter *Seb. Medic. de venat. part.* 2. *quæſt.* 2. eumque ſecutus *Georg. Mor. part.* 2. *cap.* 3. *Zoan. ad l.* 2. *Cod. de pact. int. empt. & vend. n.* 204. *& ſeqq.*

4. Quartò excludimus jus habendi furnum, vel molendinum bannale: in quo ſubditi etiam inviti panes coquere, frumenta pinſere cogantur: hic enim neque prædia prædiis, neque prædia vel res perſonæ ſerviunt. Vide *Sixtin. d. lib.* 2. *de regal. cap.* 3. *n.* 59. *& ſeq. Zoan. d. loc. n.* 154. *Theſaur. deciſ.* 16. Sanè, ſi jus mihi concedas coquendi panes in tuo furno, uſus furni conceſſus videtur. *Cæpol. de ſervit. urb. præd. cap.* 8. *n.* 3.

5. Quintò conceſſiſti mihi jus tranſeundi per pontem tuum non ſoluto vectigali: non eſt iſta ſervitus, ſed immunitas à vectigali præſtando: tametſi contrarium innuat Baldus *ad l. ſi plures n.* 13. *C. de cond. inſert. tam legat. quam fideic. Cæpol. d. cap.* 8. *n.* 4. Utique jus exigendi vectigal vel pedaticum, ſervitus non eſt, fatentibus iiſdem auctoribus: qui magis igitur immuni-

tas.

tas dici ſervitus poterit?

6. Subjectum ſervitutis res aliena eſt: res ſua nemini ſervit. *l. uti frui* 5. *D. Si uſufr. pet. l. in re communi* 26. *D. de ſervit. præd. urban. l. cum eſſent* 33. §. 1. *D. de ſervit. præd. ruſtic. l.* 4. *D. Si ſerv. vind.* Itaque excludimus ab hoc tractatu uſumfructum cauſalem: quem cum in re ſua habeat dominus, non poteſt eſſe ſervitutis ſpecies, *l. cum in fundo* 78. *D. de jur. dot. l.* 4. *D. de uſufr. adcreſc. Coraſ.* 5. *Miſcel.* 3. *Conna.* 4. *com.* 3. *n.* 6. *Duaren l. ſi ita* 126. *D. de V. O. Cujac. ad l. qui uſumfructum* 58. *D. eod. Donel.* 10. *com.* 2. *Gomeſ.* 2. *var. reſol.* 15. *n.* 2.

7. Deinde ſummovemus loca ſacra, ſancta, & religioſa: quæ cum divini juris ſint, non admittunt ſervitutem *l.* 1. *& ſeqq. D. ne quid in loc. ſacr. fiat l. in tantum* 6. §. *ſacræ & ſeqq. D. de rer. diviſ. l. ſi quis ſepulchrum* 12. §. 1. *D. de relig. & ſumpt. fun. l.* 4. *D. Com. præd. l. ſi prius* 17. §. *pen. D. de aq. & aq. pluv. arc. l. ſervitutes* 14. *in fin. D. de ſervit. l.* 1. *D. Si ſerv. vind.* Si tamen ante dedicationem aliquid fuerit exceptum, conventionis fides ſervanda eſt.

8. Eadem ferè eſt ratio rerum communium & publicarum: nam neque aëri, neque aquæ profluenti, neque mari, aut locis publicis ſervitus imponi poteſt. Ac ne porthmum quidem ſeu ſinum ma-

maris excipimus, ſi privatos reſpicias *l. venditor* 13. *D. Com. præd. l* 2. *& ſeqq. D. de rer. diviſ. l. injuriarum* 13. §. *ſi quis me prohibet D. de injur. l.* 1 *&* 2. *&* 3. *D. ne quid in loc. publ.* Vide *Cæpol. de ſerv. præd. urb. cap.* 16. *n.* 3. *&* 4. *Grot. de mar. liber.*

9. Diviſiones ſervitutum quod attinet, ſervitus omnis vel perſonarum, vel rerum eſt: *l.* 1. *D. de ſervit.* mixtam igitur, quam perſona ſerviat rei, non agnoſcimus. Nec quicquam ad rem facit *l. Mævia* 44. *D. de Manum. teſtam. l. Titio* 11. §. *Titio centum* 2. *D. de cond. & demonſtr. l. ſervos* 17. *D. de alim. vel cibar. legat. Donel.* 9. *com.* 22. *Lud. Vit.* 2. *var. lect.* 1. Diſſ. *Port. Schneid. ad pr. Inſtit. de ſervit. Coraſ. ad rubr. D. de ſervit.* 33.

10. Interpretes eo amplius ſervitutes dividunt in nominatas & innominatas. Nominatas vocant quarum proprium nomen jure civili proditum eſt. Innominatas contra, quæ proprio nomine carent. *Cæpol. de ſerv. præd. urb. cap.* 9. *Schneid. d. pr. Inſt. n.* 9. Perquam abſurde, cum ſervitus innominata vix ulla reperiatur. *Coraſ. ad. l.* 1. *D. de ſervit. n.* 128. *& ſeq.*

11. Adhæc ſervitutes vel dividuæ, vel individuæ ſunt; quarum illæ partium præſtationem recipiunt: hæ nequaquam. Eſt autem dividuus ſolus uſusfructus *l.* 5. *D. de uſufr. l. excepta* 14. *l. placet* 25. *D. Quib.*

mod.

mod. uſusfr. amit. l. & puto 16. *D. famil. erciſc. cum ſimil.* Reliquæ omnes individuæ *l. pro parte* 11. *l. via* 17. *D. de ſervit. l. via* 23. §. *ult. D. de ſerv. præd. urb. l.* 2. §. *& harum l. ſtipulationes non dividuntur* 72. *D. de V. O. l. heredes* 25. §. *an ea D. famil. erciſc. Cæpol. d. tract. cap.* 10. *Coraſ. in d. l. via n.* 14. *& ſeqq.* Nec excipitur ſervitus oneris ferendi *in l. etſi fortè* 6. §. *ſi ædes D. Si ſerv. vind.* Vide *Pac. in Iſagog. D. com. præd. Hotom.* 7. *obſ.* 1. *Forcat. in d. l.* 17. *n.* 25.

12. Poſtremò ſervitus à doctoribus in continuam & diſcontinuam tribuitur. *Cæpol. d. tract. cap.* 1. *Schneid. ad tit. Inſt. de ſervit.* § *ult. n.* 15. *& ſeqq.* Sed hæc diviſio ad ſervitutes prædiorum, non perſonarum pertinere videtur. Ac ne illis quidem propriè convenit: quandoquidem omnis ſervitus, ſi cauſam ſpectes, continua eſt: ſecus ſi uſum. *l. foramen* 28. *D. de Serv. præd. urban. l.* § *hoc interdictum* 4. *D. de font. l.* 1. §. *loquitur* 5. & §. *caput* 8. *D. de aq. & aq. pluv. arcend. Conna.* 4. *com.* 9. *n.* 1. 2. & 3. *Donel.* 11. *com.* 3. & 11. *Longoval. ad l. imperium D. de juriſd. circa fin. Duar.* 1. *diſput. anniv.* 24.

13. Porrò omnis ſervitus, tam perſonalis quam realis utilis nobis eſſe debet: cum autem neque hominum neque prædiorum eſt utilitas, conſtat ſervitutem non poſſe conſtitui: veluti, ut pomum decerpere liceat,

ceat, ut cœnare, ut ſpatiari in alieno: *l. ut pomum* 8. *l. quoties* 15. *D. de ſervit. l.* 6. §. 1. *D. de Servit. præd. ruſtic.* Variè *Dd. Gloſ. Corаſ. Baro ad d. l. ut pomum. Conna. d. lib.* 4. *cap.* 7. *n.* 3. *Hotom.* 8. *obſ.* 11. *Donel.* 9. *com.* 21. *verſ. quod reſtat. Weſ. in parat. de ſervit. n.* 3. *Baro ad d. l. quoties.*

14. Servitutis natura non hæc eſt, ut dominus prædii ſervientis aliquid faciat, ſed ut ne faciat, vel ut patiatur, *d. l. quoties* §. *ult.* Hanc notam etiam ad ſervitutes perſonarum transferre poſſumus, *arg. l. uſufructu* 7. §. *hactenus D. de uſufr. l. heres* 12. *l. fundi Æbutiani* 38. *D. de uſ. & uſufr. & red. legat.* Nec his adverſatur *l. eum ad quem* 7. *C. de uſufr. l. ſi domus* 18. *D. de uſ. & habit: l. etſi forte* 6. §. *etiam de ſervitute, & ſeqq. D. Si ſerv. vind. Con.* 4. *com.* 7. *n.* 9. & 10. *Baro ad d.* §. *ult.*

15. Eſt & illud commune utrique generi ſervitutum, quod ſervitus ſervitutis conſtitui non poſſit. *l.* 1. *D. de uſ. & uſufr. legat. l. cum eſſent* 33. §. 1. *de D. ſervit. præd. ruſt. l.* 1. *& ſeqq. D. de uſufr. l. uſufructu* 9. *C. eod. l. ſi uſusfructus* 66. *D. de jur. dot. l.* 4. *D. de novat.* Nec adverſatur §. 1. *Inſtit. de uſ. & habit. l. arboribus* 12. §. *uſufructuarius l. uſusfr.* 67. *D. de uſufr. cum ſimil.* Vid. *Bachov. pr. Inſt. de uſufr. n.* 3.

16. Conſtituere ſervitutem in re ſuâ dominus poteſt: nempè dominus ex aſſe: cæte-

cæterum in re communi potior eſt prohibentis conditio. *l. 2. D. de ſervit. l. per fundum 11. D. de ſerv. præd. urb. l. ſi cum duas 8. D. Com. præd. l. Sabinus 28. D. Com. divid. l. uſus 19. D. de uſ. & habit. l. 5. §. ult. D. commod.* Quo minus tamen unus ex conſortibus, partis ſuæ pro indiviſo uſumfructum alii conſtituat, jus non eſt impedimento *l. 5. D. de uſufr. l. is qui fundum 31. D. de uſ. & uſufr. leg. Baro in d. l. 2.*

17. Conſtituuntur ſervitutes & inter vivos, & ultima voluntate. Inter vivos, pactionibus & ſtipulationibus *§. 1. Inſt. de uſufr. §. ult. Inſt. de ſervit.* dummodo pactio in continenti contractui adjecta ſit. hæc enim ſola prodeſt ad agendum *l. ſi quis duas 6. & l. ſi cum duas 8. D. Com. præd. l. juris gentium 7. §. quin imo D. de pact. l. petens 27. C. eod. l. lecta 40. D. de reb. cred.* Donati quoque inter vivos ſervitutes poſſe, non eſt dubitandum. *l. in ædibus 9. l. Aquilius 27. D de donat.*

18. Teſtamento conſtitui ſervitus poteſt, quibuſcunque verbis, ſive directis, ſive precariis: ſive vindicandi, ſive damnandi, ſinendive modo. *l. 1. & tot. tit. D de uſ. & uſufr. legat. l. 1. & tot. tit. D. de ſervit. legat.* Nec ſolum actio ex teſtamento eo nomine legatario competit, ſed & vindicatio, & hypothecaria *l. 1 C. Com. de legat.* Nec repugnat *l. 1. D. de uſ. & uſufr. legat. 19.* 19.

19. Acquiruntur etiam ſervitutes tam prædiorum, quam perſonarum præſcriptione longi temporis. Eaque præſcriptio neque titulum deſiderat, neque bonam fidem: ſufficit non vi, non clam, non precario uſum eſſe: *l. ſi quis diuturno 10. D. Si ſerv. vind. l. ult. C. de præſc. long. temp. l. 1. in fin. D. de ſervit. præd. ruſtic. l. 1. in fin. D. de aq. pluv. arc.* Nec obeſt *l 2. C. de ſervit. Conna. 4. com. 20 n. 17. Donel. 11. com. 12. Cujac. ad l. 4. §. ult. D. de uſucap.* Diſſ. poſt gloſſogr. *Coſtal. ad d. l. 10. Ceraſ. ad l. 14. n. 30. D. de ſervit. Duar. 1. diſp. anniv. 34. Hotom. 8 obſ. 10.*

20. Uſusfructus eo amplius & adjudicatione, & lege conſtitui poteſt *l. uſusfructus 6. §. 1. D. de uſufr.* An prædiorum quoque ſervitutes judicio familiæ erciſcundæ vel communi dividundo adjudicari poſſunt? Ait Ulpianus *l. item Labeo 22. §. ſed etiam cum adjudicat. D. famil. erciſc.* Negat. Javolenus in *l. ut fundus 18. D. Com. divid.* Nullum hic diſſidium eſt.

21. Amittuntur ſervitutes variis modis: ſed inter perſonales & prædiorum ſervitutes hoc potiſſimum intereſt, quod illæ fere cum perſona intereant: hæ quoniam prædiis inhærent, perpetuæ ſint, nec minus in heredes atque in ſingulares ſucceſſores tranſmittantur, *§. finitur Inſt. de uſufr. l. 1. & ſeqq. D. Quib. mod. uſusfr. vel uſ. amit. l.*

cum

cum fundus 12. *D. com. præd. l. 3. D. Quemad. ſervit. amit. l. 4. D. de ſerv. præd. ruſtic.*

22. Communes utriſque ſervitutibus ſunt actiones, confeſſoria, & negatoria: quarum illa ſervitutem, hac libertatem vindicamus §. *æque Inſt. de act. tit. D. Si uſufr. pet. vel. ad al. pertin. neg. & tit. D. Si ſerv. vind.* Et hoc quidem ſingulare in his cauſis, ut poſſeſſor etiam vindicet: cum in controverſiis rerum corporalium poſſeſſor nunquam ultro agat, *l. 1. §. hoc interdictum 6. D. ut. poſſid.* Unde manifeſtum fit, aut mendum irrepſiſſe *in d. §. æque verſ. ſane uno caſu* aut certè fruſtra caſum illum in latioribus Dig. libris quæri. *Ferret. Bar. Donel. Hotom. in eod. §. Duar. ad tit. C. de probat. cap. 4. Lud. Vital. 2. var. lect. 12. Cujac. in not. ad d. § æque.*

23. Libertas naturalis eſt. *l. libertas D. de ſtat. hom.* Rectè igitur à Dd. traditum, prædium in dubio liberum potius præſumi quam ſervituti obnoxium *l. altius 8. l. ſi tibi ſervitutem 10. C. de ſervit. l. 4. §. competit D. Si ſerv. vind. Alciat. reg. 2. præſumpt. 1. n. 2. Menoch. 3. præſumt. 89. Conna. 4. com. 1. à pr. Maſcard. vol. 3. de probat. concl. 1306.* Quid ergo, ſi negatoria quis agat non probabit intentionem ſuam? Probabit, ſi adverſarius ſit in poſſeſſione ſervitutis, *l. ſicut 8. §. ſed ſi quæritur D. Si ſerv. vind. l. 5. v. quod ſ. fortè D. Si uſufr. petet. Maſcard. d. loc. n. 3. & 4. Menoch. de præſ. 89. n. 8.*

DIS-

DISPUTATIO SECUNDA DE USUFRUCTU.

Reſp. WILHELMO THOMAEO, *Neom.Gelro.*

1. Servitutes perſonarum ſunt, uſusfructus, uſus, habitatio, & operæ ſervorum *l. 1. D. de ſervit. l. 4. D. de oper. ſervor. l. 5 §. 1. & ſeqq. D. uſufr. quemadm. cav. §. æquè Inſt. de act.* Ex his meritò primus locus debetur uſuifructui. Uſusfructus eſt jus alienis rebus utendi, fruendi, ſalva earum ſubſtantia. *princ. Inſt. h. tit. l. 1. D. eod.*

2. Eſtque vel verus, vel quaſi uſusfructus. Verus eſt earum rerum quibus uti frui poſſumus ſalva ſubſtantia. Quaſi, earum quæ ipſo uſu conſumuntur *§. conſtituitur Inſt. h. tit. l. 1. & 2. tit. D. de uſufr. ear. rer quæ uſ. conſum.* Hoc amplius etiam nominis, & reditus annui, & ut hodiè fit juriſdictionis uſusfructus conſtitui poteſt: unde dubitatur, verus ne ſit, an quaſi uſusfructus? Et videtur ea ſpecies propius accedere ad verum uſumfructum. Vide *Bach. ad §. eſt autem jus in corpore Inſt. h. tit.*

3. Nec ſolùm uſusfructus ſingularum rerum, ſed & univerſorum bonorum conſtitui poteſt, dumne excedat dodrantem bono-

bonorum *l. omnium* 29. *D. h. tit. l. uxori* 37. *D. de uſufr. legat.* neque oneret legitimam portionem liberorum. *nov.* 18. *cap.* 1. *&* 3. aut portionem conjugi ſuperſtiti lege vel ſtatuto debitam; aut bona fideicommiſſo obnoxia: & generaliter ea de quibus teſtator diſponere non poteſt. *arg. l. ult. de reb. alien. non alien. l. nemo* 55. *D. de leg.* 1. *l. jurig.* 7. §. *& generaliter l. jus publicum* 38. *D. de pact. Caſtil. de uſufr. cap.* 39. *& ſeqq. Sand.* 4. *tit.* 4. *def.* 9. *& tit.* 7. *def.* 1. *Gail.* 2. *obſ.* 144. *n.* 1. *Peregr. art.* 40. *de fideic. n.* 116. *& art.* 36. *n.* 68.

4. Quid ſi quis filio ſubſtitutus fuerit, an exiſtente conditione ſubſtitutionis legitimam ſubtrahère fructuario poteſt? Placet nobis diſtinctio inter vulgariter & pupillariter ſubſtitutum: ita ut hic, non etiam ille ſubtrahere legitimam filii poſſit; utique ſi filius patri heres extitit, filio autem ſubſtitutus. *l. quanquam* 10. *C. ad leg. Falcid. junct. l. fundum* 87. §. *qui filium D. eod.* Vide *Bartol. in l. Titia* 34. §. *ult. D. de leg.* 2. *Jaſ. in l. etſi contra tabulas* 35. *D. de vulg. & pupil. ſubſtit. Gail. d. obſ.* 144. *num.* 9. *Peregr. de fideic. art.* 36. *num.* 61. *& art.* 12. *num.* 29. *Barry* 16. *de ſucceſ.* 10. *num.* 3. *& lib.* 9. *tit.* 24. *num.* 9.

5. Si teſtator uxorem reliquerit domiuam & fructuariam bonorum ſuorum rectè à Dd. reſponſum eſt, in uxoris poteſtate

ſtate

ſtate eſſe, utrum dominium, an uſumfructum vindicare malit *arg. l. ſi Titio fundus* 10. *de uſ. & uſufr. legat.* Sed ſi liberis inſtitutis uxorem voluerit eſſe dominam & uſufructuariam bonorum, rectè Bulgarus negavit, de proprietate teſtatorem ſenſiſſe: at non rectè uſumfructum ad alimenta reſtrinxiſſe videtur, tametſi hanc interpretationem uſus paſſim receperit. Diſſ. *Bartol. & alii in d. l. Titia* §. *ult. de leg.* 2. *Sarmient. ibid. lib.* 8. *ſelect. interpr. Peregr. de fideic. art.* 12. *num.* 28. *Barry d. tit.* 24. *num.* 6.

6. Si teſtator alicui legaverit uſumfructum rerum mobilium, an nomina quoque & actiones mobilium appellatione continentur? Non continentur *arg. l.* 1. §. *quadam D. de rer. diviſ. l. cum in fundo* 78. §. *ſi fundus D. de jur. dot l.* 7. §. *in peculio D. de pecul. cum ſimil. Mantic.* 9. *conj.* 2. & 3 *nu.* 9. *Peck.* 5. *de teſtam. conjug.* 30. *nu.* 5. Aurum & argentum factum infectumve? Videtur *l. ſi chorus* 79. §. 1. *de leg.* 3. An ſignatum? hoc quoque videtur *arg. d. l.* 79. *Mantic. d. cap.* 3 *n.* 2. *Pinel. ad l.* 1. *C. de bon. mat. part.* 2. *nu.* 45. *Peck. d. cap.* 20. *num.* 2. *Theſaur. deciſ.* 160.

7. Conſtituitur uſusfructus teſtamento, pactionibus & ſtipulationibus, adjudicatione facta judicio familiæ erciſcundæ, vel communi dividundo & lege. §. 1. *Inſt. h. tit. l.* 3. *l.* 6. §. 1. *D. eod.* Traditione quoque acqui-

quiritur, & præſcriptione longi temporis, de qua actum diſputatione præcedenti *l. 1. §. ult. D. de ſervit. præd. ruſtic. l. pen. C. h. tit. l. ult. in fin. C. de long. temp. præſcr.*

8. Acquiritur etiam adcreſcendi jure, ſi duobus legatus ſit conjunctim, & alter non concurrat, vel concurrere deſierit, *l. 1. & tot. tit. D. de uſufr. adcreſc.* Nec refert, ſalvam adhuc habeat partem ſuam, an amiſerit: uſusfructus enim etiam amittenti adcreſcit. *l. ſi Titio* 33. §. 1. *D. de uſufr. l. 1. §. interdum & l. 3. de uſufr. adcreſc.* Illud fortaſſe referre dixeris, quo genere conjunctionis legatarii conjuncti fuerint: verbis enim conjunctis negat adcreſcendi jus *l. 1. §. ult. l. 2. 3. pen. D. eod.* eſtque hæc communis ſententia quam tamen non ſine cauſa improbat Cujac. *ad l. triplici* 142. *D. de V. S. &* 24. *obſ.* 34.

9. Conſtituto uſufructu fructuarius cavere debet, ſe uſurum viri boni arbitratu, finitoque jure ſuo reſtiturum quod inde extabit *l. 1 l. 5. §. 1. D. de uſufr. quemad. cav.* Quæ cautio teſtamento quidem remitti nequit *l. 1. C. de uſufr. l. pen. C. ut in poſſ. legat.* quo minus ab herede remittatur, nihil impedimento eſt. *arg. l. pen. C. de pact. l. poteſt* 71. *D. ad leg. Falcid. Gloſſ. in d. l.* 1. *verb. cautione. Azo, Sich. ibid. Gail.* 2. *obſ.* 145. *num.* 12. *Pinel. ad l. 1. C. de bon. mat. part.* 2. *num.* 76. *Schneid. ad rubr. Inſt. de uſufr. num.* 22.

10. Cautio quoniam prætoria eſt, fidejuſſores deſiderat *l. 1. pr. & §. utilius D. de uſufr. quemad. cav. l. prætoria 7. D. de præt. ſtipulat. l. 4. C. de uſufr.* Quid ſi fructuarius propter inopiam fidejuſſores non reperiat? Ad juramenti cautionem admittendus eſt, ſiquidem mores ſuſpectum non faciant: ſin faciant, apud ſequeſtrem fructus deponendi ſunt. *arg. l. 6. D. ſi cui plus quam per leg. Falc. licuer. Bartol. & Sich. in d. l. 4. Schneid. d. loc. num. 11. Gail. 2. obſ. 47. num. 7. Gomeſ. 2. reſol. 15. num. 3. & 4. Surd. deciſ. 141. Pinel. d. part 2. num. 79. Imb. in enchir. verb. uſufructuaria ſatisdatio.* Diſſ. *Myuſ. 6. obſ. 48. Fab. 8 contr. 40.*

11. Illud non intereſt, teſtamento conſtitutus ſit uſusfructus, an voluntario contractu *d. l. 4. C. h. tit.* Quid ſi lege conſtitutus ſit? Pater utique habens uſumfructum in bonis adventitiis filii, neceſſitate cavendi ſolutus eſt. *l. cum oportet §. non autem l. ult. §. ſin æs autem alienum in fin. C. de bon. quæ liber.* Quid ſi bona illa ex rebus fungibilibus ut loquuntur, conſtent? Ne hoc quidem caſu cautionem deſiderabimus *Donell. 10 com. 4. in fin. Pinel. d. part. 2. num. 23.* Adde *Barry d. tit. 24. num. 41. in fin.*

12. Si uxori relictus ſit uſusfructus omnium bonorum, etiam inventarii confectionem Dd. ei injungunt, & ita quidem, ut à marito remitti nequeat. *Ripa ad l. Titia 34. §. ult. D. de leg. 2. quæſt. 51. Boer. deciſ.*

ciſ. 63. *num.* 12. *Peck.* 5. *de teſtam. conj.* 24. *num.* 3. *Chriſtin. ad leg. Mechlin. tit.* 9. §. 13. *à pr. Neoſtad. deciſ. cur. Holl.* 20. *& dec. ſupr. cur.* 33. Rectè quidem, ſi ad jus municipale reſpicias: non rectè, ſi ad Romanum: nec probat id *l.* 1. §. *rectè, D. uſufr. quemadm. cav.*

13. Omnes fructus ad fructuarium pertinent, ſive naturales, ſive civiles ſint *l.* 7. *& ſeqq. D. h. tit. l. qui ſcit.* 25. *D. de uſur.* Non tamen partus ancillæ, quia abſurdum viſum eſt, hominem in fructu computari *l. vetus eſt quæſtio* 68. *D. h. tit. l. in pecudum* 28. *D. de uſur. Con.* 4. *com.* 2. *num* 2. *Cujac. ad l.* 4. *verb. ſi defuncti non fuerunt D. de uſucap. Hotom. ad* §. *in pecudum Inſt. de rer. diviſ.* Non theſaurus in fundo repertus, quia fructus fundi non eſt. *l. un. C. de theſaur.* §. *theſaurus Inſt. de rer. diviſ. Mornac. ad l.* 67. *de rei vind. Molin. ad Pariſ.* §. 1. *gloſ.* 1. *num.* 60. *Argentr. ad Brit. art.* 53. *gl.* 2. *num.* 7. Diſſ. *Burg. ad Flandr. tract.* 21. *num.* 14. Aliter *Rebuff. ad l.* 49. *de V. S Barry d. tit.* 24. *num.* 16.

14. Si lapidicinæ vel metalla fuerint in fundo fructuario, etiam cædere atque effodere poteſt *l.* 9. §. *ſed ſi lapidicinas &* §. *ſeqq. D. h. tit.* nempe ſi lapides renaſcantur: ſin minus, effoſſa marmora ſortis inſtar ſunt, cujus uſuras percipiet fructuarius *l.* 7. §. *ſi vir in fundo D. Sol. matr. l. ult. D. de fund.*

dotal. l. ſi ex lapidicinis 32. *D. de jur. dot. Thoming. dec.* 12. *num.* 4. *Sand.* 5. *tit.* 3. *def.* 2. Idem dicendum de terrulis bituminoſis vel paludibus. Vide *Sand. d. loc. Plin.* 36. *c.* 15. *in fin.*

15. Fructuarius non aliter fit dominus fructuum niſi ipſe eos perceperit, aut ejus nomine alius. Percepiſſe autem dicitur naturales, ſimul atque eos ſolo ſeparaverit §. *is verò Inſt. de rer. diviſ. l.* 12. §. *uſufructuarius D. de uſufr. l.* 13. *D. Quib. mod. uſuſr. amit. l. qui ſcit.* 25. §. 1. *D. de uſur.* Civiles verò ad fructuarium pertinent, ſimul atque dies eorum ceſſerit, licet nec dum venerit. *l. defuncta* 58. *D. h. tit.*

16. Quoniam autem fructus omnes percipit fructuarius, idcircò æquum eſt, etiam onera rei fructuariæ eum agnoſcere, veluti tributum, ſtipendium, alimenta, modicam refectionem, & ſi quid extra ordinem indictum fuerit. *l.* 7. §. *quoniam l.* 27. §. *ſi cloacarii, l. uſufructu* 52. *D. h. tit. l. quæro* 28. *D. de uſ. & uſufr. legat.* Sed ſi uſusfructus omnium bonorum ſit relictus, onus æris alieni heredi incumbit, non legatario. *l.* 1. *C. ſi cert. pet. l.* 2. *& ult. D. de uſufr. leg. l.* 69. *D. ad leg. Falcid. l.* 1. §. *ſi heres D. ad SC. Trebel. Gail.* 2. *obſ.* 146. Cujac. *in recitat. ſol. ad l. uxori* 37. *D. de uſufr. leg.* Diſſ. *variè Dd. Barry d. tit.* 24. *n.* 34. *Covar.* 2. *reſol.* 2. *n.* 1. *&* 4. *Garſ. de expenſ. cap.* 10. *n.* 61. *Menoch.* 4. *præſ.* 143.

17. Por-

17. Porrò fructuarius non ipſe ſolum frui poteſt, ſed & jus ſuum alii vendere, locare, gratis concedere poteſt §. 1. *Inſt. de uſ. & habit. l.* 38. *& ſeq. l.* 67. *D. de uſufr. l.* 11. §. *uſusfructus D. de pignor. & hypoth. l* 8. § *ult. D. de peric. & com. rei vend. l.* 9. §. 1, *D. locat.* Cedere tamen extraneo non poteſt: ſi ceſſerit nihil agit, adeoque uſusfructus remanet apud cedentem §. *finitur Inſt. h. tit. Paul.* 3. *ſent.* 5. §. *ceſſione, Baro, Hotom. Baldus in d.* §. *finitur.* Diſſ. *Cujac. in not. ibid. Donel. com.* 19.

18. An ædificium fructibus percipiendis neceſſarium imponere poteſt fundo fructuario? Affirmat Ulpianus in *l. ſi cujus* 13. §. *ſi tamen,* & Pomponius in *l. pen. D. h. tit.* Negare videtur Neratius in *l. uſufructuarius* 61. *eod.* Nullum hic diſsidium eſt. *Coraſ.* 1. *miſcell.* 6. *Coſtal. in d. l.* 61. *Donel.* 10. *com.* 10. *Pinel. d. part,* 2. *n.* 52. *Charond.* 1. *veriſimil.* 5. *&* 21.

19. Finitur uſusfructus morte fructuarii: adeò ut maturis nondum tamen perceptis fructibus decedens, nihil transmittat in heredem §. *is verò Inſt. de rer. diviſ. l.* 25. §. *præterea D. de uſur. l.* 13. *D. Quib. mod. uſufr. vel uſ. amit.* Quod quanquam iniquiſſimum ſimul & falſiſſimum cenſet Cujacius 4. *feud.* 30. rectius tamen Dd. communi calculo approbant. *Donel.* 10, *com,* 9, *Hotom.* 2. *feud.* 28. §. 4. *Hart. Piſtor.* 1. *qu.* 24. *n.* 17. *& ſeqq.*

 20. Fi-

20. Finitur etiam capitis di[illegible]utione maxima & media §. *finitur Inſt. h. tit. l. pen.* §. *ſed neque per omnem C. eod.* Interitu rei, veluti ſi ædes fructuariæ corruerint *d.* §. *finitur l.* 5. §. *rei mutatione l.* 10. & *ſeqq. D. Quib. mod. uſufr. amit.* Si areæ fructuariæ ædificium impoſitum fuerit *d. l.* 5. §. *ult. l.* 6. & 7. *eod.* Si flumen vel mare agrum occupaverit *l. ergò* 30. §. *alluvio D. de adq rer. dom.* Non amittitur ſola inundatione *l. cum uſumfructum* 24. *D. Quib. mod. uſufr. amit. Donel.* 10. *com.* 18. Non malè utendo: *arg. l.* 1. *D. uſufr. quemad. cav. l.* 15. §. & *generaliter D. de uſufr. Baro. in d.* §. *finitur Weſ. par. D. Quib. mod. uſufr. fin. n.* 8.

21. Finitur etiam ceſſione & conſolidatione *d.* §. *finitur.* Denique ſi fructuarius uſus fruitus non ſit per modum & tempus definitum: puta ſi re mobili uſus non ſit per annos III. immobili inter præſentes annis X. inter abſentes annis XX. *l. pen. C. h. tit. Hotom. in d.* §. *finitur. Cujac.* 3. *ſent. Paul.* 6. §. *non utendo.* Diſſ. quantum ad mobiles *Gloſ. in d. l. pen. verb. excludere. Schneid. in* §. *fin. Inſt. h. tit. n.* 7. *Mynſ. ibid. n.* 6. Neque excipimus civitatem: nam & hæc non utendo amittit uſumfructum *l. Mævius* 66. §. *ult. de legat.* 2. *junct. l hereditatem* 68. *verſ. ſic denique D. ad leg. Falcid.*

DISPUTATIO TERTIA,

DE

QUASI USUFRUCTU.

Reſp. Luca vande Poll, *Ultrajectino.*

1. Quaſi uſusfructus in iis rebus conſiſtit, quarum ſubſtantia utendo conſumitur: veluti in vino, oleo, frumento, pecuniâ numeratâ, & ſimilibus. Quibus rebus rectène veſtimenta annnmerentur controverſum eſt. Ait enim Imper. in §. *conſtituitur Inſt. de uſufr.* Negat Ulp. *in l. ſed ſi quid* 15. §. *etſi veſtimentorum D. eod. l. ſi uſusfructus* 9. §. *pen. D. uſufr. quemadm. cav.* Diſtinctione res expediri poteſt, *Hotom. Weſ. & alii in d.* §. *conſtituitur. Cujac. in Quæſt. Papin. ad l.* 3. *D. de uſur. Donel.* 10. *com.* 4. *Leon. de uſufr. cap.* 12. *n.* 12. *Caſtil. de uſufr. cap.* 51.

2. In corporibus quoque conſiſtere poteſt quaſi uſusfructus, ſi ad numerum vel pondus dentur fructuario, eâ lege, ut quandoque tantundem reſtituatur. Neque mirum: nam & in emtione, & in mutuo, ſpecies ſeu corpora quantitatis vicem ſubire poſſunt, ſi ad pondus, nume-

rum, vel menſuram, contrahamus. *l. quod ſæpe* 53. §. *in his quæ pondere & §. ſeq.* **D.** *de contrah. emt. Conna* 7. *com.* 1. *n.* 4.

3. Reditum annuum habens uſumfructum ejus mihi conſtituit; utrum verus, an quaſi uſusfructus eſt? Verus, ſiquidem reditus perpetuus ſit: ſin perſonalis, ſeu ut vulgò loquuntur, vitalitius, erit quaſi uſusfructus: Idcircò fructuarius ſingulorum annorum penſiones collocabit fœnori, ſortem quandoque reſtituet. Nec adverſantur nobis quæ de hoc reditu in dotem dato habet *Roder.* 1. *de ann. redit.* 3. *n.* 16. *Rodeburg. de marit. poteſt. tit.* 2. *c.* 4. *n.* 33.

4. Si lapidicinæ uſumfructum mihi conſtitueris, ſiquidem lapis ibi renaſcatur, verus erit uſusfructus: ſin minus, quaſi uſusfructus. Itaque poſteriore caſu marmora æſtimanda ſunt, ut pretio fruar, ſortem olim reſtituturus *arg. l. divortio* 7. §. *ſi vir in fundo D. ſol. matr. l. ult. D. de fund. dotal. l. ſi ex lapidicinis* 32. *D. de jur. dot. Jacob. Thoming. deciſ.* 12. *n.* 4. *Sand.* 5. *tit.* 3. *def.* 2. *Barboſ. in d. §. ſi vir, n.* 36. *& ſeqq.*

5. Idem judicabimus de venis metallicis, de venis bituminoſis, quarum proventu ad alimenta ignis utimur; de calcariis, ſulphurariis, picariis, & ſiquid ejuſdem generis eſt. *d. l. divortio* §. *ſed ſi cretifodinæ* Vide *Sand. d loc. Conſuet. Ultraj. Alb juſ. coll.* §. 14. *Berlich. part.* 3. *concluſ.* 35. *n.* 21. 22.

23. *Barboſ. in d. §. ſi vir, n. 14. & ſeqq.*

6. Si quis alicui uſumfructum Kalendarii ſui, vel tabellio uſumfructum codicis ſui alii reliquerit, non eſt is verus, ſed quaſi uſusfructus. Idcircò fructuarius pecunias exactas exercebit fœnore, ac cavebit de reſtituendâ ſorte. *Thoming. d. deciſ. 12, n. 11. Sand. d. defin.* 2. poſt *Bald. in d. l. divortio §. ſi fundum, n.* 1. Diff. quantum ad codicem notarii *Barboſ. in d. § ſi vir. n.* 37.

7. Manceps qui hortos publicos in quinquennium conduxerat, fructum ejus conductionis legavit Aufidio: Non quaſi, ſed verus hic uſusfructus eſſe videtur. Mercedem verò conductionis publico heres inferret, non legatarius. *l. qui quatuor* 30. *§. qui hortos D. de legat.* 3. Nec adverſantur *l.* 7. *§. quoniam. l.* 27. *§. ſi quid cloacarii. l. uſufructu.* 52. *D. de uſufr. l. quæro* 28. *D. de uſ. & uſufr. legat.*

8. Conſtituitur quaſi uſusfructus non omnibus omninò modis, quibus verus: non certè adjudicatione. Lege verò, & traditione, & longi temporis præſcriptione conſtituitur: ſed in primis teſtamento, de quo modo etiam pleraque capita juris loquuntur. *tit. D. de uſufr. ear. rer. quæ uſ. conſum. l.* 1. *D. de uſ. & uſufr. legat. l. uſufructu* 69. *D. ad leg. Falcid.* An pactionibus etiam & ſtipulationibus? Etiam, arg. *§. conſtituitur verſ. ſed utilitatis gratiâ Inſt.*

de uſufr: Diff. *Conna.* 4. *com.* 4. *n.* 2. *Weſ. in d.* §. *conſtituitur. Pac. in Iſag. D. de uſufr. ear. rer.*

9. Teſtator legavit mihi uſumfructum aureorum CIↃ cum autem teſtamento diutius ſuperſtes fuiſſet, valor aureorum mutatus eſt: utrum tempus teſtamenti conditi, an agniti legati ſpectandum? Tempus teſtamenti conditi: *arg. l. ſi ita* 7. *l. Quintus Mutius* 27. §. *argento l. ſcribit* 34. *l. ult. D. de aur. & arg. legat. l. nomen* 34. §. 1. *l. uxorem* 41. §. *teſtamento* 4. *D. de legat.* 3. *l. Aurelius* 28. §. 1. *D. de liber. legat.* Confer. *Mantic. de conject. ult volunt.* 3. *tit.* 11. *n.* 8. *Barry* 9. *de ſucceſ.* 4 *n.* 21. *Everh. conſ.* 105 *n.* 5. & 6. *Sanxo ad Turon. tit.* 36. §. 1. *Gail.* 2. *obſ.* 73. *n.* 4. *Caſtil. de uſufr. cap.* 17. *n.* 23. & *cap.* 44. *n.* 2.

10. Quid ergò ſi tempore conditi teſtamenti ſinguli aurei fuerint aſſium XL. finito uſufructu ſint aſſium L. an heres fructuarii pro ſingulis aureis poterit refundere aſſes quadragenos? Minimè: debet enim tantam pecuniam refundere, quantam accepit. *d.* §. *conſtituitur verſ. itaque ſi pecuniæ Inſt. de uſufr. l. ſi vini* 7. *D. de uſufr. ear. rer. quæ uſ. conſum.*

11. Si vini, olei, frumenti, lanæ, odorum, aromatum, aut ſimilium uſusfructus relictus ſit, æſtimandæ ſunt eæ ſpecies initio uſusfructus, ut finito jure fructuarii æſti-

æſtimatio proprietario reſtituatur. *d.l.ſi vini* 7. In ineundâ autem æſtimatione non præciſè ſpectabimus diem & horam conditi teſtamenti,ſed e.gr.triticum tanti æſtimabimus, quanti majore parte anni venire ſolet. *Imbert.* 1. *Inſt. Forenſ.* 60.

12. Per quem æſtimatio facienda? Si inter partes non conveniat, arbitri ſumendi ſunt minimum duo ſi haberi poſſint. *Coler.de proceſ. execut.* 3.*cap.*9. *n.*128. Quod tamen præciſè neceſſarium non puto, etſi haberi poſſint. Quid ſi arbitri diſcordent, aut iniquè æſtimaſſe videantur? Judex adeundus eſt, ut aut tertius dirimat contentionem, aut ipſe reus æſtimet aut corrigat iniquam æſtimationem. *arg. l. ſocietatem* 76.§ *arbitrorum & l.ſeqq. D.pro ſoc.l. item ſi unus.* §. *ſi in duobus &* §. *ſeq. D.de recept.* Quod ſi ipſe judex arbitrum dederit, appellari ab iniquâ æſtimatione poſſe, rectè dixeris. *arg. l. arbitrio* 9. *D. qui ſatisſd. cog.*

13. Porrò quemadmodum verus fructuarius per fidejuſſores cavere debet proprietario: ita etiam quaſi fructuarius. Et ſi fidejuſſores non reperiat, vel ad juratoriam cautionem admittendus eſt, vel pecuniæ apud ſequeſtrem deponendæ ſunt. Sed ille cavet, ſe uſurum viri boni arbitratu, & finito jure ſuo reſtituturum quod inde extabit, hic verò, ſe finito ju-

re

re ſuo tantam pecuniam reſtituturum. *l.* 1. *D.uſufr. quemadmod. cav. l.* 2. *& ſeqq.D.de uſufr. ear.rer. quæ uſ.conſum. d.* §. *conſtituitur Inſt.de uſufr.*

14. De hac cautione illud inprimis controverſum eſt, an ſit de ſubſtantiâ quaſi uſusfructus,nec ullo modo ab eo abeſſe poſſit? Et licet non incelebres auctores id affirmaverint, *Alciat. ad l.* 1. *n.* 32. *D. de legat.* 1. *Gail.* 2. *obſ.*46.*n.* 3. *Hotom. ad. d.* §. *conſtituitur. verſ. utilitatis cauſa. Schneid. ad pr. Inſt. eod. in fin. Donel.* 10. *com.* 4. *verſ. illuc redeo.* Verior tamen eſt negantium ſententia. *l.* 5.§.1.*D.h.tit. Pinel.ad.l.* 1. *C. de bon. mat. part.* 2. *n.* 78. *Joan. Fab. Mynſ. Giphan.ad d.* §. *conſtituitur. Fachin.* 8. *contr.* 43. *Caſtil. de uſufr. cap.* 15. *n.* 16. 17. *& cap.*16.*n.*26.27.

15. Inde colligimus, ab herede hanc cautionem remitti poſſe fructuario: tametſi non poſſit ei remitti à teſtatore, arg. *l.* 1. *C. de uſufr. l. ſi pecuniæ D. ut in poſſ. legat.l.pen. C.de pact.l. ſi quis* 51.*C.de epiſc. & cleric. Donel. & reliqui dd. loc. Fach.* 8. *contr.* 42. Colligimus etiam rectè & reſponſum & judicatum eſſe, ſi quis inter vivos donet alicui aureos cIɔ. retento ſibi uſufructu, non poſſe donatarium à donante exigere cautionem *Mynſ.cent.* 5. *obſ* 36.

16. Si verum uſumfructum ſpectes, poteſt teſtator ejuſdem rei uſum alii, fructum alii

alii relinquere: *l. per ſervum* 14. §. *ult.D. de uſ.* & *habitat.l.* 5. §. *ergò etſi D. uſufr. quemadm. cav. l.ſi alii uſus* 42. *D. de uſufr. l.* & *per jusjurandum* 13. §. *ſiquis uſumfructum D. de acceptilat,* Pecuniæ verò uſus à fructu ejuſdem non videtur ſeparari poſſe. *l.* 5.§. *ult.l. quoniam* 10. §. 1. *D.de uſufr. ear. rer. quæ uſ. conſum.*

17. In lege viceſimariâ uſusfructus appellatione an continetur quaſi uſusfructus? Fortè quis diceret in dubiâ causâ contra fiſcum eſſe reſpondendum. *l. non puto* 10. *D. de jur. fiſc.* Verùm non eſt hæc cauſa adeò dubia, quin vel ex mente, vel ex verbis legis demonſtrari poſſit, uſusfructus appellatione quaſi uſumfructum contineri. Quod tamen ad Edictum noſtrum triceſimarium minimè poteſt extendi, §. 1, 2, 12, 19.

18. In Statutis loquentibus de uſufructu an continetur quaſi uſusfructus? Et hic forte cum DD. dixeris, in ſtatuto cum jure communi concordante ſub caſu vero contineri fictum: in diſcordante ſecus, *Coſtal. ad l.* 3. 5. *hæc verba D. de negot. geſt. Gomeſ. ad leg. Taur,* 70. *n,* 17. *Chriſtin, in prælud. ad leg, Mechlin. n,* 37. Sed verius eſt non tam concordiam ſtatuti cum jure communi, quam rationem ejuſdem eſſe ſpectandam, *Molin, ad Pariſ.*§. 20.*gloſ.* 4. *n.*7. & §. 42. 7. & §. 54. *n.* 10. *Chaſſan.* ad

ad Burg. tit. 4. §. 1. *gloſ. contracts entre les viſs. n* 9 *& ſeqq. Rebuff. de chirogr. recognit. n.* 98. Idcirco non dubitabimus in *Stat. Urb. tit.* 22. §. *ult.* tametſi juri communi contrarium ſit, appellatione uſusfructus quaſi uſumfructum contineri.

19. Habens verum uſumfructum jus ſuum in alium transferre poteſt. §. 1. *Inſtit. de uſ. & habitat. l.* 38. *& ſeq. l.* 67. *D. de uſufr.* Eandem poteſtatem an habet quaſi fructuarius? Nihil hic obeſſe video, quo minus & huic poteſtatem transferendi arrogemus.

20. Finitur hic uſusfructus tantum morte & capitis diminutione fructuarii: non etiam negligentiâ longi temporis, non interitu pecuniæ *l. in ſtipulatione* 9. *& l. ſeq. D. de uſufr. ear. rer. quæ uſ. conſum.* Nec tamen hæc oratio obeſt quominus etiam remiſſionem & conſolidationem quandam hujus uſusfructus agnoſcamus. De interitu verò pecuniæ nonnulli diſſentiunt, exiſtimantes pecuniam perire heredi. *Mynſ. ad d.* §. *conſtituitur Inſt. de uſufr. in fin.* Sed non rectè. *Donel.* 10. *com.* 4. *Bachov. in d.* §. *conſtituitur.*

DISP.

DISPUTATIO QUARTA
DE
USU, HABITATIONE,
Operis, & reliquo Servitutum perſonalium Jure.

Reſp. HENRICO ALEXANDRO BERGHOLT dict. SANDERS. *Veſalienſ. Cliv.*

1. Vſus eſt jus alienis rebus utendi ad neceſſitatem, ſalva earum ſubſtantia, Earundem enim rerum eſt uſus, quarum uſusfructus: excepto eo, quod neque omnium bonorum, neque quantitatum uſus conſtitui ſolet. Iiſdem porro modis uſus & conſtitui & extingui ſolet, quibus uſus fructus: extraquam, quod neque lege, neque ſententia judicis conſtituti exemplum legitur. Nec adverſatur *l. quoniam* 13. §. 1. *D. de uſufr. ear. rer. quæ uſ. conſum. aut l.* 10. §. 1. *D. comm. divid.*

2. Si uſusfructus filiofamilias ſit relictus, non extinguitur niſi morte utriuſque, nempe patris & filii, *l. ult. C. de uſufr.* Quid ſi nudus uſus filio familias relictus ſit? Non malè dixerimus, etiam ad hoc legatum ſententiam novæ deciſionis eſſe porrigendam. *arg. l.* 1. *& l. filiofamilias* 17. *D. de uſ. & habitat.* Nec repugnat *l. præcipimus* 32. *in fin. C. de appellat.*

3. Uti-

3. Utimur ad neceſſitatem: fruimur ad compendium uſque & lucrum. Itaque ſi ædium uſus relictus ſit, habitare ipſe uſuarius poteſt, non mercedem locatis ædibus redigere. Habitare autem cum uxore, liberis, libertis, & perſonis neceſſariis. Hoſpitem etiam recipere licet, ſed honeſtum, Quod temperamentum recte Dd. & inquilino, & fructuario, & uſuario, & ſcholari, & ſocio præſcribunt *l.* 2. 3 *&* 4. D. *de uſ. & habitat. junct l. ſi cujus* 13. § *ult l ſi pendentes* 27 §. 1. *D. de uſufr. l. ſi convenirit* 14. *in fin. D. pro ſoc. l.* 33. *C. de locat. cond. Capol. de ſervit. cap* 5. *n.* 5. *poſt Cyn. Bald. Caſtr. & alios in l.* 2. *C. de ſum. trin. Papon.* 22. *arreſt. tit.* 9. *areſt.* 14. *&* 15. *Schneid. de uſ. n.* 12. *Mornac. in l.* 4. §. *lenocinium D. de his qui not. infam.*

4. Si fundi uſus ſit relictus, oleribus duntaxat, pomis, floribus, fœno, ſtramentis & lignis uſuarius uti poteſt. §. 1. *Inſt. de uſ. & habit.* Nec obeſt, quod JCti. etiam de frugibus, vino & oleo aliquid concedunt *l. plenum* 12. §. 1. *l. fundi* 15. *D. de uſ. & habit.* Sed nec illud obeſt, quod foliorum uſum negare videtur Nerva *in d. l.* 12. §. 1. de quo ſcrupulo conſule *Cujac. in not. &* 9. *obſ.* 57. *Forner.* 2. *ſelect.* 2. *Conna.* 4. *com.* 5. *n* 8.

5. Si pecoris uſus relictus ſit, ad ſtercorandum duntaxat agrum uti poſſumus

§ *ſed*

§. *ſed etſi pecorum Inſt. de uſ. & habitat.* Ne hic quidem adverſatur Ulpianus, cum modicum lactis concedit, *in d. l. plenum §. ſed ſi pecoris, D. eod.*

6. Fructus ſine uſu legari nequit. *l. per ſervum* 14. §. 1. *D. de uſ. & habit.* Poteſt tamen uſus ſinè fructu, *ead. l.* 14. §. *ult. l.* 5. §. *ergo etſi fructus D. uſufr. quemadm. cav. l. ſi alii uſus* 42. *D. de uſufr.* Hæc non pugnant, tametſi pugnam agnoſcat Budæus *ad l. ult. D. de ædil. ed.* Vide *Cujac.* 8. *obſ.* 9. & 13. *obſ.* 12 *Conna.* 4. *com.* 5. *n.* 3. *Alciat.* 2. *parerg.* 3. *Gilb. Reg.* 1. *ἐναντ.* 11. *Char.* 1. *veriſim.* 21. *Zaſ. in l.* 72. *n.* 12 *de V. O. Caſtil. de uſufr. cap.* 28. *n.* 14. *Gomeſ.* 2. *var. reſol.* 10. *n.* 19. Interim ſubtile magis quam bono & æquo conſentaneum videri poterat. Confer *l. & per jusjurandum* 13. §. *ſi quis uſumfructum, D. de acceptilat. l. qui uſumfructum* 58. *D. de V. O.*

7. Uſu ſilvæ legato, fructum quoque legatum videri, Hadrianus reſcripſit *l. Divus* 22. *D. de uſ. & habit.* Hoc reſcriptum non malè Joan. Faber retuliſſe videtur ad ſilvam longius diſſitam *Fab.* §. 1. *Inſt. de uſ. & habitat. Coſtal. ad d. l. Divus. Coraſ. ad l.* 1. *ff. de ſervit. n.* 7. Sed ſi oppidulo fortè vel pago paucarum familiarum conceſſus ſit uſus ſilvæ, dein familiæ auctæ ſint, an novæ quoque familiæ uti poſſint, quæſitum? Et verius atque æquius eſt, poſſe. *Coſtal. in d. l.*

d. l. Divus. Imbert. in Enchir. verb. uſus rei. arg. l. proponebatur 76. D. de jud. l. grege 21. & l. ſeq. D. de leg. 1.

8. Onera rei non agnoſcit uſuarius, ſed heres *l. ſi domus 18. D. de uſ. & habit.* Agnoſcit tamen fructuarius *l. uſufructuarius 7. §. quoniam & ſeqq. D. de uſufr.* Ille non poteſt jus ſuum in alium transferre, hic poteſt. *§. 1. Inſt. de uſu & habit. l. 4. & ſeqq D. eod.* Utimur in ſolidum, fruimur etiam pro parte *l. uſus pars 19. D. eod. l. 5. D. de uſufr. l. etſi fortè 6. §. ſi ædes D. Si ſerv. vind. l. item quamvis 10. §. 1. ff. de uſ. & habit.* Unde, ſi quis uſum ſibi & heredibus ſuis ſtipulatus ſit, verum eſt, & ſingulos heredes in ſolidum uti poſſe *Coſtal. in d. l. Divus.*

9. Habitatio ab uſu & uſufructu ædium diſtincta eſt. Ab uſu, quoniam ad alium transferri habitatio poteſt, non poteſt uſus. Uſus non utendo amittitur, non habitatio. Ab uſufructu verò hoc poſteriore duntaxat argumento ſeparatur, *l. ſi habitatio 10. D. de uſ. & habit. l. pen. D. de capit. minut. l. cum antiquitas 13. C. de uſufr. l. ſi habitatio 9. D. Quand. dies legat. ced.* Genere ſanè conveniunt; eſt enim & habitatio ſervitus perſonæ *Cæpol. de ſervit. cap. 6. Coraſ. ad l. 1. de ſervit. n. 4 Caroc. de locat. tit. de uſ. & habit. quæſt. 1. & 3. Caſtil. d. cap. 28. n. 18.* Diſſ. *Hotom. ad §. ult. Inſt. de uſ. & habitat.*

10. Verum quod habitationem habenti tri-

tribuitur poteſtas locandi, donandi & gratis concedendi, id nonnulli reſtringunt ad habitationem legatam: ſi inter vivos conceſſa ſit, negant locum eſſe *d. l. cum antiquitas. Mornac. in l. ſi is qui binas* 30. *D. de uſufr.* Sed rectius plures ſenſerunt, non intereſſe legata ſit habitatio, an inter vivos conceſſa *Afflict. deciſ.* 401. *n.* 7. *& ſeqq.* (*perperam à Mornacio excitatus tanquam ſuffragator*) *Caroc. de quæſt.* 3. *n.* 3. *Caſtil. d. cap* 28. *n.* 24. Ac ne ea quidem ſpecies excipienda videtur, ubi donans ædes, excipit ſibi habitationem. *Afflict. d. loc.* Diſſ. *Mornac. in l.* 4. *D. de uſ. & habit.*

11. De operis quoque ſervorum & jumentorum dubitatum, utrum ad uſumfructum, an ad uſum ſervi accedant? Ad uſumfructum Gajus refert *l.* 3. *&* 4. *D. de oper. ſerv.* Ad uſum Terentius Clemens *l.* 5. D. *eod.* Sed omnibus conſideratis manifeſtum fiet, eſſe hoc jus diſtinctum ab uſufructu & uſu ſervi vel jumenti *l.* 2. D. *eod. l.* 2. D. *de uſ. & uſufr. legat.* Vide *Gov.* 1. *var. lect.* 7. *Hotom. in Epit. de oper. ſerv. Donel.* 10. *com.* 1. *Con.* 4. *com.* 2. *Cujac. tract.* 7. *ad Afric. in l.* 37. *de uſufr. &* 14. *obſ.* 23. *Caſtil. d. tract. cap.* 50. *n.* 3. *& ſeqq.*

12. Sed & dubitatum, an operæ ſervorum ſervitutibus perſonalibus annumerandæ? Negant multi, exiſtimantes eſſe duntaxat obligationem perſonalem: *Caſtil. d. cap.* 50 *n.* 7.

n.7. Coraſ. ad tit. de ſervit. n.26. & 27. Cæpol. de ſervit. urb. præd. cap.7. n.1. Zaſ. in parat. de oper. ſerv. Hotom. in epit. ibid. in fin. Verum his ſine diſtinctione neutiquam aſſentiendum eſt. Vide *Gomeſ. 2. var. reſol.* 15. *Azon. in ſum. C. de uſufr. n* 48. *Forcat. rubr. de ſervit. n.* 9. Cujac. *ad l. 2. ff. de uſufr. leg. Caſtil. d. loc. n.* 15.

13. Diximus uſuarium non agnoſcere onera rei: nihilo tamen minus verum, ſi cui uſus ſervi, vel operæ relictæ ſint, cibum ſervo à legatario præbendum eſſe. *arg. l. in rebus.* 18. *§. poſſunt D. commod l. item ſi ſervi* 30. *in fin. D. de ædil. edict. l. fructus* 7. *§. impendi D. ſolut. matrim.*

14. Servo, cujus uſumfructum habebam, aliquid donatum vel legatum eſt: an pertinet ad fructuarium? Non pertinet, *l. adquiruntur* 10. *§. de his autem. l. quod fructuarius* 49. *l. ſi is qui* 63. *§. quod ſi ſervus D. de acq. rer. dom.* Ulpianus tamen diſtinguit, utrius contemplatione legatum ſit, heredis an fructuarii *l. ſi ſervi* 21. *& l. ſeq. D. de uſufr.* Sed diſtinctionem iſtam rejectam eſſe ab Imp. *in §. de iis autem ſervis Inſt. per quas perſ. nob. acquir.* non malè opinatur *Hotom. in Epit. de oper. ſerv. n.* 3. Adde *Vlp. in fragm. tit. de dom. §. pen.* Idem igitur dicendum de ſervo, cujus operæ alii relictæ ſunt.

15. Servus ille dum fodit agrum meum, inve-

invenit theſaurum: mihine totus debetur, an ſemis proprietario decidendus? Semis proprietario debetur *d l.* 63. §. *quod ſi ſervus, D. de adquir. rer dom.* Indè evidenter colligitur, ſi fabrum conduxerim, iſque theſaurum invenerit in meo dum opus facit, mihi non niſi dimidiam partem deberi. Quod ſi piſcatorem conduxerim, ut in mari piſcetur, iſque extraxerit tripodem aureum, totus inventori cedit. *Argentr. ad Conſ. Brit. art.* 53. *gloſ.* 2. *n.* 15.

16. Aquæ hauſtus, & pecoris ad aquam appulſus, non ſunt ſervitutes perſonarum, ſed prædiorum. §. *inter prædiorum Inſt. de ſervit. urb. & ruſt. præd. l* 1. §. 1. *l. ſi mihi* 20. §. *ult. D. de Serv. præd. ruſt.* Nec adverſatur *l. Mela* 14 §. *quidam libertis D. alim. vel cibar. legat.* de cujus emendatione & intellectu vide *Longoval. in l. imperium D. de juriſd. Donel.* 11. *tom.* 7. *Pac.* 6. *antin.* 39. *Weſ. in parat. D. de Servit. præd. ruſtic. n.* 3. & 4. *Hotom.* 8. *ob. ult.*

17. Quæ de cautione uſufructuaria ſupra dicta ſunt, & ad hunc locum transferri poſſunt; eſt enim cautio omnibus ſervitutibus perſonalibus communis *l.* 5. *D. uſufr. quemad. cav.* Sunt & communes actiones: de omnibus enim agi poteſt confeſſoria & negatoria actione: nec rectè quidam exceperunt operas, quaſi de his ſola in perſonam actio competat.

18. Et-

18. Etiam jus adcreſcendi in omnibus locum habet, tametſi compilatores juris de uſufructu duntaxat loquantur, *tit. de uſufr. adcreſc.* Nec ſolum jus adcreſcendi habent, qui re & verbis, vel re tantùm conjuncti ſunt, ſed &, qui verbis tantum *l.* 16. §. *ult. D. de leg.* 1. *l. re conjuncti* 89. *D. de legat.* 3. *l. ſi ita quis* 66. *D. de hered. inſtit. Bartol, Bald. Alber. in l. ſi duobus D. de uſufr. adcreſc. Coſtal. in l.* 1. §. *idem Julianus, eod. tit. Cujac. in l. triplici* 142. *D. de V. S. &* 24. *obſ.* 34. *Graſſ.* §. *jus adcreſcendi. quæſt.* 9. *in fin. Menoch.* 4. *præſ.* 159. Diſſ. *Duar.* 1. *de jur. adcreſc.* 10. *Caſtil. de uſufr. cap.* 48. *n.* 24. *Fach.* 5. *contro.* 50.

19. Servo communi relictus eſt uſusfructus, an domini gaudent jure adcreſcendi? Affirmat Julianus *l.* 1. §. 1 *D. de uſufr. adcreſc.* Negat Celſus *in l. & Proculo* 20. *D. de legat.* 2. Recte pugnam agnovit Cujacius *tract.* 5. *ad Afric. in l. de uſufr. adcreſc. &* 8. *obſ.* 35. *Duar.* 1. *de jur. adcreſc.* 13. Fruſtra ſudavere *Cov. de jur. adcreſ. n.* 27. *Alciat. in d. l. re conjuncti n.* 62. *Gomeſ.* 1. *reſol.* 10. *n.* 39 *&* 40. *Pac.* 6. *antin.* 13. *Caſtil. d. cap.* 48. *n.* 33. *& ſeqq.*

20. Poſtremò dies his ſervitutibus ferè communis eſt: nam ſi uſus, uſusfructus, habitatio teſtamento relinquantur, dies & cedit & venit aditâ hereditate, *l. un. D. Quand. dies uſusfr. leg. ced. l.* 2. 3. 7. §. *ult.* *&*

& l. 8. D. Quand. dies legat. ced. Operarum verò dies cedit, ex quo petitæ ſunt *l. operæ 7. D. de uſ. & uſufr. legat junct. l. 1. D. de oper. ſervor.*

DISPUTATIO QUINTA
DE
Servitutibus Prædiorum Urbanorum.

Reſp. LAURENTIO NERINGH, *Veſal Cliv.*

1. Servitutes prædiorum vel urbanæ ſunt, vel ruſticæ. Illæ prædiis inhærent urbanis, hæ ruſticis. Quod ſi fortè prædium urbanum ſerviat ruſtico, vel contra, ruſticum urbano, à dominanti prædio ſervitus denominanda eſt. *Gloſſ. & Dd. in l. 2. verb. aream D. de ſervit. præd. urb. Forcat. ad l. 1. de ſervit. n. 21. Mynſ. ad rubr. Inſt. de ſervit. n. ult. Schneid. ibid. n. 8. Cæpol. de ſerv. urb. præd. cap. 11. n. 10.* Diſſ. *Coraſ. ad rubr. de ſervit. n. 18. & 24.*

2. Urbana prædia à ruſticis materiâ, uſu, & qualitate diſtinguuntur, non loco *l. 1. D. Com. præd. l. urbana prædia 198. D. de V. S l. ſi prædium 16. C. de præd. minor. §. 1. Inſt. de ſervit.* ſicut & familia *l. urbana familia 166. de V. S.* penus *l. 4. §. pen. D. de*

pen. legat. ſupellex *l. quemadmodum* 12. *D. de ſupel. legat.* Nec movet nos Neratius in *l.* 4. §. *ſtabula D. In quib. cauſ. pign. vel hypoth. tac contr.* Vide *Cujac. in not. ad tit Inſt. de ſervit. Hotom.* 2. *obſ.* 21. & 8. *obſ.* 12. *Gov.* 1. *var. lect.* 16. *Donel.* 11 *com.* 4. *Gædd. ad d. l.* 198. *de V. S. Coraſ. ad rubr. de ſervit. n.* 8. & *ſeqq.*

3. Quid de ſtabulo, horto, horreo, villa judicandum? Neque urbanis omnia, neque ruſticis prædiis ſemper annumeranda *d. l.* 4. §. *ſtabula. d. l. urbana prædia l. prædiis* 91. §. *qui domum D de leg.* 3. *l.* 3. *D. In quib. cauſ. pign. tac. contr. l.* 3. §. *effractura, D. de off. præf. vigil. Varr.* 1. *de re ruſtic.* Quid de nave? Ridiculè hoc & quærit, & ſolvit Cæpolla, *de ſervit. præd. urb. & ruſtic. cap.* 11. *n.* 7. cum navis prædium non ſit, *l.* 1. §. *ſi quis de nave D. de vi & vi arm.* Non ridiculè illud, molendinum quale prædium ſit? Et rectè reſpondet, interim ruſticum, interim urbanum eſſe. *d. cap.* 11. *n.* 8.

4. Urbana ſervitus eſt, ut vicinus onus aliquod vicini ſuſtineat. Tametſi enim omnis ſervitus onus aliquod imponat, videtur tamen *in* §. 1. *Inſt. de ſervit.* his verbis ſpecies potius ſervitutis, quàm natura generis deſignari. *l. etſi fortè* 6. §. *ſi ædes D. Si ſerv. vind. l. eum debere* 33. *D. de ſervit. præd. urban. l.* 1. *D. de ſervit. legat. Theoph. in* §. *æquè Inſt. de act. Baro & Bathov. ad d.* §.

1. *Ca-*

1. *Capol. de ſervit. urb. præd. cap.* 37.

5. Non ſolùm eſt ſervitus urbana, ut quis accipiat ſtillicidium vel flumen in ædes ſuas vel aream, vel cloacam; ſed &, ut ne recipiat. *Capol. de ſervit. præd. urb. cap.* 29. Ac licet ea verba, *vel ne recipiat*, in *d.* §. 1. *Inſt. de ſervit.* non agnoverint Ferretus, Ruſſardus, & Gothofredus; non malè tamen agnoviſſe videntur Theophilus, Accurſius, Hotomannus, Baro, Mynſingerus, Weſenbecius, Bachovius, Cujacius.

6. Non ſolùm jus altius non tollendi ſervitus eſt, ſed & aliquando jus altius tollendi. §. *æquè Inſt. de act. l.* 2. *D. de Serv. præd. urb.* Quod quemadmodum procedat, conſule *Donel.* 11 *com.* 5. *Joan. Fabr. Zaſ. Cujac. in not. ad d.* §. *æquè. Capol. de ſervit. urb. præd. cap.* 26. *Pac. cent.* 3. *antin.* 56. *Coraſ. ad l.* 1. *D. de ſervit. n.* 7. *& ſeqq. &* 3. *miſcell.* 24. *Carpzov.* 2. *conſt elect.* 41. *def.* 13.

7. Inter ſervitutes, ne altius ædes tollantur, &, ne luminibus vicini officiatur, manifeſtum diſcrimen eſt. *l. inter* 15. *l. ſi arborem* 17. *pr. &* §. *interdum D. de ſervit. præd. urban. Hotom.* 13. *obſ.* 4. *Baro in d.* §. 1. *Inſt. de ſervit. Capol. de ſervit. urb. præd. cap.* 26. meritoque miramur, id non animadverſum à Cujacio 17. *obſ.* 35. Donello *d. cap.* 5.

8. Eſt etiam manifeſtum diſcrimen inter ſervitutem ne luminibus officiatur, &

ſervitutem luminum; cum priore hoc agitur, ne lumina obſcuriora fiant, atque nunc ſunt: poſteriore, ut liceat aperire parietem cœcum, & facere in eo feneſtram. *l. 4. l. inter ſervitutes 15, & ſeqq D. de ſervit. præd. urb. Duar 1. diſput. anniv. 33.* Diſſ. *Donel. d. loc.* Aliter *Cæpol. de ſervitut. præd. urb. cap. 35. Coraſ. ad l. 1. de ſervitut. n. 21. & ſeqq.*

9. Binas ædes habens alteras vendidit, hâc lege: Lumina uti nunc ſunt, ita ſint: dein vendidit & alteras: quæſitum, an poſteriores ædes ſervitutem debeant prioribus, ne luminibus officiatur? Non videtur: *l. Gaurus 10. l. & qui duas 34. l. ſi binarum 35. D. de ſervit. præd. urban.* Nec adverſantur *l. 1. D. de ſervit. legat. l. 15. qui duo 29. D. de ſervit. præd. ruſtic. l. ſi quis duas 6. pr. & §. ſi in venditione l. is cum duas 8. l. cum fundus 12. l. venditor 13. D. Com. præd. Choppin. 1. de mor. Pariſ. 4. n. 4. Cuj. ad l. 1. ff. de ſervit. leg.*

10. Conſtituta ſervitute ne luminibus officiatur, plures feneſtras in meo feci: utrum ad priora duntaxat lumina ſervitus pertinet, an & ad poſteriora? Etiam ad poſteriora. *l. qui ædificium 22 & l. ſeqq. D. de ſerv. præd. urb.* Nec obeſt *l. nonmodus 12. C. de ſervit. & aq. Coraſ. ad l. 1. D. de ſervit. n. 31. & ſeqq. Salicet. in d. l. non modus. Cæpol. d. tract. cap. 36. quæſt. 9.*

11. In

11. In alienas ædes immittere lumina non licet, niſi conſtitutâ ſervitute *d. l.* 4. *D. de ſervit. præd. urb.* In hortum, vel viridaria vicini an licet immittere? Hoc quidem autore Cyno laudato affirmavit Sanxonius *ad Turon.* 19. §. 1. *gloſ.* 1. *per l. altius* 15. *D. Si ſerv. vindic. l. Proculus* 26. *D. de dam. infect. l. ſi in meo* 21. *D. de aq. pluv. arcend.* Verum loca adducta hanc ſententiam nequaquam probant.

12. Fumi immittendi ſervitus conſtitui poteſt, tametſi focus non ſemper luceat *l. ſi, ut* 8. §. *Ariſto D. Si ſervit. vindic. Pac. cent.* 8 *antin.* 63. Nec tamen ſervitus conſtitui poteſt, ut per foramen in imo pariete conclavis pavimentum proluatur, niſi aqua de cœlo eo cadat, *l. foramen* 28. *D. de Serv. præd. urb.* Hæc non cohærent, nec ulla idonea diſcriminis ratio afferri poteſt. Vide *Donel.* 11. *com.* 3. *Duar.* 1. *diſput. anniv.* 24. *Robert.* 2. *ſent.* 24. *Cujac.* 11. *obſ.* 3.

13. Inter ſervitutem proſpectus, &, ne proſpectui officiatur, quidam agnoſcunt hanc differentiam; quod priore concedatur, ut feneſtram vel foramen habere liceat proſpiciendi gratia: poſteriore caveatur, ne officiatur proſpectui quem jam ante habebamus. *Cæpol. de ſervit. urban. præd. cap.* 34. *n.* 3. *poſt. Azon. in ſum. C. de ſervit. n.* 3. Verum confundunt

hi ſervitutem luminum cum ſervitute proſpectus. *l. inter ſervitutes* 15. *& l. ſeq. D. de ſervit. præd. urban.*

14. Nec rectè diſtinguunt ſervitutem projiciendi & protegendi, qui dicunt, prioris hanc eſſe vim, ut ex domo tua in aream vel fundum vicini poſſis projicere aquam, vel ſordes. *Cæpol. d. tract. cap.* 31. Atquin ſi leges aſpicias, projectum genus eſt: ſpecies protectum, Mænianum, ſuggrunda. *l. malum* 242. §. 1. *D. de V. S. ub. Alciat. & alii in com. Cujac. & Pac. in parat. Dig. de damn. infect. Coraſ. ad d. l.* 1. *n.* 73. *in fin. &* 3. *miſcel.* 25.

15. In parietem communem nemo tignum immittit jure ſervitutis, cum res ſua nemini ſerviat. *l. in re communi* 25. *D. de ſervit. præd. urb. l. cum eſſent* 33. §. 1. *D. de ſervit. præd. ruſtic. l.* 5. *D. Si uſufr. pet.* Num ergò dominii jure immittere poſſum invito ſocio? Ne hoc quidem, niſi ejus rei gratia paries paratus ſit. *d. l. in re communi. l. an unus* 11. *D. Si ſervit. vindic. l. Sabinus* 28. *D. Com. divid. Cæpol. d tract. cap.* 30. *n.* 4.

16. Servitutem ſtillicidii immittendi habens deprimere ſtillicidium non poteſt, altius tollere poteſt *l. ſervitutes* 20. §. *ſtillicidium D. de ſerv. præd. urb.* Planum quidem hoc reſponſum eſt, non tamen dubitandum, ſi fortè deprimendo laxior fiat conditio prædii ſervientis, poſſe etiam ſtillicidium

ꝺium deprimi *d. l. ſervitutes* §. *& omninò ſciendum eſt. D. eod.* Confer *Cepol. d. tract. cap.* 28.*n.* 5.

17. Si habeam jus immittendi ſtillicidii in aream vicini, an vicinus in ea area ædificare poteſt ? Non poteſt *d. l. ſervitutes* §. *ſi ſervitus ſtillicidii D. eod.* Nec adverſatur § *ult. ej. leg. Gloſ. in d.* §. *ſi ſervitus. Cepol. d. cap.* 28.*n.*7. *Coraſ. ad d. l.* 1. *n.* 46. Sed nec pugna ulla eſt, inter *d. l. ſervitutes* §. *ſi ſublatum, & l locus* 14. *D Quemadm. ſerv. amit. l. certo generi* 13 *D. de ſervit. præd. ruſtic. l.* 5. §. *rei mutatione. D. Quib. mod. uſusfr. vel uſ. amit. Cepol. d. cap.* 28.*n.*6. *Coraſ. d. loc. n.* 49. *& ſeqq. Gomeſ.* 2. *reſol.* 15.*n.* 23. *Carpzov. d. conſt.* 41.*def. ult.*

18. Quid ſi ipſe vicino meo conceſſero jus ædificandi in ea area, an amitto ſervitutem ſtillicidii ? Amitto. *l. ſi ſtillicidii* 8. *D. Quemadm. ſervit. amit.* Nec repugnat *l. ſi domus* 21. *D. de ſervit præd. urb. Cepol. d. cap.* 28. *quæſt. ult. Pac. cent.* 7.*antin.* 88. *Coraſ. d. loc. n.* 55.

19. Jus cloacæ mittendæ ſervitus eſt. *l. jus cloacæ* 7. *D. de ſervit.* Utrum urbana, an ruſtica ? Et videtur urbana eſſe : utique ſi debeatur prædio urbano. *Gaj* 2. *Inſt.* 1. §. *incorporalia. l.* 1. *pr. &* §. *curavit* §. *deinde D. de cloac.* Et in hoc licet omnes Dd. conſentire fateatur Coraſius, *ad d. l.* 7. *n.* 12. *& ſeq.* ipſum tamen tranſverſum egit. Nera-

tius *in l. 2. D. de ſervit. præd. ruſtic.* & Accurſius *in d. l. 7.* Rectius communem defendunt Cujac. Baro & Forcat. *in ead. l. 7.*

DISPUTATIO SEXTA
DE
Servitutibus Prædiorum Ruſticorum.

Reſp. JOHANNE KNUTH, *Veſalienſ. Cliv.*

1. RUſticorum prædiorum ſervitutes ſunt, iter, actus, via, aquæ ductus, aquæ hauſtus, pecoris ad aquam appulſus, jus paſcendi, calcis coquendæ, arenæ fodiendæ. *pr. & §. inter ruſticorum Inſt. de ſervit. l. 1. & 2. De ſervit. ruſticor. præd.*

2. Iter eſt jus eundi, ambulandi hominis, non etiam jumentum agendi vel vehiculum. Poteſt tamen qui iter habet, & equo ire, & ſella vel lectica vehi: quin & equum claudicantem manu ducere. *d. pr. Inſt. l. qui ſella 7. & l. inter actum 12. D. de Servit. præd. ruſtic. Hotom. d pr.* Latitudo lege XII. Tab. definita non erat, ideòque de controverſia ad arbitrum ibatur. *l. certo generi 13. § latitudo D. eod.* Diſſ. *Mynſ. ad d. pr.*

3. Actus

3. Actus eſt jus agendi vel jumentum tantum, vel etiam vehiculum *d. l.* 1. 7. *&* 12. *D. h. tit. l. ſi tam anguſti* 13. *D. de ſervitut.* Peccat igitur Hotomannus, cum definitionem ita emendat. Actus eſt jus agendi jumentum, non etiam vehiculum: *d. pr. Inſt. &* 2. *obſ.* 1. Vide *Cujac. in not. &* 22. *obſ.* 35. *Gov.* 2. *var. lect.* 17. *Duar.* 1. *diſput. anniv.* 31. *Donel.* 11. *com.* 6. *Conna.* 4. *com.* 11. *Fabr.* 1. *conject. ult. Coraſ. ad l.* 1. *D. de ſervit. n.* 97. *Forcat. ad eand. l.* 1. *n.* 24. Peccat etiam Baro, *ad d. pr. Inſt.* cum tradit, eum qui actum habet, ire quidem, non tamen ambulare poſſe.

4. Via eſt jus eundi, & agendi, tam vehiculum quam jumentum: quin etiam erectam haſtam ferendi, tigna, lapides, cœmenta trahendi *d. pr. Inſt. d. l.* 1. *&* 7. *D. de ſervit. præd. ruſt. d. l.* 13. *de ſervit.* Igitur non una inter actum & viam differentia eſt: ad quas accedit, quod viæ latitudo definita fuerit lege XII. Tab. latitudo actus plerumque ab arbitro definiretur. *l. via* 8. *& d. l.* 13. §. *latitudo D. de ſervit. præd. ruſtic.*

5. Ire igitur per alienum fundum non licet, niſi conſtitutâ ſervitute. *l. Divus* 16. *D. ſervit. ruſt. præd. l.* 3. §. *planè, D. de acquir. rer. dom.* Excipiunt Dd ſeptem caſus. 1. Si dominus non prohibeat. 2. Theſauri effodiendi gratia. 3. Ut perſequaris fugitivum. 4. Glandis legendæ cauſa. 5. Si pu-

legata: utrum legatarius, an heres eliget, per quam fundi partem eatur? Legatarius, *l. ſi cui* 9. *D. de Servit.* Imò heres *l. ſi via* 26. *D. de ſervit. præd. ruſtic.* aut certè ad arbitrum eundum eſt *l. certo generi* 13. §. 1. *D. eod.* Hæc non ſunt contraria. Vide *Donel.* 11. *com. cap.* 13. *Coraſ. in d. l. ſi cui, n.* 6. *Forcat. ibid. n.* 3. *Coſtal. ibid. Pac.* 3. *antin.* 52. *Capol. de ſervit. ruſtic. præd. cap.* 1. *n.* 8.

9. Qui actum habet, & iter habet: qui viam, & actum, & iter. Nec tamen hic tres, ille duas ſervitutes habet, ſed uterque unam *l.* 1. *D. de ſervit. præd. ruſtic.* Quid ſi plures fundi meo fundo viam debeant, unane ſervitus eſt, an plures? Una *l. una eſt via* 18. *D. eod.* Nec adverſantur *l. ſi ædes* 32. *pr. D. de ſervit. præd. urb. l. nam ſatis* 6. §. *ſi ego. D. Quemadm. ſervit. amitt.* Vide operoſe diſtinguentem *Capol. de ſervit. ruſt. præd. c.* 3. *n.* 7. *& ſeqq. & de ſervit. urb. præd. cap.* 23. Brevius *Coraſ. d. loc. n.* 116.

10. Si aquæ ductum mihi conceſſeris, quæſitum an poſſim etiam in alium agrum ducere, & vicino de hac aqua gratificari? Non poſſum, *l. ex meo* 24. *D. de Serv. præd. ruſtic. junct. l. cum eſſent* 33. §. 1. *D. eod. l.* 1. *D. de uſ. & uſufr. leg.* Nec repugnat *l.* 1. §. *illud Labeo* 16. *D. de aq. cotid. & æſtiv.* Vide *Conna.* 4. *com.* 9. *n.* 2. *Coraſ. d. loc. n.* 125. *Hotom.* 8. *obſ.* 14. *Fabr.* 5. *conject.* 11. *Molina.*

in extric. Labyr. part. 3. n. 345. *Capol. d. tract. cap.* 4. *n.* 31.

11. Conſtitui aquæ ductus & ita poteſt, ut aquam quærere & inventam ducere liceat *l. Labeo* 10. *D. de ſervit. præd. ruſt. l. ult. D. Si ſervit. vind.* Fides tamen hiſtoriæ vacillat, cùm *in. d. l.* 10. Labeo ejuſdem ſententiæ auctor laudatur: in *d. l. ult.* contrariæ. Vide *Gov.* 1. *var. lect.* 17. *poſt Gloſ. in d. l.* 10. *verb. poteſt.*

12. Aqua in meo fundo oritur: eam paſſus ſum longiſſimo tempore per agros confines decurrere: nunc eandem averto alterius agri rigandi gratia: quæſitum an vicini me prohibere poſſint? Non videtur: *l. fluminum* 24. §. *ult. l. Proculus* 26. *D. de dam. infect. l.* 4. *l. Præſes* 6. *C. de ſervit. & aq. l. ſed ſi rivus* 6. *D. fin. reg. l.* 2. *D. de riv.* Imò videtur: *l. ſi manifeſtè* 7. *C. de ſervit. & aq. l.* 1. §. *ult. & l. ſeq. D. de aq. & aq. pluv. arcend. l.* 3. §. *ductus aquæ D. de aq. cotid. & æſtiv. l.* 2. *C. de leg. Aquil.* Diſtinctione res expedienda videtur. Vide *Theſaur. deciſ.* 245. *Viv. deciſ.* 411. *n.* 8. *Cancer.* 3. *var. reſol.* 4. *n.* 229. *& ſeqq. poſt Bald. in d. l.* 4. *C. de ſervit. & aq. Capol. d. cap.* 4. *n.* 51. *& ſeqq. Mar. Giurb. obſ.* 61.

13. Jus paſcendi in tuo habebam: tu ex agro paſcuo novalia facere vis: an poſſum prohibere? Quid ni? *l.* 5 *l. ſi manifeſtè* 7. *C. de ſervit. & aq. l.* 4. §. *in conf. ſoria & ſeqq.*

ſeqq. *D. Si ſervit. vindic. l. 2. C. de leg. Aquil. cum ſimil: Capol. d. tract. cap. 9. n. 40. & ſeqq. Chaſſan. ad conſ. Burg. tit. 13. §. 2. n. 28. Cancer. d. cap. 4. n. 54. 56. & 75. Modeſt. Piſtor. quæſt. 106. Carpzov. part. 2. conſtit. elect. 41. defin. 1. 5. & 6.*

14. Quo tempore tibi ceſſi jus paſcendi, unum habebas ovile, gregem unum: nunc plures greges immittere in fundum ſervientem paras: an poſſum prohibere? Omninò *l. 1. §. Trebatius 18. D. de aq. cotid. & æſtiv. l. 4. §. modum D. de ſervit. junct. l. 3. D. de reb. cred. Capol. d. cap. 9. n. 32. Coler. deciſ. 218. Surd. deciſ. 236. n. 20. & 21. Afflict. dec. 290. n. 7. Cancer. d. c. 4. n. 52. & ſeqq.*

15. Meſſe jam factâ, & frugibus ſublatis poſſe pecora in alienos agros immitti, aliqui tradiderunt. *Chaſſan. d. §. 2. gloſ. per quemcunque lapſum temporis n. 2. citans Joan. Fabr. ad tit. Inſt. de leg. Fuſ. Canin. toll.* Verùm hanc ſententiam vel ſola natura refellit, quæ, quod ex re noſtra naſcitur, nobis addicit, quâcunque parte anni natum fuerit. *§. item ea quæ ex animalibus Inſt. de rer. diviſ. l. 6. & l. bonæ fidei 48. D. de adq. rer. dom. l. fructus pendentes 44. l. ſolum 49. §. 1. D. de rei vindic. Covar. pract. quæſt. 37. n. 2. & ſeqq. Cancer. d. cap. 4. n. 71. Imbert. in enchir. verb. ſervitutes. Coraſ. ad. l. 1. de ſervit. n. 137.*

16. Vicinus cum jus paſcendi non habe-

ret,

ret, immiſit pecora in fundum meum: an immiſſa pignerare poſſum, donec damnum ſarciatur? Non potes. *l, Quintus* 39. §. *quamvis D. ad leg. Aquil. l. qui ſervandarum* 14, §. *ult. D. de præſcr. verb. l. extat.* 13 *D. Quod met. cauſ.* Nec adverſatur *l. hoc amplius* 9. §. *Alfenus* & §. *Neratius D. de damni infect. l, ratis* 8. *D. de incend, ruin. naufrag. Coras. d. loc. n.* 138. & *ſeq. poſt Bald.* & *Caſtr. in d.* §. *quamvis. Bartol. in d. l. hoc amplius, Chaſſan. ad Burg. tit.* 1. §. 6. *gloſ. damnorum n.* 11. *Boer. ad Bitur. tit.* 11. §. 1. *Colcr. de proces. exec. part.* 1. *cap.* 3. *n.* 63. & *ſeqq. Cæpol. d. cap.* 9. *n.* 30.

17. Qui aquæ hauſtum habet, non amittit jus ſuum, ſi fons exaruerit, dein rurſum ex eo fonte aqua manare cœperit *l. unus* 34. §. 1. *l.* & *Atilicinus* 35. *D. de Servit. præd. ruſt.* Quid igitur, ſi jus lignandi habeam, & ſylva ſerviens exuſta ſit, an perdo ſervitutem lignandi? Non eſt veriſimile, cum ſuccreſcere rurſum à ſtirpe poſſit. *l. ſi locus* 14. *D. Quemad. ſervit. amit. l. certo generi* 13. *pr. D. d. ſervit. præd. ruſt. l. ſervitutes* 20. §. *ſi ſublatum D. de ſervit. præd. Urban.* Vide *Caſtil. de uſufr. cap.* 72. *n.* 15.

18. Servitus calcis coquendæ, cretæ eximendæ & ſimiles, non poſſunt conſtitui, niſi quatenus fundo dominanti opus eſt *l.* 5. & *l. ſeq. D. de ſervit. præd. ruſtic. Cæpol. cap.* 10. *n.* 2. Non puto nos peccaturos, ſi ver-

ſi verba non ſolum ad neceſſitatem, ſed & utilitatem & amœnitatem prædii dominantis retulerimus. *arg. l. quoties* 15. *D. de Servit. l* 3. *pr. D. de aq. cotid. & æstiv.*

19. Qui jus paſcendi vel lignandi habet, huic certam partem fundi aſſignari poſſe à domino ubi paſcat, vel lignetur multis placuit *Afflict. deciſ.* 290. *n.* 7. *& ſeq. Vall. de reb. dub. tract.* 7. *in fin. Papon.* 14. *tit.* 3. *arreſt.* 1. *Mornac. ad l.* 12. *D. de uſ. & habit. Coſtal. ad. l.* 22. *eod. tit.* Verùm hæc ſententia abſque temperamento neutiquam eſt probanda: *l. ad certam* 6. *& l. ſi cui* 9. *D. de ſervit. Grivel. deciſ.* 66.

DISPUTATIO SEPTIMA ET ULTIMA,

CONTINENS

Communia Servitutum Urbanarum & Ruſticarum.

Reſp. JOHANNE SCHIVELBERG *Veſalienſ. Cliv.*

1. SErvitutes prædiorum idcirco dicuntur, quod ſine prædiis ſubſiſtere nequeant, tametſi promitti poſſint ab eo qui prædium non habet, & ei qui prædio caret. *l.* 1. §. 1. *D. Com. præd.* §. *pen. Inſt. de ſervit. l. heredes* 25. §. *contra D. famil. erciſc. h*

exiſtimo 98. *D. de V. O. l. ſi ſervitus* 23. §. 1. *D. de ſervit. urb. præd. Heig. Weſ. Vult. & com. Dd. ad d.* §. *pen. Pac. cent.* 3. *antin.* 51.

2. An vicinitatem quoque utriuſque prædii deſideramus? Tametſi ſint, qui diſtinguunt inter urbanas & ruſticas: tanquam hæ vicinum prædium deſiderent, non illæ: hæc tamen diſtinctio expediendæ quæſtioni non ſufficit. Vide *l. qui ſella* 7. §. *ult. D. de ſervit. præd. ruſtic. l. Mela* 14. §. *quidam libertis D. de alim. vel cibar. legat. l.* 1. *D. de ſervit. præd urb. l. in tradendis* 7. §. 1. *D. Comm. præd. l.* 4. §. *ult. & ll. ſeqq. D. Si ſervit. vindic. l. non ſolum* 8. *pr. D. de oper. nov. nunt. Donell.* 11. *com.* 2. *Cepol. de ſervit. urb. præd. cap.* 18. *n.* 3. *Plenius Coraſ. ad l. ſervitutes* 14. §. *publico D. de ſervit. n.* 3. & *ſeqq.*

3. Servitutes ſtrictè loquendo, neque in bonis, neque extra bona ſunt *l.* 1. *D. de uſ. & uſufr. legat.* in bonis tamen eſſe intelliguntur, quoniam & actio, & exceptio earum nomine competit *l. rem in bonis* 52. *D. de adquir. rer. dom.* idcircò non dubitandum contineri ſub ſumma rerum diviſione *l.* 1. *D. de rer. diviſ. pr. Inſt. eod. ub. Cujac. in not. Baro ibid. Hotom.* 6. *obſ. ult. Donel.* 4. *com.* 5. *Conna.* 3. *com.* 2. *n.* 10. *Gœ l. ad l. bonorum de V. S. n. ult. Pinel. part.* 3. *l.* 1. *C. de bon. mat. n.* 6. *Caſtil. de uſufr. cap.* 52. *n.* 7.

4. Servitutes prædiorum purè tantùm con-

conſtitui poſſunt: non ex tempore, vel ad tempus: non ſub conditione, neque ad certam conditionem. Si tamen hujuſmodi aliquid adjectum fuerit, pacti conventi, vel doli mali exceptio opponi poterit contrà placita ſervitutem vindicanti. Modus ſanè & intervalla dierum vel horarum adjici poſſunt. *l* 4. *D. de Servit. ubi Coraſ. Forcat. Baro, alii in com. & Cujac. lib.* 7. *Quæſt. Papin. Gov.* 1. *var. lect.* 9. *Done l.*4. *com.* 10. *Hotom. in epit. D. de ſervit. n.* 18. & 19.

5. Servitus prædii individua eſt. Itaque ſi naturam ejus ſpectes, neque conſtitui ex parte, neque promitti poteſt *l.* 2. §. *ex his l. ſtipulationes non dividuntur* 72. *D. de V. O. l. via* 17. *D de ſervit. l. etſi fortè* 6. §. *ſi ædes D. Si ſerv. vind.* Sed ſi quæſtionem ad prædia referas, videndum an pro parte acquiri vel amitti poſſit? Negat *l. ut pomum* 8. §. 1. *l. pro parte* 11. *D. de ſervitut. l.* 3. *D. de ſervit. legat. l. fundus* 32. *l. unus* 34. *D. de ſervit. præd. ruſtic. l. ſi quis duas* 6. §. 1. *D Com. præd.* Affirmat *l. ad certam* 6. *l. ſi cui* 9. *D. de ſervit. l. certo.* 13. §. 1. *D. de ſervit. præd. ruſtic. d. l.* 6. § 1. *D. Com. præd.* Hæc non ſunt contraria. Vide *Hotom. d. epit. n.* 10. & *ſeqq. Coraſ.* & *Forcat. in d. l.* 11. & 17. *D de ſervit. Cepol. de ſervit. præd. cap.* 10. & 22. *Donel.* 11. *com.* 13.

6. Ser-

6. Servitus continuam cauſam habere debet. Itaque neque ex ciſterna, neque ex lacu vel ſtagno temporalem aquam habente, aquæ ductus conſtitui poteſt: neque foramen haberi in imo pariete proluendi pavimenti cauſa *l. foramen* 28. *D. de ſerv. præd.urb.l un.*§. *hoc interdictum* 4.*D.de font. l.* 1.§.*loquitur* 5. & §.*caput*.8. *D.de aq. cotid. & æſtiv.* Eſt tamen ſervitus fumi immittendi in ſuperiora ædificia *l.ſicut* 8. §. *Ariſto D. Si ſerv. vind.* Hæc non cohærent, meritòque ſtomacheris diſſimulaſſe hanc difficultatem Gloſſogr. Coraſ. Forcat. Hotom. Baro. alios. Vide *Donel.* 11.*com.* 3.

7. Et quoniam cauſa ſervitutis perpetua eſt, conſequens eſt, ipſam quoque perpetuam eſſe, nec cum perſona extingui. *l. pen. D. de ſervit. legat.* Item ſequi prædium alienatum, etſi ut liberum venditum ſit *l. cum fundus* 12. *D. Com præd.* Itaque emtori, ſi ſervitus ei evicta ſit, dari regreſſum adverſus venditorem per actionem evictionis. *l.cum tibi liberum* 22.*C.de Evict. l. ſed ſi quid* 15. §. 1. & 2. *l. fundus* 46. *D. eod.*

8. Modos conſtituendi ſervitutes enumeravimus diſputatione prima: adjiciamus quædam de perſonis. Dominus utique ſervitutem prædio ſuo imponere poteſt, qui ſuæ rei moderator & arbiter eſt, *l. in re mandata* 21, *C. mand. l. ſi cum duas* 8. *D.*

Com.

ſom.præd. Sed quid, ſi alterius uſusfructus ſit, an poteſt invito fructuario? Non poteſt *l. uſufructu* 7. §. 1. *v. hac ratione l. ſi cujus* 13. §. *ſed ſi ædium l. ſed ſi quid* 15. §. *ult. D. de uſufruct.* An conſentiente? Ne hoc quidem conceditur *d. l.* 15. §. *ult.* cujus rationem abſtruſam eſſe, meritò agnovit Curtius Jun. *in l. pen. n.* 37. *C. de pact.* nec ſatis faciunt, quæ ab aliis ſunt adducta. Vide *Gloſ. & Fulgoſ. in d. l.* 15. § *ult. Alciat. in d. l. pen. n.* 53. *Cujac. in l.* 3. *D. de ſervit. Conna.* 4. *com.* 3. *n.* 3. *Sarmient.* 6. *ſel. interpr.* 12. *Vital.* 2. *var. lect.* 8. *Pinel. ad l.* 1. *C. de bon. mat. part.* 2. *n.* 72. *& ſeqq. Caſtil. de uſufr. cap.* 35. *n.* 8. *& ſeqq.*

9. An ſuperficiarius prædio ſuperficiario ſervitutem imponere poteſt? Impoſita defenditur à prætore, durante jure ſuperficiarii *l.* 1. §. *quia autem* 6. *&* §. *ult. D. de ſuperfic. l.* 3. §. *pen. D. de oper. nov. nunt. l. tutor* 16. §. *ult. D. de pigner. act. l. grege* 13. §. *& in ſuperficiariis l. lex vectigali* 31. *D de pignor. & hypoth. Capol. de ſervit. cap.* 14. *n.* 4. *Cujac. & Baro in l.* 2. *D. de ſervit. Donel.* 11. *com.* 9. *in fin.* Idem de emphyteuta & vaſallo judicandum *Cæpol. Cujac. & Don. dd. loc.* Idem *Cuj.* 2. *feud.* 9. *Corbul. de emphyt. cap.* 14. *limit.* 29. *Clar.* §. *emphyteuſis, quæſt.* 21. *Afflict. dec.* 380. Conductor verò ad longum tempus malè à Dd. emphyteutæ comparatur.

10. Ma-

10. Maritus fundo dotali ſervitutem imponere nequit *l.* 3. §. *pen. D. de reb. eor. qui ſub tut. l.* 5. *D. de fund. dot.* nec tutor fundo pupillari, *ead. l.* 3. nec pater fundo filii *l. ex caſtrenſi* 18. §. 1. *D. de caſtr. pecul. l. ult.* §. *ſin autem æs alienum. C. de bon. quæ lib. l. ult. C. de reb. alien. non alien.* nec heres fundo legato *l. is cui* 11. *D. Quemad. ſerv. amit. l. ſi fundum* 105. *D. de cond. & demonſt.* nec ſocius fundo communi *l.* 2. *D. de ſervit. l. Sabinus* 28. *D. Com. divid.*

11. Acquirere ſervitutem fundo poſſunt & illi, qui imponere non poſſunt, quoniam alterius conditionem meliorem facere licet. *d. l.* 18. §. *ſervos* 3. *d. l.* 15. §. *ult. D. de uſufr. cap. quid ergò, tit. de inveſt. de re alien. fact.* excepto eo, quod fructuarius acquirere ſervitutem fundo fructuario non poteſt, *eod.* §. *ult. verſ. quibus conſequenter.* Vide *Cepol. de ſervit. cap.* 15. *Hotom. in epit. D. de ſervit. n.* 5.

12. Amittuntur ſervitutes, tam ruſticæ, quam urbanæ, non utendo x. annis inter præſentes, xx. inter abſentes *l. pen. C. de ſervit.* duplicato verò tempore, ſi alternis duntaxat annis vel menſibus uti licuerit. *l. ſi ſic* 7. *D. Quemadm. ſervit. amit.* Intereſt tamen inter urbanas & ruſticas hoc, quod hæ ſola negligentia amittantur: illæ deſiderent etiam uſucapionem libertatis *l.* 10. §. 1. *l.* 11. *l.* 17. *& ult. D. eod. l.*

hac

hac autem 6. D. de ſervit. præd. urban.

13. Quod ſi quis uſus quidem ſit, ſed alio tempore quàm quo uti debuit, an amittit jus utendi tempore convento? Affirmat Paulus *in l. ſi communem* 10. §. 1. *D. Quemadm. ſervit. amit.* Negat Julianus *in l.* 5. §. 1. *D. de aq. cotid. & æſtiv.* Nullum hic diſſidium eſt: *Gloſ. in d. l.* 10. *verb. amiſit nocturnam. Conna.* 4. *com.* 12. *Hotom. in epit. D. Quemad. ſerv. amit. n.* 5. *Pac. cent.* 8. *antin.* 64. *Coſtal. in d l.* 10.

14. Quid ſi dominus, qui aliquot annis uſus non fuerat ſervitute, fundum vendiderit, an ad amiſſionem ſervitutis emtori computandum id tempus quo venditor uſus non eſt? Affirmat Paulus *in l. ſi quis alia* 18. §. 1. *D. Quemadm. ſerv. amit.* Negat Julianus *in l. ſi ædes meæ* 32. §. 1. *D. de ſervit. præd. urb.* Nec hic ullam agnoſcimus repugnantiam. Vide *poſt. Gloſſogr. Cujac. in com. ad l.* 4 *D. de uſucap. Donel.* 11. *com. ult. circa fin.*

15. Iter ſepulchro debitum, & via publica non utendo non amittuntur *l.* 4. *D. Quemadm. ſervit. amitt. l.* 2. *D. de via publ. refic.* non tam quod res ſint meræ facultatis, quas præſcribi Dd. negant: quàm quod publica utilitas, & religionis favor id ſuadeant. *Cuj. in d. l.* 4. Diff. *Coraſ. in l. ſervitutes* 14. §. 1. *n.* 6. & 7. *Forcat. ibid. n.* 5.

16. Confuſione extinguuntur ſervitutes,

tes, ſi idem utriuſque prædii dominus eſſe cœperit *l.* 1. *D. Quemadm. ſervit. amit.* ſcilicet, ſi in ſolidum: nam ſi pro parte, retineri ſervitus pro parte poterit *l. ut pomum* 8. §. 1. *D. de ſervit.* Quid ſi inventario confecto alter dominus alterius hereditatem adierit? Non fit confuſio, ſi prædium creditores ſint diſtracturi, *l. ult.* §. *in computatione C. de jur. delib.* Quid ſi purè adierit, prædium autem ſerviens legatario ſit reſtituendum? Æquum eſt etiam ſervitutem reſtitui. *l. Papinianus* 18. *D. de ſervit. ubi Cuj. Coraſ. & Forcat. in com. Caſtil. de uſufr. cap.* 9. *n.* 23. *& ſeqq.*

17. Communi fundo meo & tuo ſerviebat fundus Sempronianus: eum in commune redemimus: an extinguitur ſervitus? Extinguitur. *l. ſi communi* 27. *D. de ſervit. præd. ruſt.* Nec adverſatur *l. unus ex ſociis* 34. *eod.* Vide *poſt gloſſographos Conna.* 4. *com.* 9. *n.* 9. *Vital.* 2 *lect.* 3. *& ſ. Gilb. Reg.* 1. *antin.* 26. *Pac.* 3. *antin.* 59. *Cuj. ad d. l.* 43. *lib.* 7. *Quæſt. Papin*

18. Interitu alterutrius prædii ſervitutes extingui neceſſe eſt, cum ſine prædiis ſubſiſtere non poſſint. *l. ſi locus* 14. *D. Quemadm. ſervit. amit.* Nec adverſatur *l. ſervitutes* 20. §. *ſi ſublatum D. de ſervit. præd. urb. l. certo* 13. *pr. D. de ſervit. præd. ruſtic.* Vide *Donel.* 11. *com. ult. Coraſ. ad l.* 1. *n.* 44. *&* 50. *D. de ſervit. Forcat. ibid. n.* 14. *Caſtil d. tract. cap.* 72. *n.* 15.

19. Po-

19. Poſtremò remiſſione, & permiſſo actu ſervituti contrario, tollitur ſervitus *l. ſi ſtillicidii* 8. *l. ſervitutes* 14. §. *ſervitus D. de ſervit. l. unus* 34. *D. de ſervit. præd. ruſt.* Alienari verò, vel extra rem cedi ſervitus conſtituta nequit, eaque ceſſione nihil agitur *arg. l.* 1. *l. cum fundus* 12 *D. Com. præd. l. ſi aquæductus* 47. *D. de contrah. emt* Sanè pignori dari ſervitus poteſt. *l. ſed an viæ* 12. *D. de pignor. & hypoth.* ſcilicet ruſtica, non urbana *l. ſi is qui* §. *ult. D. eod.* Vide *Cujac.* 15. *obſ* 6. *Duar.* 2. *diſput. anniv.* 13. *Con.* 4. *com.* 14. *Hotom.* 5. *obſ.* 25. *Fab.* 5. *conject.* 11.

22. Actiones quod attinet, cum in rem, tum in perſonam de ſervitutibus prædiorum proditæ ſunt. Et ſi quidem promiſſa, vel teſtamento legata ſervitus ſit, actione ex teſtamento vel ex ſtipulatu, aut ſi pactum intervenerit, actione ex eo contractu experimur, cui pactum adjectum eſt. Quod ſi jam acquiſita ſit ſervitus, confeſſoria in rem, vel ſi libertatem nobis aſſeramus, negatoria agendum. De quaſi autem poſſeſſione, ne in ea vis nobis fiat, interdicta comparata ſunt. §. *æquè Inſt. de act. l.* 1. *& tot. tit. D. Si ſerv. vind. l. heredes* 25. §. *an illa ſtipulatio & ſeqq. D. famil. erciſc. l.* 2. 72. *l.* 83. §. *quod ſi ſtipulatus l.* 98. *cum ſimil.* D *de V. O. l.* 1. *l.* 3. §. *ait prætor D. de itin. actuque priv. l.* 1. *pr. &* §. *deinde ait prætor D. de aq. cotid. & æſt. cum tit. & ll. ſeqq.*

SEQUUN-

SEQUUNTUR
Diſputationes aliquot Miſcellaneæ,
AD

SELECTAS LEGES CODICIS HABITÆ.

DISPUTATIO PRIMA AD L. TRANSIGERE 18. C. de Tranſact.

Reſp. GISBERTO RUDOLPHO *Amſtelodamenſi.*

1. TRanſactio cum celeriter lites finiat, videbatur è re civitatis eſſe, quaſcunque cauſas, etjam crimina per eam ſopiri. Verùm ne fraus fieret legibus pœnariis, libertas tranſigendi coarctata eſt. Nam *de criminibus quidem capitalibus, excepto adulterio, tranſigere vel paciſci prohibitum non eſt: de aliis autem, quæ ſanguinis pœnam non ingerunt, tranſigere non licet citra falſi accuſationem.* Ita habet celebris conſtitutio 18. *C. de tranſact.*

2. Cujus ſenſum ut aſſequamur, ante omnia videndum quid criminis, quid capitalis, quid tranſactionis atque pactionis verbo comprehendatur. Criminis appellatione

latione in hac lege non ſolum publica intelligenda ſunt, ſed & extraordinaria: ſunt enim hæc quoque vel capitalia, vel nec capitalia. Sed & Ulpianus *in l. ult D. de prævar.* utraque complecti videtur.

3. Delicta privata, quatenus forenſi actione agunt ii potiſſimum, ad quos ea res pertinet, præſenti conſtitutione non comprehenduntur. Quatenus extra ordinem accuſantur, porrecto inſcriptionis libello, & criminis appellatione, & legis ſententia continentur. *Gloſſ. in h. l. Sich. in eand. n.* 10.

4. Capital plerunque crimen eſt, cujus pœna mors, vel amiſſio civitatis eſt *l. licet capitalis* 103. *D. de V. S. l.* 2. *D. de publ. jud. l.* 2. *l. capitalium* 28. *D. de pœn.* Verum in hac lege capitale crimen illud ſolùm intelligimus cujus pœna mors eſt: non capitale omne, quod ultimo ſupplicio non punitur. *arg. d. l. ult. D. de prævar. l.* 1. *D. de bon. eor. qui ant. ſent. mort. ſib. conſc. junct. d. l.* 2. *D. de pub. jud. Donel. ad h. l. n.* 2. *Delr. ib. n.* 35. *& ſeq. Giph. ib. pág.* 57. *Con.* 5. *com.* 7. *Cuj.* 6. *obſ.* 11. *Brechæ. in d. l. licet de V. S.*

5. Quo poſito, improbemus neceſſe eſt eorum interpretationes, qui vel fuſtigationem, vel membri abſciſſionem, vel & omnem pœnam quâ ſanguis effunditur, hoc verbo comprehendi putant. Vide *varie Clar.* 5. *ſent.* §. *ult. quæſt.* 58. *n.* 7. *&* 8. *Alciat. ad h. l. n.* 45. *&* 47. *Sichard ib. n.* 1, *& in l. poſt*

deciſionem C. de furt. n. 2. Gomeſ. 3. var. reſol. 3. Valaſc. in l. imperium D. de jurisd. n. 168. Hart. tit. 22. obſ. 1. n. 2.

6. Tranſactio eſt pactum, quod fit de re dubia & lite incerta, aliquo dato, vel retento, vel promiſſo. Pactum eſt conventio, qua res certa & indubitata remittitur; idque vel donationis cauſa, vel accepto pretio *l. 1. D. de tranſact. l. 38. C. eod. l. 6. §. pactuſque D. de his qui not. infam. l. 29. §. plectitur D. ad leg. Jul. de adult.*

7. His præmiſſis, ad partes conſtitutionis accedamus. *Prohibitum non eſt tranſigere, vel paciſci de crimine capitali.* Verba generalia ſunt, neque perſonæ adſtricta: tranſigere igitur licebit tam ante, quam poſt inſtitutam accuſationem *arg. l. 2. C. de tranſact. Donel. h. n. 20. Delr. n. 55. & ſeqq. Valla de reb. dub. tract. 17.* Diſſ. *Clar. d. quæſt. 58. n. 2.*

8. Tam accuſatori, quam reo. De reo non dubitatur, quin impunè tranſigat utrovis tempore: de accuſatore variatum eſt. Mihi ſic hoc videtur: Accuſator ante inſtitutam accuſationem abſque ulla ſua fraude tranſigit: poſt inſtitutam accuſationem ſi tranſigat, abolitionem accuſationis impetrare debet; ſecus in SC. Turpillianum incidet *l. 1. §. accuſationem l. 6. D. ad SC. Turpil. l. 1. 3. & 5. C. eod. Hotom. ill. quæſt. 23.* Diſſ. *Donel. h. n. 5. Delr. n. 62. & ſeqq. Giph. pag. 58.*

9. Trans-

9. Tranſactionis quæ vis? num crimen tollit, atque adeò magiſtratui obeſt, quo minus ex officio in reum animadvertat? Sunt qui exiſtimant id ſaltem efficere, ne magiſtratus ordinaria pœna reum afficere poſſit, ſed aliqua mitiore *Bartol. ad h. l. n.* 17. *Curt. Jun. n.* 29. Sunt qui id negant *Gomes. d. reſol.* 3. *n.* 55. *& ſeqq. Donel. h. n.* 4. *Marant. tit. de inquiſ. n.* 69. *Coler. de proceſ. exec. part.* 2. *cap.* 3. *n.* 105. Eſt & tertia ercifcundorum ſententia, qui priorem probant in levioribus delictis: poſteriorem in atrocioribus, quæ nec apud Deum, nec apud homines excuſationem merentur. *Farin.* 1. *tit.* 1. *quæſt.* 4. *n.* 34. *& alii quos allegat Bajard. in addit. ad Clar. d. quæſt.* 58. *n.* 12. *in fin. & ſeqq.* Nobis negantium ſententia prior atque potior eſt.

10. Quemadmodum autem tranſactio magiſtratui non præjudicat, quo minus ex officio quærat: ita nec aliis obeſt, quo minus eundem reum peragere poſſint. *arg. l.* 5. *D. de pact. dotal. l.* 7. *§. ſi pacifcar D. de pact. l.* 51. *§. æſtimatio D. ad leg. Aquil. l.* 9. *§. quod illicite D. de publican. l.* 7. *&* 12. *D. ad SC. Turpil. Donel. h. n.* 4. *Delr. n.* 59. *Giph. pag.* 58. *Con. d. cap.* 7. *n.* 2. *Clar. d. quæſt.* 58. *n.* 3. *Boer. deciſ.* 91. *n.* 2.

11. Plerique qui idem ſentiunt, utuntur etiam argumento rei judicatæ. Res, inquiunt, inter alios judicata, aliis non no-

cet: ergò nec tranſactio inter alios facta, aliis præjudicat. In hoc nullam habeo confidentiam. Abſolutio enim à judice facta perimit crimen, obſtatque aliis, quo minus eundem reum repetere poſſint *l.* 7. §. *iiſdem D. de accuſat. junct. l.* 25. *D. de ſtat. hom.* Tranſactio non item.

12. Excipitur hâc parte adulterii crimen, de quo tranſigere non licet. Tametſi enim hodie capitale eſt *l. quamvis* 30. *C. ad leg. Jul. de adult.* §. *item lex Julia de adult. Inſt. de pub. jud.* olim tamen capitale non fuit *l. ſi quis viduam D. de Quæſt. l. miles* 11. *D. ad leg. Jul. de adult. l. ex eo* 18. *D. de teſtib.* quæ ratio hujus exceptionis eſſe videtur. *Cuj.* 6. *obſ.* 11. & 19. *obſ.* 39. *nec non* 20. *obſ.* 19. *Alciat.* 5. *parad.* 8. *Delr. h. n.* 85. & *ſeq.*

13. Quod ſi quis ulterius roget, quamobrem, cum nova lege crimen ſit factum capitale, non illud quoque adjectum ſit, ut tranſigere de eo liceat: Reſpondebo vel cum Duareno *ad tit. Dig. de tranſact. cap.* 2. turpitudinem inſignitam in cauſa fuiſſe, quo minus adjiceretur: vel cum Donello *h. n.* 7. publicam honeſtatem & decus civitatis. Fabrum certè 2. *conj.* 20. nullatenus probo, dum cenſet: *fruſtra rationem quæri ejus, quod contra certiſſimam juris veteris rationem à poſterioribus imperatoribus conſtitutum ſit, apud quos pro ratione ſit voluntas.*

14. Por-

14. Porro non ſolum tranſigere non licet de adulterio, ſed nec paciſci *l. de crimine* 10. *C. ad leg. Jul. de adult.* Pactum autem hic intelligimus non gratuitum: cum ſcilicet pretio quantocunque dato, vel promiſſo redimitur accuſatio: cæterum ſi gratis remiſſa ſit injuria ab eo, qui precibus exorari ſe ſivit, in legem non impingit pactio. *l.* 2. §. *cæterum l. miles* 11. *l. is cujus ope* 14. *l. mariti* 29. §. *plectitur D. eod. l.* 3. §. *ſed etſi aliud D. de accuſ. l.* 4. *l. ejus qui* 29. *l. impp.* 34. *D. de jure fiſc.*

15. Lex Julia de adulteriis adulterii verbo ſtuprum quoque complectitur *d.* §. *item lex Julia Inſt. de publ. jud. l. inter ſtuprum* 101. *D. de V. S.* Nunquid ergo quemadmodum de adulterio, ita de ſtupro quoque vetitum eſt tranſigere? Ita eſt: verum non tam ob ſuperiorem rationem, quàm quod ſtuprum hodieque capitale non eſt *Donel. h. n.* 8. *Delr. ibid. n.* 180. *Gipb. p.* 59.

16. Quid de raptu judicandum? Sunt qui exceptionem ad raptum producunt *Donel. & Giphan. d. loc. Delr. n.* 114. *& ſeq. Cov. d. cap.* 7. *n.* 3. Sunt contra, qui exiſtimant id crimen, quandoquidem ſpecialiter exceptum non eſt, manere ſub regula, ut tranſigere de eo liceat. *gloſ. & Bart. h. gloſ. in l.* 3. *C. In quib. cauſ. ſerv. pro præm. lib. accip. Sichard. h. n.* 11. *Boer. d. deciſ.* 91. Ab his potius, quam ab illis ſtabimus,

neque revocabit nos *l. un.* §. *pœnas in fin. C. de rapt. virg.*

17. De inceſtu & Sodomitico ſcelere fere ἀπορῶ. Poſſis tamen ita dicere: Quandoquidem ſpecialiter hæc crimina excepta non ſunt, manere ea ſub regula; ut de παιδεραςίᾳ quidem tranſigere liceat, quia capitale crimen eſt *l. tum vir* 31. *C. ad leg. Jul. de adult. l* 1. §. *ult. D. de extr. crim. d.* §. *item lex Julia Inſt. de publ. jud. nov.* 77. de inceſtu non liceat, quia nullâ lege nominatim inceſtuoſis ultimum ſupplicium denunciatur *d. l. miles* 11. *l. ſi adulterium* 38. *D. ad leg. Jul. de adult. l.* 5. *D. de quæſt. nov.* 12. *cap.* 1. *Delr. Conna. dd. loc.*

18. Non defuerunt, qui crimen quoque majeſtatis, & hæreſin exciperent *Alciat. h. Delr. n.* 48. *& ſeqq.* Verùm hæc exceptio parum nobis probatur: imprimis quod ad hæreſin attinet. Nam, quantum ad majeſtatis crimen, de eo accuſatori paciſci non licet, quia & ob ſolam reticentiam conſcii damnantur: *l.* 5. §. *pen. & ult. C. ad leg. Jul. maj.* reo autem ſanguinem ſuum redimere non eſt interdictum. Conf. *Cuj. d. obſ.* 11. *Giph. h. pag.* 60.

19. Sequitur poſterior pars conſtitutionis: *De aliis criminibus, quæ ſanguinis pœnam non ingerunt, tranſigere non licet citra falſi accuſationem.* In hac parte paciſcendi verbum repetitum non eſt, ſententia tamen

men continetur *arg.l. Titia* 134.§.*idem reſpondit* 1. *D. de V. O.* Prohibita tranſactione, pactio quoque prohibita intelligitur *Paul.* 1. *ſent.* 1. *Donel.h.n.* 19. *Delr.n.*135. *Fab.d.cap.*20.

20. Pactio ſcilicet non gratuita, quâ interveniente pretio redimitur miſeratio accuſatoris. Gratiam enim quæ precibus datur, hâc prohibitione velle comprehendere ſatis in humanum foret. Confer *ll. allegatas ſupra theſ.* 14.*l.*5.§. *qui vacantem D. ad leg. Jul.de vi publ l.* 2. *C. de abolit.l.*6.§.*pactuſque D. de his qui not. in fam. l. non damnatos*, 18. *C eod.l.*1.*l.*3.§.*pen. l.*5 *pr.l.pen. D. de calumniat.*

21. Cæterùm, quemadmodum prior pars legis certo tempori non adſtringitur; ita nec hæc poſterior. Quapropter nec ante, nec poſt inſtitutam accuſationem tranſigi de his criminibus poterit *l. ſiquidem* 9. *C. de contrah.& com.ſtipul.l.*4. *D.de jur.fiſc. junct. l.* 2. §. 2. *l.*29.§.*plectitur D. ad leg. Jul. de adult.* Diſſ. *Don. h.n.* 20. *Alciat.n.* 56,*Weſ.par.D.de tranſact.n.* 5.*qui ante inſtitutam accuſationem tranſigi putant.*

22. Quemadmodum pars prior utrique tam accuſatori quàm reo poteſtatem tranſigendi facit; ita pars poſterior utrique tranſactione & depectionibus interdicit *Gipb. h. pag.* 60. Diſſ. *Don. d.n.*26.*& ſeqq. hanc partem de accuſatore ſolum intelligens.*

23. Pœna tranſigentium eſt, accuſator incidit in Senatus conſultum Turpillianum: reus habetur pro convicto. Pactio quoque fruſtra eſt, nec actionem ullam parit, quâ quod promiſſum eſt, exigi queat *l. 1. §. ſi quis autem in SCtum 15. D. ad SC. Turpil. l. 1. 3. & ult. D. de prævar. l. 4. §. ult. & l. 5. D. de his qui not. infam. l. 4 l. ejus qui 29. D. de jur. fiſc. d. l. ſiquidem C. de contr. ſtip. d. l. 2. C. de abolit.*

24. Sed quod dicimus accuſatorem incidere in SCtum Turpillianum, id ita verum eſt, ſi poſt inſtitutam accuſationem tranſactio interpoſita fuerit; non ſi ante: quia deſtitiſſe videri non poteſt, qui non accuſavit *l. 5. D. ad SC. Turpil.* Nunquid ergo eo caſu impunè feret? Multi exiſtimant, eum in pœnam legis Corneliæ de falſis incidere: de qua re quid judicandum, ex ſequentibus apparebit.

25. Ultima ſiquidem verba legis reſtant; *citra falſi accuſationem.* Hæc ingentem doctorum contentionem pepererunt, diſceptantium; utrum pœnam falſi minitentur tranſigentibus, an excipiant falſi crimen à reliquis non capitalibus? Prius multis & magnis auctoribus placuit: *Alciat. h. n. 71. Donell. n. 16. Giphan. pag. 61. Hotom. d. quæſt. 23. Briſſon. Lib. 3. de V. S. in voce citra. & lib. ſingul. ad leg. Jul. de adult. pag. 181. Fabr. d. cap. 20. Rev. 4. var. 6.*

Val.

Val. d. tract. 19. *Loriot. tract. de pact. ax.* 102. *Weſ. par. de tranſact. n.* 5. Poſterius tamen nobis magis arridet, idque tueri conabimur. *cum gloſ. h. Cuj. d. obſ.* 39. *Con. d. cap.* 7. *n.* 3. & 4. *Gove.* 1. *var. lect.* 30. *Delr. h. n.* 141. *Borch. ad tit. de tranſact. cap.* 3. *n.* 93. & *ſeqq.*

26. Obfirmant nos in ea ſententia *l. ipſe ſignificas* 7. *C. ad leg. Corn. de falſ. l. Polla C. de his quæ ut indign. auf. l. pen. C. de tranſact.* Præcipua tamen fiducia eſt *in d l.* 7. *C. de falſ.* qua ſi deſtitueremur, in adverſariorum, credo, caſtra concedendum nobis foret.

27. Non parum etiam movet Græcorum conſenſus, qui, cum in hac conſtitutione exceptionem prioris partis ita extuliſſent: *χωρὶς τοῦ τῆς μοιχείας ἐγκλήματος*: poſteriorem eadem orationis figura efferunt ita: *χωρὶς τοῦ τῆς πλαστογραφίας ἐγκλήματος*. Et ne quis ſupereſſet ſcrupulus, interpretationem ſubjiciunt ſequentem: *τὸ γὰρ τῆς πλαστογραφίας ἔγκλημα, εἰ καὶ μὴ ἔχει δὲ αἵματος τὴν τιμωρίαν, ὅμως ἔξεστιν ἐπὶ αὐτῷ διαλύεσθαι. Eclog. baſil. lib.* 11. *tit. c.* 26. adde *Harmenop.* 1. *prompt. tit.* 10. §. 3.

28. Quod ſi quis rationem flagitet, quamobrem falſi crimen à reliquis non capitalibus exceptum putem, ingenuè fatebor neſcire: neque pudebit recurrere ad illam Juliani ſententiam *in l. non omnium D. de ll.* Quæ enim à noſtræ ſectæ hominibus

tio redditur, ea cordato lectori ſatisfacere non poteſt, vid. *gloſ. & reliquos alleg. loc.*

DISPUTATIO SECUNDA
AD
Leg. Si totas, C. de inoff. donat.

Reſp. JOANNE à SOMEREN *Ultrajectino.*

1. AD exemplum querelæ de inofficioſo teſtamento, jure optimo introducta eſt querela inofficioſæ donationis. Eſt autem inofficioſa donatio, quæ à parentibus facta eſt in fraudem liberorum, vel contrà à liberis in fraudem parentum, ita ut legitimam ſalvam non habeant *l. 1. l. 4. & paßim h. t.*

2. Fratrum, ſi verba ſpectes, nulla hoc titulo mentio: ſed quoniam conſanguineis querela inofficioſi teſtamenti datur, quoties turpibus perſonis poſtpoſiti ſunt, *l. fratres 27. C. de inoff. teſtam.* recte dixeris, etiam querelam inofficioſæ donationis eis dandam, quoties donatio immenſa in turpes perſonas collata eſt. *Gloſſ. in l. 2. in fin. & l. 4. C. h. tit.*

3. Fraudem verò cum dicimus, non exigimus utrumque, & conſilium fraudandi, & eventum; ſufficit eventus abſque conſilio, *h. l. 5.* conſilium tamen abſque eventu

ventu non ſufficit *l. pen. h. tit. Gloſſ. in d. l. pen. verb. conſilium. Cujac. in parat. C. hic.* Diſſ. olim *Patricius teſte eodem Cuj.*

4. Et donationem quidem inofficioſam dicimus, dotem inofficioſam; non venditionem *l. 4. D. de contrah. emt. Cujac. in par. h.* Utrique igitur erraſſe videntur; & qui dixerunt ex cauſa oneroſa dari querelam, ſi fraus re conſilioque facta fuerit, in quorum numero eſt *Fachin. 6. contr. 85. Carpzov. 2. conſt. elect. 12. def 36.* & qui hoc ita admiſerunt, ſi emtor fuerit fraudis conſcius, 'quod temperamentum pluribus placuit: *Clar. in §. donatio quæſt. 24. in fin. Molin. ad conſ. Pariſ. §. 13. gloſ. 3. n. 20. Peregr. de fideic. art. 36. n. 37. Cancer. 1. var. reſol. 8. n. 129. Coſta de rat. quæſt. 113. à pr. Rauchb. 1. quæſt. 43. n. 32.*

5. Nec donationem quamvis intelligimus, ſed inter vivos: mortis enim cauſa donatio citra querelam per legitimam minuitur *l. 1. §. ſi quis ex mortis D. Quod legat. l. 2. C. de mort. cauſ. donat.* Quid ſi inter vivos quidem facta ſit, ſed remunerandi gratia? Ex cauſis & perſonis prudenti judici ſtatuendum putarim.' Vide *Carpzov. d. conſt. 12. def. 34.*

6. Quid ergò fiet, ſi pater bona ſua luxu, alea ve diſſipet? Ceſſante hâc querelâ vel poſtulandum ut bonis interdicatur, vel condictio ex lege inſtituenda *l. ult. C. de*

Z 6   *alea.*

aleat. l. 1. *& ſeqq. D. de curat. furioſ. & al. extra minor. dand.* Diſſ. *Bald. ad l.* 1. *C. Si in fraud. patr.* quem meritò ſequi timuit *Chaſſan. ad conſ. Burgund. tit.* 7. *de ſucceſſ.* §. 2. *gloſſ. defuncti. n.* 5.

7. Quid ſi locuples cum paupercula contraxerit matrimonium, ac communicaverit cum ea omnia bona, an eſt locus huic querelæ? Non eſt. An ſaltem locus eſt *l. hac edictali C. de ſecund. nupt.*? Diſtinguendum, utrum communio ipſo municipali jure, an pactis nuptialibus contracta ſit. Priore caſu locum non habet: habet poſteriore. *Hodiern. ad d. l. hac edictali, quæſt.* 6. *n.* 3. & 4. *Neoſtad. de pact. antenupt. obſ.* 4. *in not. Grot.* 2. *manud.* 10. *Coren deciſ.* 30. *n.* 20.

8. Quid ſi pater immodico doërio conſtituto dicatur minuiſſe liberorum legitimam? Non iniquum videtur liberis primi matrimonii hanc querelam adverſus matrem dari. An adverſus novercam? Non tam per querelam eis ſuccurritur, quam ipſo jure tuti ſunt ex *d. l. hac edictali, junct. l. un. C. de inoff. dotib. l.* 4. *C. de jur. dot. Sich. ad tit. C. de inoff. dot. n.* 3. *Cujac. in parat. ibid. Chopp.* 2. *de morib. Pariſ.* 2. *n.* 7.

9. Sanè ſuccurritur per querelam non ſolum liberis ante, ſed & poſt inofficioſam donationem natis *h. l.* 5. *Hotom. in diſput. de legit. cap.* 5. *n.* 26. *Vaſq.* 3. *de ſucceſ. progreſ.* *in.*

in auth. unde ſi parens, n. 18. *Peregr. de fideic. art.* 51. *n.* 23. Quid ſi liberi naturales ſint? His quoque datur querela, ſi mater contra pietatis officium donationes fecerit: non æque ſi pater *arg. l. un. C. de inoff. dot. l. ſi ſuſpecta* 29. §. 1. *D. de inoff. teſtam. nov.* 89. *cap.* 12. *Cujac. par. C. de inoff. donat. Palæot. com. de noth. & ſpur. cap.* 34. *n.* 17. & 18.

10. Porrò revocatur inofficioſa donatio non in totum, ſed quantum deeſt legitimæ liberorum *l.* 1. 2. 5. *& ſeqq. C. h. tit. novel.* 92. Ita rectè olim Azo & Baldus cenſuerunt, quos ſequuti ſunt *Cujac. in com. ad d. nov.* 92. & 5. *obſ.* 14. & *tract.* 1. *ad Afric. in l. ſi id quod à liberto* 10. *D. Si quid in fraud. patro. Hotom. d. loc. Tiraq. ad l. ſi unquam verb. liberis n.* 77. *Vall. de reb. dub. tract.* 2. *n.* 15. *Schult. ad quæſt. Mod. Piſt.* 66. *n.* 8. *Fach.* 6. *contr.* 84.

11. Excipiunt multi eum caſum, quo donatio collata eſt in extraneum, & cum conſilio fraudandi eventus concurrit: quo caſu putant donationem in totum revocari: Ita olim Hugolinus, quem laudant ac defendunt *Fab.* 3. *conj.* 17. *Sich. ad. l.* 1. *n.* 4. *C. h. tit. Cancer. d. cap.* 8. *n.* 120. *Clar. d.* §. *donatio quæſt.* 24. *Coſt. de rat. quæſt.* 113. *à pr. Rauchb. d. quæſt.* 43. *n.* 44. Verum his neutiquam aſſentiri poſſumus, cum ſine lege loquantur. *Vaſq. ad d. auth. unde ſi parens n.* 11.

12. Ein-

12. Fingamus plures donationes factas eſſe, quæ ſingulæ legitimam non minuunt? minuunt tamen univerſæ: omneſne reſcindendæ ſunt pro rata, an ſolæ poſtremæ, Sunt qui exiſtimant ſolas poſtremas reſcindendas eſſe; *Salic. & Sich. ad h. l. n.* 11. Sunt qui diſtinguunt, ut ſi initio valuerint, ſolæ poſtremæ reſcindantur: Sin morte donantis confirmatæ ſint, omnes retractentur. *Chopp*, 3. *de mor. Pariſ.* 2. *n.* 2. Sunt denique qui ſinè diſtinctione omnes pro rata reſcindendas putant. *Fab. C. Sab. ad h. tit. def.* 7. Quorum ſententia rectior videtur, ſi modò non longa temporis intercapedine ſingulæ diſparatæ ſint.

13. Quid ergò ſi pater donaverit ad finem legitimæ, dein legitimam quoque lautius utendo conſumſerit? Reſpondent plerique veterum ita: Si ſtatim poſt donationem factam abliguriat legitimam, filiis ex hac conſt. ſuccurrendum eſt: ſin minus, nullum eis ſupereſt auxilium. *Bartol. Bald. Angel. Salic. Caſtr. Sich. ad l.* 1. & 5. *C. h. tit. Cancer. d. cap.* 8. *n.* 119. Nobis ea ſententia non probatur: quin verius eſt dilapidanti bonis interdici poſſe: citra luxum verò ſi conſumta ſit legitima, ex hac conſt. liberis ſubveniendum, ut ſequens theſis evincet.

14. Cum enim quæritur, quo tempore ſit ſpectanda patrimonii quantitas, & tempus

pus mortis donatoris, & tempus donationis ſpectandum cenſemus. *Vaſq. ad d auth. unde ſi parens n.* 16. Itaque ſi ab initio donatio exceſſerit modum, ante obitum creverint facultates, ceſſabit querela. *Gloſ. in l. 1. C. h. tit. quaſt.* 8. Contra, ſi ab initio intra modum fuerit, dein decreverint facultates, habebit querela locum. Qui autem de altero duntaxat tempore loquuntur verbis magis quam re diſſentire videntur. Vide *Gloſ. in d. l. 1. quaſt. 6. Caſtr. ad l. 1. C. h. t. Cancer. d. cap. 8. n.* 120. *Coſtam d. quaſt.* 113. *n.* 3. *& quaſt.* 152. *n.* 4. *&* 5. *Fabr. d. def.* 7. *in fin. Gomeſ. leg. Taur.* 29. *n.* 35. *Chaſſ. d. gloſ. limit.* 3. *Peregr. de fideic. art.* 33. *n.* 35. *Carpzov. part.* 2. *conſt. elect.* 12. *def.* 36. *n.* 10.

15. Ad ſimilitudinem querelæ inofficioſi teſtamenti inducta eſt querela inofficioſæ donationis. Unde ſicut illa reſcindit teſtamentum mero jure validum: ita hæc donationem. Sed quæritur, ſi quod ſtatutum velit inofficioſum teſtamentum ipſo jure nullum eſſe, an ſit extendendum ad donationem inofficioſam? Affirmat *Chaſſan. d. tit. 7. de ſucceſ.* §. 3. *gloſ. ult. in fin.* nec malè; tametſi alioqui ſtatuta ſtrictam recipiant interpretationem.

16. Præterea ſicut illa finitur quinquennio, ita hæc quoque quinquennio terminatur *l. ult. C. h. tit. l. Papinianus* 8, §. *ult. D. de-*

D. de in offic. teſtam. l. 34. *&* 36. *C. eod.* Sicut illa non datur liberis, qui alio jure ad bona defuncti venire poſſunt, §. *tam autem naturales Inſt. de inoff. teſtam.* ita hæc quoque non niſi in ſubſidium liberis datur. *l.* 2. *&* 4. *C. h. tit. Cuj. in parat. Coſt. d. quæſt.* 113. *n.* 11. *Bero. conſ.* 49. *n.* 51. *&* 52. *vol.* 1. Sicut illa denegatur ei, qui probavit judicium defuncti: ita hæc denegatur agnoſcenti judicium donantis. *l.* 6. *C. h. tit. l.* 4. *C. de contrab. emt. l. pen.* §. *ult. D. de inoff. teſtam. l.* 1. *C. de in integr. reſtit. minor.* Nec probo diſtinctionem Vallæ *tract.* 2. *de reb. dub. n.* 15. quaſi agnoſcenti hereditatem patris ex teſtamento deneganda ſit hæc querela: danda ſit agnoſcenti ab inteſtato. *arg. l.* 3. *in fin. C. h. tit.*

17. Sicut pater illam liberis auferre nequit: ita nec huic in fraudem liberorum ullo modo renuntiare poteſt; ſive jurata, ſive injurata fuerit renuntiatio. *arg. l. pen. C. de pact. Vaſq. in d. auth. unde ſi parens. n.* 7. *&* 17. *Coſt. d. quæſt.* 113. *n.* 5. *poſt Bartol. in l. Titia* 87. §. *Imperator D. de leg.* 2. *n.* 7. *Bero d. conſ.* 49. *n.* 50. *Gail.* 1. *obſ.* 40. *n.* 11. Quid ſi curaverit, ut filii quoque tempore donationis renuntiarent? Vix eſt, ut hæc renuntiatio liberis obeſſe poſſit, *arg. l. ſi quando* 35. §. 1. *& ſeq. C. de inoff. teſtam. l. quod bonis* 15. §. *frater. D. ad*

D. ad leg. Falcid. l. juriſgentium 7. §. & generaliter, D. de pact.

18. Non pauca tamen ſunt, in quibus hæc querela ab illa differt. Nam præter differentias tres à Gloſſographo adductas in *l. ult. C. h. tit.* videtur & quarta adduci poſſe ex noſtra conſtit. nempè, querela inofficioſi ſolis exheredatis vel præteritis datur, non teſtatori: hæc non ſolum liberis, ſed & ipſi donatori. Ita Gloſſema prius: verùm omninò præferendum gloſſema poſterius, quo verba, *ad patrimonium tuum*, ad tempus poſt mortem teſtatoris currens referuntur. *Sich. in d. l. 1. n. 6. in fin.*

19. Illa fortè probabilior ſeparandi ratio, quod querela inofficioſi teſtamenti, ſi præparata ſit, etiam heredibus detur *l. 6. §. ult. & l. ſeq. D. de inoffic. teſtam.* non detur heredibus querela inofficioſæ donationis, *arg. l. his ſolis 7. C. de revoc. donat.* Verùm cum legitimæ perſecutio in heredes tranſeat, *l. ſi arrogator 22. D. de adopt.* Vix eſt, ut ea differentia obtineri poſſit. Vix etiam ut ſequens; nempe, quod illâ querela hereditatem cum fructibus vindicemus: hâc bona donata ſinè fructibus repetamus. *Vaſq. d. loc. n. 20.* Ut enim legitima, ita fructus legitimæ ex die mortis debentur. *l. Papinianus 8. §. unde ſi quis D. de inoff. teſtam. Fab. in C. eod.*

C. eod. tit. def. 11. *Peregr. d. art.* 36.*n.*69.

20. Poſtremò querela inofficioſi teſtamenti eſt directa in rem actio; petitio nimirum hereditatis ex cauſa inofficioſi. Noſtra querela condictio potius ex lege dicenda videtur. *Dd. com. ad l* 1.*C.h.tit. Jaſ. ad auth. unde ſi parens C. de inoff. teſtam. Vaſq. d. loc. n.* 2. Aut ſi utilis in rem actio datur *ex h. tit.* minime tamen querela ab utili actione diſcriminanda eſt, quaſi illa præcedat; hæc ſequatur, ut perperam tradidit Gloſſ. *in l.* 1. *C. h. tit. quaſt.* 10. *Sich. in d. l.* 1. *n.* 6.

DISPUTATIO TERTIA.

AD

Leg. Cum à matre 14. C. de rei vindic.

Reſp. ANTONIO van VOORST, *Ultraject.*

1. HÆc conſtitutio merito inter celebriores numeratur: materia enim quam tractat, non ſolùm bona ingenia ſæpè implicuit diſſidio, verum etiam juridicos conſeſſus commiſit, alios cum aliis, & ipſos inter ſe, contrariis prolatis ſententiis, teſte Argentreo, *ad conſ. Brit. art.* 419.*gloſ.* 3.*n.*7.

2. Eſt autem ſumma conſtitutionis hæc:

hæc: Si mater fundum filii ſui, eo non conſentiente vendiderit, dein filius matri heres extiterit, & fundum à poſſeſſore vindicet, pro hereditaria portione vindicantem per doli mali exceptionem repelli. Ratio, quoniam æquum eſt, quemque factum præſtare ejus, ex cujus perſona lucrum ſenſit. *l. 3. C. h. tit. l. ex qua perſona* 149 *D. de reg. Jur. l. 3. C. de reb. alien. non alien. l. 2. & 6. C. de hered. act. l. ſi ab eo 7. C. de negot. geſt. l. ſi patri tuo* 24. *C. de donat. l. ſi uxor* 7. *C. de bon. auct. jud. poſſid. l. Seja.* 73. *D. de Evict. l. 1. D. de Except. rei vend. & trad. l. licet adieris* 14. *C. ad leg. Falcid. l. ſi ab eo 7. C. de liber. cauſ. l. ſucceſſores* 10. *C. de Solut. l. cum mota* 6. *C. de tranſact.*

3. Quæ ratio cum generalis ſit, apparet conſtitutionem noſtram & ad patrem vendentem rem filii, & ad maritum vendentem rem uxoris & ad quemvis extraneum pertinere *l. 3. C. de rei vind. d. l. ſi patri C. de donat. d. l. ſi uxor C. de bon. auct. jud. poſſid. d l. 3. C. de reb. alien. non alien.* Quantum tamen ad patrem attinet, multum intereſſe videtur, utrum fundum filii ſuo nomine vendiderit, an ut legitimus adminiſtrator. Priore caſu procedit noſtra conſtitutio: poſteriore, ſi venditio ritè facta non ſit, filius fundum ſuum in ſolidum vindicare poterit, *arg. l. 3. & ult. C. Si tut. vel curat. interv. l. etiamſi patre* 29. *D. de minor.*

l. ult.

l. ult. §. *ipſum autem* 5. *C. de bon. quæ lib. l.* 1. *C. de bon. matern. Arg. d. gloſ.* 3. *n.* 9. *Scip. Gentil. de bon. mat. cap.* 18.

4. Vindicatio verò hoc poſteriore caſu utrum filio datur mortuo demum patre, an & eo vivente? Prius Gentilis defendit: poſterius Argentreus & Pinelus *ad l.* 1. *C. de bon. mat. part.* 3. *n.* 74. *& ad auth. niſi tricennale C. eod. n.* 45. Argumenta ſi ponderes, plus roboris penes Gentilem reperies: huic igitur ſuffragari libet: ita tamen, ut filio quidem familias denegemus vindicationem vivente patre: non etiam denegemus filio emancipato, *arg. l.* 1. §. *ult. C. de annal. exc. Ital. contr. toll. d. auth. niſi tricennale l. ult.* §. *neceſſitate C. de bon. quæ liber.*

5. An ipſi quoque patri danda vindicatio? Tametſi primâ fronte videatur obſtare regula, quod nemo adverſus ſuum factum venire poſſit *l.* 1. §. 1. *D. de except. rei vend. & trad. l. vindicantem* 17. *D. de Evict. l.* 4. *C. de revoc. donat.* verius tamen eſt, adminiſtratori rerum alienarum eam regulam non obeſſe, quo minus rem non ritè alienatam vindicare poſſit. *d. l. etiamſi patre* 29. *D. de minor. l. quemadmodum* 7. *C. de agric. & cenſ. c. ſi quis presbyterorum tit. de reb. eccleſ. non alien. Pinel. d. part.* 3. *n.* 73. *Arg. d. gloſ.* 3. *n.* 9. *Gentil. d. cap.* 18. *Menoch. conſ.* 117. *n.* 47.

6. Quid

6. Quid ſi pater profiteatur fundum filii eſſe, promittat autem ratam habiturum venditionem, ſeque obliget evictionis nomine? Quibuſdam placuit, filium ſi heres extiterit patri, non poſſe hoc caſu repelli per exceptionem, *Molin. conſil.* 40. Sed verior eſt contraria ſententia, quam tuetur Argentr. *d. gloſ.* 3. *n* 12. *& ſeqq.* Valla, *de reb. dub. tract.* 9. *n.* 2.

7. Quantum ad maritum attinet, qui alienavit fundum uxoris, & uxore herede relicta deceſſit, eandem ferè adhibebimus diſtinctionem: ut ſi id fecerit nomine ſuo, obſtet heredi doli mali exceptio: ſin nomine adminiſtratoris, non noceat ea exceptio uxori fundum ſuum vindicanti. *arg. l. filium ob hoc* 31. *D. de liber. cauſ. l. ſi ab eo* 7. *C. eod. l. ſi fundum* 16. *& tot. tit. D. de fund. dot. l. un.* §. *& cum lex Julia C. de rei ux. act.*

8. Porrò quod in hac conſt. dicitur pro portione hereditaria heredem à vindicando fundo repelli, id ſecundum uſum ejus temporis procedit, cum recta via heres adiit hereditatem. Cæterum ſi ex conſt. Juſtiniani confecerit inventarium, verius eſt, non partem hereditariam, ſed modum emolumenti eſſe ſpectandum *arg. l. ult.* §. *in computatione C. de jur. de lib. Dec. in l. ex qua perſona* 149. *D. de reg. jur. Boer. deciſ.* 23. *n.* 17. *Afflict. deciſ.* 240.

Can-

Cancer. 3. var. reſol. 2. n. 175. Arg. d. gloſ. 3. in fin. Pinel. d. part. 3. n. 79. Barry 11. de ſucceſ. 9. n. 14. Graſ. in ſent. §. hereditas quæſt. 12. n. 20.

9. Quid ſi filius in ſola legitima inſtitutus ſit? Non repellitur filius pro legitima portione, ſed totum fundum vindicare poteſt. Ita rectè Gloſſographus, *in d. §. in computatione*: quam licet communis doctorum calculus damnet, merito tamen probat Pinelus, *d. part. 23. n. 80. Diſſ. Jaſ. Sich. & Dd. com. in d. §. in computatione. Grivel. deciſ. 18. n. 60. Menoch. conſil. 89. n. 149.*

10. Exceptiones plures ab hac lege enumerant doctores: quæ tamen fermè lubricæ ac periculoſę apparent. Prima eſt: Quoties contractus defuncti ipſa lege, ipſove ſtatuto infirmatur, toties heres non tenetur præſtare factum defuncti. *Imbert. in enchir. verb. contractus. Oſaſc. deciſ. 180. n. 1. Carpzov. 2. conſt. elect. 14. def. 70. n. 7.* Nimis profectò generaliter & indefinitè locuti ſunt, ut apparet ex *d. l. 31. D. de liber. cauſ. d. l. 7. C. eod. l. 1. C. de bon. mat. l. 6. & ult. C. de bon. quæ lib. Argentr. d. gloſ. 3. n. 20. Fab. Cod. Sab. tit. de hered. act. def. 4.*

11. Sanè ſi lex vel ſtatutum infirmet alienationem contemplatione publicę utilitatis, eo caſu rectè dixeris, heredem non teneri præſtare factum defuncti. *Pinel. d. part. 3. n. 73. Tiraq. de retract. §. 26. gloſ. 2. n. 6.*

n.6. Menoch.d.conſil.89. n. 85. Sand.3.tit. 4.deciſ.1. Puta, ſtatutum familiarum illuſtrium curam gerens, vetat fundum generchicum alienari abſque conſenſu propinquorum. Si alienatus fuerit, & filius, & ipſe pater fundum vindicare poſſunt. *Burg. ad conſ. Flandr.tract.4.n.5. Mev. ad jus Lubec. lib. 1. tit. 10. §. 6. n. 89.*

12. Quanto magis vindicatio danda ſucceſſori principis, ſi defunctus abſque conſenſu Ordinum res domanii alienaverit. Quo caſu etiam ipſi alienanti vindicatio danda, etſi forte contractum religione jurisjurandi firmaverit. *c. 6. 23. 33. de jurejur. l. 2. §. jus reip. D. de admin. rer. ad civit. pertin. Afflict. in conſt. Neap. quæſt. 24. & d. deciſ. 240. n. 8. Vaſq. de ſucceſ. creat. §. 10. n. 248. Valaſc. conſult. 69. n. 14 Sand. 3. tit. 4. def. 1. in fin. & tract. de prohib. rer. alien. part. 1. cap. 6. n. 16.*

13. Idem dicendum, ſi princeps regionem aliquam vel oppidum abſque Ordinum conſenſu alienaverit: non enim licet ei imperium ſuo arbitratu deminuere. *Vaſq. 1. contr. ill. 4. Hotom. ill. quæſt. 1. Jun. Brut. vindic. contr. tyr. quæſt. 3. Mornac. ad l. 8. §. invitus D. de procur. Chaſſan. ad conſ. Burg. tit. 3. §. 5. n. 32. Sanxo ad Turon. tit. 13. §. 2. gloſ. 1. poſt Bald. in cap. in generali, tit. Si de feud. def. cont. ſit int. dom. Jaſ. in l. debitorum pactionibus C. de pact. Felin. in c. 1. n. 4. de probat.* Illud

14. Illud etiam agnoſcendum videtur, ſi contractus & nullus, & ſimulatus ſit, poſſe heredem venire contra factum defuncti. Puta, filius defunctus per ſimulationem confeſſus eſt, mille quæ pater ad ſubſidia matrimonii promiſerat, ſibi numerata eſſe, cum numerata non eſſent: nepos ſuccedens avo, non prohibetur querelam non numeratæ antidotis coheredibus ſuis referre. Ita rectè reſpondit Cancerius *d. cap.* 2. *n.* 209. Nec malè hoc reſponſum applicabimus ſtatutis dicentibus, *met renverſalen en mach ſich niemant behelpen. Tranſiſ.* 2. *tit.* 2. §. 14. *Dav.* 3. *tit.* 13. §. 7.

15. Secunda exceptio: Quoties lex vel ſtatutum infirmat factum defuncti favore tertii, toties heres contra factum defuncti venire poteſt. *Fab. d. def.* 4. Hanc exceptionem neque damnare, neque in totum probare auſim. Illud adnoto, tertiæ perſonæ appellatione poſſe quandoque ipſum heredem comprehendi. Nam ſi teſtator cautionem fructuariam remiſerit, non obſtante ejus facto, poteſt heres remiſſam exigere. *l.* 1. *C. de uſufr. l. pen. C. ut in poſſ. legat. nom.*

16. Tertia: Quoties heres non ex perſona defuncti, ſed ſuo jure venit, toties per exceptionem non repellitur. *Grammat. deciſ.* 93. *n.* 7. *Oſaſc. d. deciſ.* 180. *Fab. d. def.* 4. *Carpzov. d. part.* 2. *conſt.* 48. *def.* 3. *Mev. d.* §. 6.

§. 6. n. 90. Itaque ſi pater fundum retractui gentis obnoxium vendiderit, ratio dictat, etiam filium heredem patris ad retractum admittendum eſſe. *Boer. ad Bitur. tit.* 6. §. 3. *circà fin. Sanxon. ad Turon. tit.* 15. §. 5. *Choppin. ad Pariſ.* 2. *tit.* 6. *n.* 17. *Gomeſ. ad leg. Taur.* 70. *n.* 10. *Tiraq. de retract.* §. 1. *gloſ.* 9. *n.* 47. *& ſeqq. Grat.* 3. *diſcept. for.* 433. Diſſ. Friſii teſte *Sand.* 3. *tit.* 5. *def.* 7.

17. Veruntamen ne hæc quidem exceptio ſatis certa atque explorata videtur, Quid enim *in l. Seja* 73. *D. de evict.* nonne Sempronia dicitur venire poſſe proprio jure? Tamen veniens per exceptionem doli mali repellitur, Et *in l. filiusfamilias* 114. §. *cum pater. &* §. *ſeq. D. de legat.* 1. tametſi filius fundum à patre extra familiam alienatum jure proprio vindicare poſſit; repellitur tamen per exceptionem, ſi patri heres extiterit. *Sand.* 4. *tit.* 4. *defin.* 9.

18. Adhæc ſi pater feudum rectum & familiare vendiderit, communis eſt ſententia, filio eidemque heredi patris non dari vindicationem, cum tamen filius ad id feudum non tam jure patris, quam ſuo & primæ inveſtituræ vocetur, *arg. d. l.* 114. §. *cum pater de leg.* 1. *c. Titius filios, tit. Si de feud. def. cont. ſit cap. un. tit. an. agnat. vel fil. Afflict. in* §. *hoc quoque n.* 19. *tit*

de ſucceſ. feud. & deciſ. 112. *n.* 2. *Clar.* §. *feudum quæſt.*42. *Zaſ. de feud. part.* 8. *n.* 62. *Vult.* 1. *feud.* 11. *n.* 86. *& ſeqq. Hart. Piſt.* 2. *quæſt.* 9. *Menoch. d. conſ.* 89. *n.* 106. *Pinel. d. part.* 3. *n.* 81. *Graſ. d. quæſt.* 12. *n.* 29.

19. Quarta exceptio: Quoties pater filium fraudare voluit beneficio legis vel ſtatuti, toties filio vindicanti rem ſuam, non obſtat doli mali exceptio. *l. omnes* 17. §. *Lucius D. quæ in fraud. cred. Oſaſc. d. loc. Grammat. d. deciſ.* 93. *n.* 9. & 12. *Menoch. d. conſ.* 89. *n.* 18. *Peregr. de fideic. art.* 36. *n.* 85. *Tiraq. d.* §. 1. *gloſ.* 9. *n.* 56. Itaque ſi maritus ſecundæ conjugi plus reliquerit quam filio prioris matrimonii, non dubitatur filium heredem patris, contra factum defuncti venire poſſe. *Gram. d. deciſ.* 93. *n.* 9. *Cancer. d. cap.* 2. *n.* 178. Idem contingit, cum donatio inofficioſa à parente facta eſt, *l.* 1. *& tot. tit. C. de inoff. donat.*

20. Et his quidem caſibus ſufficit fraudem re factam eſſe, licet abfuerit conſilium fraudandi *l.* 5. *C. de inoff. donat. l. hac edictali* 6. *pr.* & §. *ſin verò plus C. de ſec. nupt.* Cæterùm, ſi in fraudem patroni vel arrogati alienatio facta dicatur, utrumque deſideramus, & conſilium fraudandi & eventum. *l.* 1. *& ult. D. Si quid in fraud. patr. l.* 2. *C. eod. tit. junct. l. fraudis* 79. *D. de R. J.*

21. Non autem obeſt hæc exceptio, quo

quo minus pater feudum ad ſolum primogenitum devolvendum, dividat inter liberos eâ lege, ut ſi primogenitus diviſionem oppugnet, tum ex alodio æſtimatio partium aſſignatarum fratribus præſtetur, *arg. l. ſi quis inquilinos* 112. *D. de leg.* 1. *Schrad.* 7. *feud.* 2. *n.* 9. *Vultej.* 1. *feud.* 9. *n.* 72. *Graſſ. in* §. *legat. quæſt.* 14. *n.* 22. *Curt. Jun.* 4. *feud. n.* 126. *Chriſtin. vol.* 6. *deciſ.* 28. *n.* 5.

22. Poſtremo loco notandum, aliquando contingere, ut filius ex parte heres inſtitutus, ne quidem pro portione coheredis vindicare fundum ſuum poſſit: nempè, ſi alienationi conſenſerit. *l.* 3. *C. de rei vind.* Conſenſiſſe autem non eſt cenſendus, ſi inſtrumento alienationis duntaxat ſubſcripſerit. *l. Gajus* 39. *D. de pigner. act. l. Titia* 34. §. *Lucia* 2. *D. de legat.* 2. *l. ſi non ſubſcripſiſti* 15. *C. de admin. tut. l. nec ignoras* 10. *C. de donat. l. mutua* 14. *C. ſi cert. pet.* Vide *Menoch.* 3. *præſumt.* 66. *Vall. de reb. dub. tract.* 10. *Sarmient. in d.* §. *Lucia. Sand.* 2. *de prohib. rer. alien. cap.* 8. *n.* 29.

DISPUTATIO QUARTA
AD
Leg. certum eſt. 22. C. de rei vindic.

Reſp. ANTONIO de LEEUW, *Ultrajectino.*

1. QUandoquidem hæc conſtitutio de fructibus agit à bonæ, malæve fidei poſſeſſore reſtituendis: tractandum nobis & de fructibus, & de mala bonave fide, & poſſeſſione, & ipſa fructuum perceptione atque reſtitutione. Fructus proprie ſunt fruges, & quicquid naſcitur ex terra, vite, arbore, animalibus. Latius, etiam aliæ quædam obventiones fructuum appellatione continentur.

2. Dividuntur enim fructus in naturales & civiles. Naturales ſunt, quos diximus, qui nimirum ex re vel corpore naſcuntur. Civiles, qui non quidem ex re naſcuntur, proveniunt tamen, accedente novâ obligatione: veluti uſuræ pecuniarum, mercedes, vecturæ ædium, fundorum, navium, vehiculorum &c. *l. uſura* 121. *D. de V. S. l. videamus* 19. *pr. l. uſuræ* 34. *l. prædiorum* 36. *D. de uſur. & fruct. l. ſi navis* 62. *D. de rei vind. l. mercedes* 29. *D. de hered. petit. l.* 4. §. *in*

in confeſſoria D. Si ſerv. vindic. l. poſtulante 44. §. 1. *D. de SC. Trebel.*

3. Naturales porrò vel in ſpecie tales ſunt, vel induſtriales. Naturales in ſpecie dicuntur, quos ſola natura profert, ſine cura & cultura hominis: ut gramen, folia, frondes, ligna, pomum, & ſi quid ejuſdem generis. *l. fructus* 45. *D. de uſur.* Induſtriales verò ſunt, quos natura quidem producit, non tamen ſinè induſtria hominis, ut ſunt fruges, & vinum, & fœtus pecorum: item lac, pilus & lana. *l. bonæfidei* 48. *D. de adquir. rer. dom.*

4. De olivis dubitatur, naturalibus an induſtrialibus fructibus annumerandæ ſint. Oleas enim neque raſtros deſiderare, neque falcem, ullamve curam ſcribit *Plinius* 15. *nat. hiſtor.* 1. Tamen induſtrialibus annumerantur ab Italis Hiſpaniſque doctoribus; à quibus mihi diſcedere religio eſt. *Bartol. in l. & ex diverſo* 35. *n.* 2. *D. de rei vind. & conſil.* 125. *Menoch.* 2. *de arb. caſ.* 210 *n.* 25. *Pinel. ad l.* 2. *C. de reſcind. vendit. part.* 2. *cap.* 4. *n.* 52. *Garz. de expenſ. cap.* 23. *n.* 7. *Caſtil. de uſufr. cap.* 36. *n.* 53. Diſſ. *Jac. Curt.* 2. *conject.* 44.

5. Dubitare etiam de lacte poſſis, an non in his regionibus naturalibus fructibus accenſendum, æſtivo inprimis tempore. Ut enim doctores non malè tradunt, in denominando fructu aliquid concedendum

arbitrio judicis, ut is pro qualitate regionis & modo curæ æſtimet, naturalis an induſtrialis fructus ſit. *Bartol. ad d. l. & ex diverſo 35. n. 2. Menoch. d. caſ. 210. n. 20. Hart. Piſtor. 1. quæſt. 24. n. 91. Covar. 1. var. reſol. 3. n. 6. Garz. d. cap. 23. n. 8.*

6. Porrò tam naturales quam induſtriales fructus vel ſtantes, pendenteſve dicuntur; vel percepti id eſt à ſolo ſeparati; vel percipiendi, quos negligens poſſeſſor, cum potuiſſet, non percepit. Percepti vel extantes, vel conſumti. Civiles verò fructus percepti quidem, extantes, conſumti dici poſſunt: ſtantium verò pendentiumve nomen non æquè recipiunt. *l. fructus pendentes 44. D. de rei vindic. l. ult. §. non ſolum D. Quæ in fraud. cred. l. ſi fructuarius 13. D. Quib. mod. uſusfr. vel uſ. amit. l. ſi pignore 22. §. ſi prædo D. de pign. act. l. 3. C. de Cond. ex leg. l. ſed etſi lege 25. §. ſed & fructus D. de hered. petit. l. 1. C. eod.*

7. Fidem quod attinet, ea bona malave dicitur à ſcientia vel ignorantia poſſeſſoris. Fide enim bona tenet, qui ignorat rem alienam eſſe: mala contra, qui ſcit. Dubitantem autem tum demum malæfidei poſſeſſoribus annumerabimus, cum is juſtas cauſas habuit exiſtimandi, fundum alienum eſſe *l. bonæfidei 109. D. de V. S. l. qui ſit 25. pr. D. de uſur. l. ult. C. de cond. indeb. l. ſi fundum 17. C. de rei vindic. §. ſi quis à non domino Inſt.*

de

de rer. diviſ. Sarmient. 2. ſelect. interpr. 10. n. 5. Balb. 3. part. 6. à part. princ. quæſt. 2. n. 3. & 4. Fach. 1. contr. 65.

8. Quid ſi in jure erraverit? Non eſt propterea malæfidei poſſeſſor: *d. l. ſed etſi 25. §. ſcire D. de hered. petit. l. bonæ fidei 48. §. in contrarium D. de adq. rer. dom.* Nec adverſatur *l. nunquam 31. D. de uſucap. l. heredem. 17. D. de his quæ ut indign. auſer. Garſ. d. cap. 23. n. 24. Coſtal. in adverſ. ad d. §. ſcire. Schneid. ad d. §. ſi quis à non domino, n. 5.* Diſſ. *Weſ. in eod. §. n. 1.*

9. Quantum ad poſſeſſionem, tametſi naturalis etiam poſſit eſſe bonæfidei, ad fructuum tamen perceptionem civilem deſideramus, quæ titulum ſeu cauſam juſtam includit *d. §. ſi quis à non domino Inſt. de rer. diviſ. Afflict. deciſ. 403. n. 22. Gomeſ. ad leg. Taur. 45. n. 106.* Cæterùm furtiva ſit res, nec ne; uſucapi poſſit, necne, non intereſt. *l. etiam furtivus 39. l. bonæfidei 48. §. 1. verſ. nec contrarium D. de adq. rer. dom. l. 4 §. lana D. de uſucap. l. qui vas. 48. §. ex furtivis D. de furt.*

10. Ipſam perceptionem quod attinet, bonæfidei poſſeſſor fructus percipiendo ex re aliena non ſolùm induſtriales, ſed & naturales ſuos facit. *d. l. bonæfidei 48. pr. D. de adq. rer dom. l. qui ſcit 25. pr. & §. 1. D. de uſur. h. leg. certum C. de rei vind. §. etſi in rem Inſt. de off. jud. l. 1. §. 1. C. de hered. petit. l.*

item veniunt 20. §. *præter hæc* 6. *verſ. item eos*, *l.* 25. §. *pen.* & *ſeqq. D. eod. Fab.* 4. *conject.* 17. *Donel.* 4. *com.* 25. *Gov.* 2. *lect.* 15. *Hart. Piſtor.* 4. *quæſt.* 26. *Vital.* 1. *var. lect.* 19. *n.* 5. *Vult. diſcept. ſchol.* 20. *Freher.* 2. *parerg.* 24. *Garz. d. cap.* 23. *n.* 35. *Vaſq. ill. contr.* 70. *Peregr. de fideic. art.* 49. *n.* 122. *Gilken. ad h. leg. cap.* 7. Diſſ. *Duar. ad tit. de uſur. cap. Qui fruct. ven. in reſtit. Cujac. ad l. quæſitum de adq. rer. dom. tract.* 7. *ad Afric. Hotom. in epit. D. de uſur. n.* 48. *Cop.* 2. *de fruct. tit.* 4. *cap* 6.

11. Ac licet alii diſtinxerint inter bonæfidei poſſeſſorem cum titulo & ſine titulo. *Bart. ad l.* & *ex diverſo D. de rei vind. Garz. Peregr.* & *Piſtor. d. l. loc. Cov.* 1. *reſol.* 3. *Afflict. dec.* 240. *Viv. deciſ.* 33. *n.* 5. *Fach.* 1. *contr.* 58. Alii inter poſſeſſorem ex cauſa onerosa & lucrativa. *Vital. d. cap.* 19. *n.* 6. *Pac. in not. ad l. fructus* 45. *D. de uſur.* & *cent.* 5. *ant.* 45. neutri tamen rectè ſenſerunt. Illi magis ingenui, qui diſſenſionem Pomponii agnoverunt : quos quum perſtringit Piſtor *d. loc. n.* 12. iniquius cum eis agere videtur.

12. Facit autem bonæfidei poſſeſſor fructus ſuos non ſolâ perceptione, ſed ita, ſi accedat conſumtio : extantes enim omnes una cum re ipſa reſtituere tenetur. *h. l. certum d.* §. *ſi quis à non domino verſ. de fructibus ab eo conſumtis, d. l.* 4. §. *lana verſ. idem*

idem in agnis D. de uſucap. l. 4. §. *poſt litem D. fin. regund. l. Neſennius* 41. §. 1. *D. de re jud. junct. l. ſolum* 49. §. 1. *D. de rei vind. Cujac. in d. l. quæſitum. Fab. d. cap.* 17. Diſſ. *Donel.* 4. *com.* 26.

13. Quid ſi ex conſumtis factus ſit locupletior, an eatenus ad æſtimationem conſumtorum tenetur. Non tenetur: conſumtos enim lucratur. *d.* §. *ſi quis à non domino. d. l.* 4. §. *poſt litem. d. l. Neſennius* §. *fundum. Pinel. ad l.* 2. *C. de reſc. vend. part.* 2. *n.* 60. *Garz. d. cap.* 23. *n.* 37. *Cujac. in d. l. quæſitum, Molin. ad Pariſ.* §. 33. *n.* 44. *Weſ. in d.* §. *ſi quis à non domino n.* 14. *Fab. d. cap.* 17. *in fin. Facb.* 1. *contr.* 58. Diſſ. *Piſtor. d. quæſt.* 26. *n.* 20. *Covar. d. cap.* 3. *Menoch. recup. poſſ. remed.* 15. *n.* 598. *Hotom. d. epit. n.* 48.

14. Quid ſi ab initio bonâ fide poſſederit, deinde cognoverit rem alienam eſſe, an interpellatur fructuum perceptio? Interpellatur: ſingulis enim momentis bonam fidem deſideramus. *l. qui bona* 23. §. *tandiu l. quæſitum* 48. *l. bonæ fidei* 48. § *in contrarium D. de adq. rer. dom. d. l. ſed etſi* §. *quod ſi ab initio D. de hered. petit.* Nec movet nos *l. qui ſcit* 25. §. *ult. D. de uſur. de qua vide Duar. d. loc. Donel.* 4. *com.* 24. *Garz. de expenſ. d. cap.* 23. *n.* 12. 17. *& ſeq. Covar. d. cap.* 3. *n.* 7. *Cujac. ad d. l. quæſitum.*

15. Quod ſi conſcientia rei alienæ interrumpit fructuum perceptionem,

quanto magis litis conteſtatio. Ideoque à die litis conteſtatæ omnes fructus reſtituendi ſunt. *h.leg.certum*, *&* *d.l.4.§.poſt litem D.fin. regund. l. præterea* 20. *D. de rei vindic.* Conventionis autem judiciariæ non eadem vis eſt, quæ litis conteſtationis, tametſi interrumpat temporis præſcriptionem *l.3.pr.l. cum notiſſimi* 7. *pr.&* §.1. *C. de præſcr.* 30. *vel* 40. *ann.* Quid ſi poſt litem conteſtatam culpa actoris peremta inſtantia ſit? Fructus non ex die prioris, ſed poſterioris conteſtationis præſtari æquum eſt. *Rebuf. tract. de fruct. art.*1.*n.*39. *Argentr. ad conſ. Brit.art.* 266. *de interrupt. cap.*8.*n.*10.

16. Malæfidei poſſeſſor omnes fructus reſtituere debet, ſive ante, ſive poſt litem conteſtatam fuerint percepti: quin etiam de percipiendis rationem reddere tenetur. *d.§. ſi quis à non domino Inſt. de rer.div.*§.1. *Inſt. de off. jud. l. ſed & partus* 12. *D. Quod met. cauſ. d. l.*25. §. *quod autem. l. illud* 40. §. *prædo D. de hered. petit.l.ſi navis* 62.*D.de rei vind.h.leg.certum C.eod.l.*3. *C. de cond. ex leg. l. ſi pignore* 22 §.*prædo D. de pign. act. Dd. in d.* §. *Inſt. Vult. d. diſcept.* 20. *Duar.d. cap. Qui fruct.ven.in reſtit.*

17. Quid ſi poſſeſſor fundum melioraverit, an fructus quoque ex melioratione perceptos reſtituere debet? Debet: bonæ quidem fidei poſſeſſor extantes; malæfidei poſ-

poſſeſſor omnes *arg.* §. *cum in ſuo*, *&* §. *ſeq. Inſt. de rer. diviſ. l. ſi in area* 33. *D. de condict. indeb.* Nec obeſt *l. caterum* 31. *D. de rei vind. l. nam hoc natura* 14. *D. de cond. indeb. Covar.* 1. *var. reſol.* 8. *n.* 4. *Molin. ad conſ. Pariſ.* §. 1. *gloſ.* 5. *n.* 85. *&* 86. *Menoch. recup. poſſ. remed.* 15. *n.* 69. *Barboſ. ad l. divortio* §. *fin. n.* 49. *& ſeqq. Hart. Piſt.* 4. *quaeſt.* 28. *n.* 5. *Sand.* 3. *tit.* 15. *def.* 3. Diff. *Afflict. dec.* 87. *Gom. deciſ.* 364. *Fr. Steph. dec.* 81. *Garſ. d. cap.* 23. *n.* 56. *Munnoz. de ratioc.* 2. *cap.* 13.

18. Fructuum fructus, fructuumve uſuras, neque bonæ, neque malæ fidei poſſeſſor præſtare compellitur *l. neque* 15. *D. de uſur. junct. l. heres* 51. §. 1. *D. de hered. petit. l. eum qui* 18. *D. de his quæ ut indign. aufer.* Nec repugnat *l. equis* 8. *D. de uſur. Cujac. in d. l. neque lib.* 16. *reſp. Paul. & in d. l. equis, lib.* 7. *Reſp. Papin. Hotom. in epit. D. de uſur. n.* 25. Confer. *Neoſtad. deciſ. ſupr. cur. Holl.* 81.

19. Partum ancillæ uterque reſtituit, ſeu ante, ſeu poſt litem conteſtatam editus ſit, quoniam non eſt in fructu. §. *in pecudum Inſt. de rer. diviſ. l. in pecudum* 28. *junct. l.* 2. *& l. equis* 8. *D. de uſur. l. Julianus* 17. §. 1. *l. præterea* 20. *D. de rei vind. l. vetus* 68. *D. de uſufr.* Nec adverſatur *l. reſpondit* 14. *D. de uſur. l. quæſitum* 91. §. *ult. D. de leg.* 1. *l. Falcidiæ* 24. §. 1. *D. ad leg. Falcid. Cujac. in l.* 4. §.

A a 6 *fructus*

fructus D. de uſucap. Hotom. & Dd. communiter in d. §. in pecudum. Gilken. h. leg. cap. 3.

20. In æſtimandis fructibus conſumtis tempus rei judicandæ ſpectandum eſt *l. ſin autem* 27. §. 1. *D. de rei vindic. l.* 7. §. *ſi quis l. de eo* 12. §. *ſi poſt D. ad Exhib. l. item videndum* 18. §. *ſiquis D. de hered. petit.* locus verò, judicii. *arg. l. ſi vinum* 22. *D. de reb. cred.* Vide *Dd. in l. quotiens* 59. *D. de V. O. Hotom. ill. quaſt.* 16. *Alc. Zaſ. & Don. in d. l. vinum. Rebuf. ad conſt. reg. tom.* 3. *de fruct. art.* 1. *n.* 27. Deducuntur autem impenſæ fructuum quærendorum cauſa factæ, etſi à malæfidei poſſeſſore factæ fuerint *l. ſi à domino* 36. §. *ult. D. de hered. petit.* Reliquas impenſas bonæfidei poſſeſſor haud dubiè reputat domino: *l. quod ſi ſumtum* 37. *D. eod. l. ſumtus* 48. *l. emtor.* 65. *D. de rei vind.* An etiam malæfidei poſſeſſor. Et videtur hoc quoque conſentaneum eſſe. *l. planè* 38. *& l. utiles* 39. *D. de hered. petit.*

DISPU-

DISPUTATIO QUINTA.

AD

Leg. 1. Cod. Si cert. pet.

Reſp. Segero Wtenbogaert, *Vltrajectino*,

1. Quemadmodum credita, ita debita ipſo jure diviſa ſunt inter coheredes, nec veniunt in familiæ erciſcundæ judicium, *l.* 2. §. *ult. l.* 3. *&* 4. *l.* 25. §. 1. *l.* 51. §. *ult. D. famil. erciſc.* Sed debita utrum pro modo emolumenti, an pro portionibus hereditariis agnoſcenda perſpicuè hæc lex exequitur, docens, non emolumenta, ſed partes hereditarias ſpectandas.

2. Quæ definitio cum generalis ſit, conſequens eſt eam locum habere, non ſolùm cum hereditas ſolvendo eſt; ſed etſi ſolvendo non ſit *Donel. in com. ad h. leg.* 1. *n.* 8.

3. Sequitur etiam non mutari propter conditionem perſonæ creditoris: adeò ut licet fiſcus agat, cujus, propter publicam utilitatem, magnus in jure favor eſt, dividere tamen actionem cogatur, *l.* 2. *C. de her. act. Donel. ad eand. leg. n.* 4.

4. Ita tamen dividere actionem creditor cogitur, ſi perſonali agat: nam ſi hypothecaria, adverſus eum in ſolidum agit, qui pi-

gnus

gnus poſſidet. Etſi plures res diverſas poſſident, eatenus conveniuntur ſinguli, quatenus poſſident *d. l.* 2. *C. de hered. act. l.* 2. *C. Si un. ex plur. hered. l.* 16. §. *in vindicatione D. de pign. & hyp. l.* 25. §. *idem obſervatur D. famil. erciſc. l.* 65. *D. de Evict. l.* 50. §. *tractatum D. de jud.*

5. Sed etſi creditor perſonali actione agat, ſi tamen res, quæ in obligatione eſt, diviſionem non recipiat, adverſus ſingulos heredes in ſolidum agit. *d. l.* 25. §. *contra D. famil. erciſc. l. via* 17. *D. de ſervit. l.* 2. §. *ex his igitur l.* 72. *D. de V. O l.* 11. §. 23. *D. de leg.* 3.

6. Si teſtator uni ex heredibus onus æris alieni injunxerit, an is ſolus conveniri à creditore poteſt? Verius eſt, eam rem creditori non obeſſe, quo minus ſingulos pro partibus hereditariis conveniat *l. ſervo legato* 69. §. *ſi teſtator D. de leg.* 1. *l.* 20. §. *ſi pater &* § *ſi uni D. famil. erciſc. ubi Accurſ. l.* 56. §. 1. *de V. O. ub. Alc. & Zaſ. Bart. in l.* 25. *C. de pact. Gomes.* 2. *reſol.* 10. *n.* 4. Diſſentire videtur *Donel. ad d. l.* 2. *C. de her. act. n.* 11.

7. Quid ſi pacto coheredum uni onus æris alieni impoſitum ſit? Nec hæc res creditori præjudicat, cum æs alienum ipſo jure, ex lege duodecim tabularum inter heredes diviſum ſit *l.* 25. *l. pacto* 26. *C. de*

de pact. l. 6. l. licet pacto 23. C. famil. erciſc.

8. Quid ſi unus ex coheredibus ſolvendo eſſe deſierit, an reliquos onerat? Negat Donellus *ad l. 2. C. de hered. action. n.* 5. ejuſque ſententiam tum lex duodecim tabularum, tum *l.* 33. *de leg.* 2. *l.* 3. *in fin. D. de alim. legat.* juvare videntur.

9. Quid ſi unus ex heredibus ſolidum ſolverit, an habet regreſſum adverſus coheredes? Habet vel familiæ erciſcundæ actionem, vel negotiorum geſtorum *d. l.* 25. §. *idem juris eſt D. famil. erciſc. l.* 3. *C. de neg. geſt. l.* 3. §. *hac actione* 10. *D. eod. d. l.* 2. §. *ex his igitur D. de V. O.*

10. Quas Accurſius *ad d. l.* 2. *C. de hered. act.* ab hac juris regula enumerat exceptiones, *ex l.* 3. §. *heres D. commod. l. ſi duo* 22. *D. Depos. l.* 9. *D. de pollicit. l. Celſus* 22. *& l. ſeq. D. de relig. l.* 87. § *ſi tu ex parte D. ad leg. Falc.* eas rectè Donellus rejecit *ad eand. l.* 2. *n.* 12. *& ſeqq.* quoniam de regula non ſunt.

11. Alter rerum Italicarum, alter provincialium heres inſtitutus eſt: vel alter bonorum maternorum, quæ ſunt in Pannonia; alter paternorum, quæ ſunt in Syria: placet detracta rerum mentione utrumque ex ſemiſſe heredem eſſe, & æs alienum pro hereditariis portionibus agnoſcere *l.* 35. *l.* 78. *D. de her. inſtit. l.* 50. §. *tractatum D. de jud. Cuj. in d. l.* 35.

12. Mi-

12. Miles alium caſtrenſium rerum, alium cæterarum heredem ſcripſit: quaſi duorum hominum duæ hereditates intelliguntur. Ut etiam in æs alienum, quod in caſtris contractum eſt, ſolus is teneatur, qui caſtrenſium rerum inſtitutus eſt: extra caſtra contracto ſolus obligetur, qui cæterarum ſcriptus eſt *l.* 17. §. 1. *D. de teſtam. milit.*

13. Defuncto filius & filia ex æquo heredes extitere: Eſt tamen in hereditate feudum, quod jure Longobardorum ad filium duntaxat pertinere *c. un. de nat. ſuc. feud.* §. *filia vero de ſucceſ. feud.* §. *hoc autem notandum de his qui feud. dar. poſſ.* Superioribus conſequens eſt, æs alienum nihilominus pro hæreditaria duntaxat parte utrumque agnoſcere.

14. Ponamus ſtatuto loci primogeniti in bonis patris penſiorem conditionem eſſe, an augetur ei pro rata æris alieni onus? Augetur, ſiquidem parte hereditatis potior ſit, veluti, ſi ad ipſum bes, ad ſecundò genitum triens pertineat. Non augetur ſi emolumentis duntaxat quibuſdam ſuperior ſit. *Valla de reb. dub tract.* 20. *n.* 23. *Molin. ad conſ. Pariſ.* §. 18 *n.* 8. *& ſeqq. An. Rob.* 4. *rer. jud.* 13. *Sande de feud. Gelr. p.* 363. *& ſeq.*

15. Ponamus moribus ad agnatos paterna, ad cognatos materna bona reverti, hoc caſu æquius videtur heredes pro modo emolu-

emolumenti æs alienum agnoſcere. *Charond. in obſerv. jur. Gall. pag.* 186. *Lamb. Gor. adverſar.* 7. *Nic. Burg. ad conſ. Flandr. tract.* 13. *n.* 34. *& ſeqq.* Diſſ. *Molin. d. loc. &* §. 145.

16. Idem exiſtimandum, ſi ad Titium mobilia ex teſtamento, ad Sejum immobilia ab inteſtato pertineant; non ſoli legitimo exſolutio æris alieni incumbit, ſed utrique pro modo rerum. *Moller.* 2. *ſemeſtr.* 44. *Mornac. in l.* 50. §. *tractatum D. de jud. Lamb. Gor. adverſ. cap.* 8. Diſſ. *Coſtal. ad l.* 3. *D. fam. erciſc.*

17. Ponamus, alium heredem inſtitutum, alii bonorum omnium uſum fructum relictum, exſolutio æris alieni heredine incumbit, an legatario? Heredi *l.* 1. 2. *& ult. C. de her. act. l. ult. D. de uſufr. legat. l.* 69. *D. ad leg. Falcid. l.* 1. §. *ſi heres D. ad SC. Trebel. l. ult.* §. *ſin autem æs alienum C. de bon. quæ lib.*

18. Ponamus, vel venditam ab herede hereditatem, vel donata alicui omnia bona: non emtori, ſed heredi, non donatario, ſed donanti onera debitorum incumbunt *l.* 2. *C. de her. vend. l.* 2. *C. de pact. l.* 15. *&* 22. *C. de donat. l.* 28. *D. eod. l.* 1. §. *heres D. ad SC. Trebell. l.* 72. *D. de jur. dot.*

19. Ponamus ad patrem jure poteſtatis, ad fiſcum jure caduci, ad monaſterium per ingreſſum bona perveniſſe: non in

ſoli-

ſolidum, ſed pro quantitate bonorum obnoxii ſunt creditoribus pater, fiſcus, abbas *l.2. & l. pater 17. D. de caſtr. pecul. l. 1. §. an bona D. de jur. fiſc. l. 2. C. ad leg. Jul. de vi publ. auth. ſi qua mulier & auth. ingreſſi C. de S.S. Eccleſ. l. 42. D. de pecul. Bald. Caſtr. Jaſ. Sich. in l ult. C. de jur. delib. Bart. in repet. auth. ingreſſi C. de SS Eccleſ. n. 57. & 58. Argent. ad conſ. Brit. art. 219. gloſ. 7. n. 10.*

DISPUTATIO SEXTA.

AD

Leg. 3. C. de Collationibus.

Reſp. SIMONE van SOEST, *Antwerpienſi.*

1. PActa de futura ſucceſſione jus civile improbat, tanquam contra bonos mores ſint, & votum captandæ mortis inducant. *l. pactum quod dotali 15. l. licet. 19. C. de pact. l. 5. C. de pact. conv. l. ult. D. de ſuis & legit. hered. l. ſtipulatio hoc modo 61. D. de V. O.* Itaque non mirum, improbari etiam pactum, quo filia acceptâ dote, renuntiat hereditati paternæ. *h. leg. 3.*

2. Excipiuntur pacta inter milites inita *d. l. licet 19. C. de pact.* Quod tametſi aliqui ad illuſtres perſonas produxerint, *Gail. 2. obſ. 127. n. 2. Jac. Thoming. deciſ. 57. n. 24.*

Mev.

Mev. ad jus Lubec. part. 2. tit. 1. n. 117. & 118. Hart. Piſtor. lib. 4. quæſt. 2. n. 20. non rectè tamen id ab eis factum eſt: neque enim legimus in jure, privilegia militantium illuſtribus viris data eſſe. Confer *Peregr. de fideicom. art. 51. Andr. Kobl. de pact. dotal. part. 2. n. 70. & ſeqq.*

3. Sed quoniam *d. l. licet* de pacto reciproco loquitur, dubitatum, an valeat etiam pactum inter milites monopleuron, ſeu non reciprocum? Et verius videtur, etiam hoc valere. *arg. d. l. verſ. tamen cum voluntas. Vaſq. d. ſucceſ. creat. §. 18. n. 233. in fin. & n. 234.*

4. Secundò excipitur pactum à duobus de hereditate tertii factum, ſi ille tertius conſentiat, & in ea voluntate ad extremum uſque vitæ ſpiritum perſeveraverit. *l. ult. C. de pact.* Conſenſum intelligimus expreſſum, cum Purpur. *ad d. l. ult. n.* 66. Gilken. *n.* 24. tametſi Menochius teſtetur, contrarium pluribus placuiſſe *vol. 1. conſil. 1. n. 166.*

5. Tertiò excipiuntur pacta inveſtituræ feudi adjecta, quæ futuræ ſucceſsioni feudali formam dant. *§. hoc autem notandum tit. de his qui feud. dar. poſſ. §. ſi duo fratres, tit. de feud. March. cum ſimil.* Sed etſi inter duos de ſucceſſione feudi poſtea conventio facta fuerit, valet ea, ſi à domino confirmetur vel cum ejus conſenſu facta ſit.

Neo-

Neoſtad. de feud. Holl. ſucceſ. cap. 4. n. 2. & 3. Sand. de feud. Gelr. tract. 1. tit. 2. cap. 3. Vult. 1. feud. 9. n. 85. Affl. 3 feud. 2. §. eſt & alia cauſa, n. 3. Piſtor. 2. quæſt. 1. n. 3. & 4. Borch. de feud. cap. 1. n. 25.

6. Non excipimus etiam pacta reciproca, quaſi abſit ab illis omnis ſuſpicio degenerum inſidiarum. *arg. d. l. licet C. de pact. l. quod autem 7. §. ſi vir & uxor l. cum hic ſtatus 32. §. cum ambo, D. de donat. int. vir. & ux. Hart. Piſt. d. quæſt. 2. n. 17. & ſeq. Andr. Kohl. d. part. 2. n. 65. Gomeſ. ad leg. Taur. 22. n. 17. Cujac. ad l. generaliter 26. D. de V. O. Mev. d. tit. 1. n. 91. & ſeqq. Cancer. 3. var. reſol. 7. n. 137.* Diſſ. *Gail. 2. obſ. 126. Vaſq. d. §. 18. n. 239. Mynſ. cent. 2. obſ. 33.*

7. Nec excipimus pacta jurata: qua enim de re non valet pactum, de ea re nec jusjurandum valet *l. jurisgentium 7. §. 16. & generaliter D. de pact. l. non dubium 5. C. de legib. l. ſi quis inquilinos 112. §. ult. D. de leg. 1. l. 1. C. de SS. Eccleſ. Gomeſ. d. loc. Vaſq. d. §. 18. n. 208. & 221. Hart. Piſtor. d. quæſt. 2. n. 30. Gail. d. obſ. 126. n. 7. Forſter. de ſucceſ. ab inteſt. 4. cap. 24. n. 2. Cancer. d. cap. 7. n. 132.* Diſſ. *Covar. in c. quamvis part. 3. pr. n. 3. Tiraq. in præf. l. ſi unquam n. 142. C. de revoc. donat. Gutier. tract. de contr. jurat. cap. 59. n. 7. Teſſaur. deciſ. 225. n. 5. & 6.*

8. Adhæc, nec pacta inter patrem & libe-

liberos facta excipimus *d l. pactum C. de pact. l. 3. C. h. tit. l. fin. D. de ſuis & legit. hered. Piſtor. d. quæſt. 2. n. 38. Vaſq. d. §. 18. n. 235.* Diſſ. *Zaſ. in d. l. 61. D. de V. O. Alciat. in d. l. pactum n. 7. & 8.* Igitur multo minus inter fratres, aut alios cognatos pacta inita excipienda ſunt. Diſſ. *Gail. d. obſ. 126. n. 9. Cancer. d. cap. 7 n. 162.*

9. Poſtremò nec pacta dotalia, nec diviſoria, ut loquuntur, excipimus. *Vaſq. d. §. 18. n. 239. Kobl d. part. 2 n. 60. & ſeqq. Alciat. Donel. & alii in d. l. pactum quod dotali. Cancer. d. cap. 7 n. 143. & ſeqq.* Cui conſequens eſt, ut nec pactum unionis valeat, quo id agitur, ut privigni etiam vitrico vel novercæ ſuccedant, *d. l. pactum quod dotali. junct. l. adfinitatis 7. C. Comm. de ſucceſ. Fab. de error. pragm. dec. 14. err. 1. Joan. à Sand. 2. tit. 2 def. 7.* Diſſ. *Jacob. Rick. tract. de unio. prol. cap. 3. Gail. 2. obſ. 125.*

10. Verum etſi quæ diximus, juri civili omnia ſint conſentanea; moribus tamen paſſim invaluerunt pacta conventa de futura ſucceſſione. Inter quæ etiam pactum eſt, quo filia accepta dote renuntiat hereditati paternæ. Quod quanquam jus canonicum juratum eſſe velit *c. quamvis de pact. in 6.* nihil tamen cauſæ video, cur non injuratum quoque valere debeat.

11. Ac licet de hereditate paterna loquatur *d. cap. quamvis*, ſententia tamen re-

ctè

ctè porrigitur ad maternam, ſi filia dote à matre data renuntiaverit. *Mev. d.com part.* 2,*tit*.2.§.34.*n*.10.Quinetiam,ſi filius,acceptâ bonorum parte, quam Germani vocant, *ausſteuuer*. Belgæ, *goederen ten ſubſidie van't houwelyck gegeven*, renuntiaverit reliquæ hæreditati, rectè dicemus, eam renuntiationem valere *Mev. d.*§.34 *n*.16, *Vaſq.d.* §.18.*n*. 85. *Gutier. in d.c.quamvis verb. à filiâ*, *n*. 4. *Covar. ibid. part*. 3. §. 1. *n*. 1. *Zaſ.in d.l.*61.*n*.28. *Hart. Piſt.d.lib*.4. *quæſt*. 6.*n*.5.

12. Porrò nocet renuntiatio hæc non ſolum ipſi filiæ, verum etiam nepotibus ex ea natis, dummodo filia patri ſuperſtes fuerit. Cæterum ſi ante patrem deceſſerit, nepotes ad hereditatem avi admittendi ſunt. *Covar d.part*.3.§.2.*n*.4.*&* §.3.*n*.10. *Gutier. d. loc.verb.nec redundet n*.2. *Vaſq.d.* §.18.*n*. 120. *G. Pap. dec*.598. *Rob*.2.*rer. jud*. 5.*Gram. dec*. 57. *Zaſ. d. l*. 61. *n*. 45. *Mev. d. part*. 2. *tit*. 1.*n*. 88. *Piſtor d. quæſt*. 6. *n*. 31. *& quæſt*. 7. *n*. 1. Diſſ. *Hotom*. 5. *obſ*. 58. & ex parte *Gomeſ. d. l. Taur*. 22. *n*. 10.

13. Quid ſi dos legitimâ minor ſit, an filia poteſt non obſtante renuntiatione agere ad ſupplementum? Non poteſt, *arg*, *d.cap. quamvis verb. nullum ad bona paterna regreſſum, Bald*, *& Jaſ. in l.ſi quando* 35. §. *illud etiam C.de inoff. teſtam. Vaſq. in eod:*

§. *illud*.

§. *illud, n.* 20. *&* d. §. 18. *n.* 106. *Covar. d. part.* 3. §. *n.* 3. *Guttir. d. c. verb. omninò ſervari debet, n.* 6. *G. Pap. d. deciſ.* 598. *Tiraq. de jur. primog. quæſt.* 55. *Argentr. ad Brit. art,* 224. *gloſ.* 7. *n.* 4 *H Piſtor d quaſt.* 6. *n.* 15. *Mev. d.* § 34. *n.* 91. *Facch.* 3. *contr.* 25. Diff. *Boer. deciſ.* 3. *n.* 10. *Afflict. dec.* 118. *n* 3. *Mynſ.* 1. *obſ.* 36. *Mornac. ad. l.* 3 §. *ſed utrum D. de minor. Chaſſan. ad Burg. tit.* 7. §. 12. *gloſ. ne retourne point à la ſucceſſion. n.* 13. *& ſeq. Peck.* 1. *de teſtam. conj.* 41. *n.* 4.

24. An admittitur filia ad bona patris in alia provincia ſita? Minimè, ſi renuntiatio ſit generalis, *Argentr, art,* 218, *gloſ.* 6. *n* 27. *Chaſſan. d. gloſ. ne retourne point, in fin.* An ad bona poſt renuntiationem quæſita? Tametſi ſint, qui negent *Jaſ. in d. l.* 35. §. *illud etiam C, de inoff. teſtam. Boer. ad. Bitur. tit.* 11. §. 6. *lit. a.* 2. valdè tamen probabilis eſt aliorum diſtinctio, ut ſi ingens & inſperata bonorum acceſſio facta ſit, non omninò excludatur filia. *Vaſq.* 1. *de ſucceſſ. progreſ.* §. 2. *n.* 75. *Chaſſan. d. tit.* 7. §. 2. *gloſ. du trepaſſé n.* 8. *& ſeqq.*

15. Planè à bonis maternis non excluditur filia, quæ renuntiavit paternis duntaxat, *arg. l. ſi unus* 27. §. *ante omnia D. de pact. Arg. art* 225. *gloſ.* 4 *n.* 8. *G. Pap. deciſ.* 231. *Piſt. d. quæſt.* 6. *n.* 41. Multo minus ad bona fraterna ea renuntiatio extendi poteſt, tametſi forte à patre profecta ſint.

ſint. *G. Pap.d.loc. Piſt.d.cap.6.n.63. Coſt. l. 33. de pact. Gomeſ. d.leg. Taur. 22.n.13.* Nec ad eas res quas pater propter ſecundas nuptias contractas, æqualiter liberis ſuis ſervare tenetur. *l. 3. cum ll. & auth ſeqq. C. de ſec nupt. Imb. in Enchir.verb. filia quæ paternæ. Sich. in d l.3.n.8 C.eod. G. Pap. deciſ. 228. & ib. Ranchin. in not. Gail. 2. obſ. 98.n.9.*

16. Nec obeſt filiæ renuntiatio, quo minus teſtamento à patre honorari poſſit: non enim per hanc pactionem adimitur patri libera teſtamenti factio *arg. l. ſi patronus 33. D. de bon.libert. G. Pap.deciſ.599. Boer. d. §.6. lit.e. 2. Gomeſ.d. leg.Taur.22.n.10. Chaſſ.d. §.12.gloſ. ne les deſcendans d'elle, n. 5. Mynſ. cent. 2.obſ. 7. Forſter. 1.de ſucceſ. inteſt. 23. in fin.* Diſſ. *Argentr. ad Brit. art.225. gloſ.4. n.7.* Nec intereſt ſolemne ſit teſtamentum patris, an jure privilegii inter liberos factum, *Forſter. d. loc. Jaſ. in l.21.§.ex imperfecto n.14.C.de teſtam.*

17. Hoc amplius, ſi illi quorum cauſa renuntiatio facta eſt, aut deceſſerint, aut inteſtabiles, vel incapaces facti ſint, aut ultro abſtineant bonis patris, æquiſſimum eſt, renuntianti ad ea regreſſum dari, *Boer. d. §. 6. lit. x. in not. Chaſſ.d. §. 12. gloſ. Tant qu'il y a fils. in fin. Gomeſ.d.leg. Taur. 22.n. 11. Gail, 2. obſ. 148.n. 10. Piſtor. d. quæſt. 6.n. 45. & ſeqq.*

15. Fin-

18. Fingamus filiam per hanc renuntiationem enormiter læſam eſſe, an ſuccurrendum ei ex *leg. 2. C de reſc. vend.* Non videtur: nam alioquin omnes ferè hujuſmodi renuntiationes eſſent reſcindendæ. *Grammat. deciſ.* 101. *n.* 77. *Capyc. deciſ.* 159. *in fin. Pinel. in d. l.* 2. *part.* 2. *cap.* 1. *n.* 8. *in fin. Argentr. d. art.* 225. *gloſ.* 4. *Vaſq. d.* §. 18. *n.* 124. *& ſeqq. Moller.* 1. *ſemeſtr.* 13. *n.* 11. *Piſtor. d. quæſt.* 6. *n.* 72. *& ſeqq.* Diſſ. *Covar. d. cap. quamvis part.* 3. §. 4. *n.* 5. *&* 6. *G. Pap. quæſt.* 529. *Chaſſan. d. gloſ. ne retourne. n.* 37. *Menoch.* 2. *arb. caſ.* 149. *n.* 15. *Gail.* 2. *obſ.* 147. *Fach.* 8. *contr.* 62.

19. Fingamus minorem eſſe annis XXV. an ſaltem beneficio ætatis reſtitui in integrum poteſt? Ne hoc quidem videtur; inprimis ſi jurata fuerit renuntiatio, *arg. auth. ſacramenta puberum C. ſi adv. vendit. l. qui juraſſe* 26. *D. de jurej. Covar. d. part.* 3. §. 1. *n.* 3. *Argentr. d. gloſ.* 4. *pr. & n.* 10. *cum ſeqq. Nic. Everh. conſ.* 96. *Piſtor. d. quæſt.* 6. *n.* 7. Diſſ. *Imbert. in Enchir. verb. filia minor*, exiſtimans renuntiationem minoris nullius momenti eſſe.

DISPUTATIO SEPTIMA
AD
Leg. Ult. Cod. de Jure Deliber.

Reſp. R. ROELANTS *Leerdamenſi.*

1. HAnc conſtitutionem nonnulli & præclaram & difficilem autumant: alii præclaram fatentur, difficilem negant. Ipſe ſanè legiſlator non ſinè cauſa nobiliſſimam atque æquiſſimam appellavit, §. *extraneis Inſt. de her. qual. & differ.*

2. Dividitur à Bartolo ejuſque ſectatoribus in partes quinque: nobis tres ſufficient. Prima agitur de illis, qui neque deliberant, neque inventarium conficiunt. Secunda de his, qui conficiunt inventarium. Tertia de iis, qui deliberant.

3. Summa partis primæ hæc eſt: Si quis recta via hereditatem adierit, abſque inventario, abſque deliberatione, dum perſuadet ſibi locupletem eſſe, in ſolidum obnoxius eſt oneribus hereditariis. Contra, ſi quis repudiaverit hereditatem, aut ſtatim, aut certe intra tres menſes, computandos ex eo die, quo ſciverit ſibi delatam eſſe, is ab ea hereditate, ſive lucroſa, ſive

ſive damnoſa, excluditur, *h. leg.* §. 1.

4. Parte ſecundâ proponuntur tria; Forma conficiendi inventarii: Commoda confecti: Non ex fide confecti pœna. Forma conficiendi hæc eſt: Ut heres intra dies XC. ex quo hereditatem ſibi delatam compererit, ſi res in propinquo ſint; vel intra annum à morte teſtatoris, ſi abſint; coram tabulariis, nec non creditoribus atque legatariis, vel his abſentibus coram tribus teſtibus, inventarium omnium rerum conficiat, confecto ſubſcribat, aut ſi literarum imperitus ſit, à peculiari tabulario ſubſcribi curet, *h. leg.* §. *ſin autem* & §. *ſeq. junct. nov.* 1. *cap.* 2.

5. Commoda confecti ſunt: Si legatis onerata ſit hereditas, heres uti Falcidia poteſt. Creditoribus non tenetur ultra vires hereditarias. Qui primi ipſum appellaverint, ſeu creditores, ſeu legatarii, hos priores dimittere poteſt, nec tenetur eo nomine illis, qui potiora jura habent. Si quid ipſi defunctus debuit, per confuſionem non extinguitur, ſed concurrit cum reliquis creditoribus. In computatione patrimonii deducit impenſas in funus factas, in inſinuationem teſtamenti, inventarii confectionem, & alias neceſſarias hereditatis cauſas, *h. leg* §. *etſi præfatam* 4. *cum ſeqq. d. nov.* 3. *cap* 2.

6. Pœna non ex fide confecti eſt, ut

heres earum rerum quas ſciens reticuit, vel ſubripuit, duplum reſtituere, vel hereditatis quantitati computare compellatur *h. leg.* §. *licentia* 10.

7. Tertia pars deliberantibus ita præſcribit: ut deliberandi gratia à principe annum, à judice IX. menſes impetrare poſſint; ſemel, non ſæpius: utque inventarium nihilominus intra idem tempus accuratè conficiant. Poſtremò, ut ex deliberatione cernens confecto inventario creditoribus in ſolidum obligetur: non confecto etiam Falcidiam perdat, *h. leg.* §. *& hæc quidem.*

8. Quæſtiones controverſæ ab interpretibus adducuntur multæ. In primis quærunt, an præter perſonas enumeratas judicis quoque præſentia opus ſit ad conficiendum inventarium. Atque in hac ſententia nonnulli fuerunt, moti *l. de creationibus* 27. *C. de epiſc. aud. l. tutores* 24. *C. de adm. tut.* Verum cum nec in *h. l. ult. nec in d. nov.* 1, ulla judicis mentio fiat, non eſt cur illis ſubſcribamus. *Facb.* 4. *controv.* 36.

9. Tempus conficiendo inventario præſtitutum, utrum ex die aditæ hereditatis numeretur, an ex quo heres cognovit ſibi delatam eſſe? Verius eſt, ut & ſupra diximus, dies XC. numerari ex quo heres cognovit; annum à die mortis teſtatoris. *h. leg.* §. *ſin autem dubius, ubi Sich. in com. n.* 4.

n. 4. *Giph. ibid. pag.* 98. *Cuj. in d. nov.* 1. *Vaſq. lib.* 2. *de ſucceſ. reſol.* §. 18. *n.* 48. *Fach.* 4. *controv.* 35. *Fab. Dec.* 2. *err.* 6. *n.* 3. *Chriſt.* 16. §. 50. *n.* 11.

10. Cum *in eod.* §. *ſin autem dubius.* Imp. inventarium intra dies xxx. velit inchoari, quæritur, ſi quis poſt diem triceſimum id inchoaverit, perfecerit intra nonageſimum vel annum, an ſatisfactum ſit voluntati legis? Verius eſt, ſatisfactum eſſe, *arg. h. leg.* §. *ſin autem à locis* 3. & §. *ſin verò poſtquam* 12. *Sich. d. loc. n.* 6. *Giph. d. loc. p.* 99. *Guid. Pap. quæſt.* 571. *Hotom.* 6. *obſ.* 31.

11. Quid ſi heredi ſontica cauſa obfuerit, quo minus intra conſtitutum tempus inventarium conficeret, veluti, ſi morbo impeditus, ſi in vinculis hoſtiumve poteſtate fuerit, an ei ſuccurrendum adverſus dierum lapſum? Succurrendum *arg. l.* 2. §. 1. & *ll. ſeqq. D. Si quis caut. in jud. ſiſt. cauſ. fact. l.* 1. *D. ex quib. cauſ. maj. l. Divus* 7. *D. de in int. reſtit. Giph. d. loc. Chriſt.* 16. §. 50. *n.* 13.

12. Quid ſi quis ſimpliciter hereditatem adierit, dein pœnitentia ductus ad inventarium reverti velit, an beneficio ejus gaudere debet, ſi nec dum conſtituta tempora elapſa fuerint? Non eſt id conſentaneum verbis §. 1. *h. leg. Giphan. d. pag.* 98. Diſſ. poſt alios *Faber de err. pragm. dec.* 2. *err.* 6.

13. Quid autem quod Imp. dicit, *eod.* §. 1. hereditatem repudiari aut ſtatim, aut certè intra tres menſes? Atqui jus adeundi perpetuum eſt, id eſt, durat annos xxx. *l.* 3. *C. de præſcr.* 30. *vel* 40. *an. l. licet.* 8. & *l. ſeq. C. h. tit. l.* 1. *C. de ſuis* & *legit. lib.* Reſpondeo utrumque verum eſt. nec ullum hic metuendum conciliationis incommodum. *Cujac. in par. C. h. tit.*

14. Dehinc videamus an per *h. leg.* ſublata ſit conſtitutio Hadriani, quâ poſt aditam hereditatem, ob grande æs alienum quod ante latuerat, etiam majori annis xxv. ſubveniendum cenſuit? In hac quæſtione ſine hæſitatione ad affirmantes tranſimus, cum manifeſtum ſit, huic potiſſimum incommodo Imp. præſenti conſtitutione mederi voluiſſe, *h. leg. pr.* §. 1. & §. *ſin verò* 12. *nov.* 1. *cap.* 2. §. *ſi verò non fecerit.* Diſſ. *Bachov. in* §. *extraneis Inſt. de her. qual.* & *diff. Peck.* 1. *de teſt. conj.* 34. *n.* 5.

15. Juſtior dubitandi cauſa, an per *h. leg.* ſublata ſit etiam conſtitutio Gordiani, quâ is militi, qui hereditatem damnoſam temerè adierat, ſuccurri volu[illegible] *pr. h. leg.* & §. *extraneis Inſt. d*[illegible] *diff.* Imp. profitetur, ſe n[illegible] tantum, ſed & paganis commune beneficium dediſſe. Idem tamen §. *ult. h. leg.* dicit, milites etſi ſubtilitatem legis non ob-

ſer-

ſervaverint, in tantum teneri, quantum in hereditate invenerint. Rurſum *nov.* 1. *cap.* 4. *in fin.* ne militares quidem perſonas ab obſervantia legis liberat. In hac varietate non malè fortaſſe quis diſtinxerit, ut creditoribus quidem non obligetur miles in ſolidum, perdat tamen Falcidiam non confecto inventario. Diſſ. *Cuj. in d. nov.* 1. *exiſtimans nec Falcidiam militem amittere.* Aliter *gloſ. Jaſ. in d.* §. *ult. Bald. Caſtr. Sich. in p. h. l. exiſtimantes d.* §. *ult. derogatum eſſe per nov.* 1. *c.* 4. *in fin.*

16. An Imperator quoque hâc lege tenetur, ut non confecto inventario perdat ejuſdem commoda? Princeps quidem legibus ſolutus eſt, ſed cum ſponte principatum ſummittat legibus, conſequens eſſe videtur, & hic eum communi jure uti velle *l. princeps* 31. *D. de ll. l. digna vox* 4. *C. eod.* §. *ult. Inſt. Quib. non eſt permiſ. fac. teſtam. l.* 3. *C. de teſt. l. cum heredes* 7. *C. Qui Teſt. fac. poſſ. l.* 4. *C. ad leg. Falcid. l. Papinianus* 8. §. *ſi imperator D. de inoff. teſtam.* Non adducimus etiam in hanc rem *d. nov.* 1. *c.* 4. *in fin.* ibi enim illa, εἴτε βασιλικῷ, malè de principe accipiuntur, cum Cæſarianum vel palatinum, id eſt, officialem Cæſaris deſignent, ut notat *Cujac. ibid.*

17 Idem de fiſco aſſerimus, ſi quis eum heredem ſcripſerit: utitur enim jure privatorum, quoties nominatim non reperitur

privilegio munitus: nec errat, qui in dubia cauſa contra fiſcum reſpondet *l. non puto* 10. *l. quod placuit* 37. *D. de jur. fiſc. l.* 1. *C. de hered. inſtit. Jaſ. pr. h. leg. n.* 1. *Sich. ibid. n.* 7. Diſſ. *Peregr. lib.* 4. *de jur. fiſc. tit.* 1. *n.* 3. *Guid. Pap. quæſt.* 333.

18. An eccleſia? Ita videtur: utitur namque & ipſa jure communi, quoties ſpeciali privilegio non defenditur. *Vaſq. d. lib.* 2. *de ſucceſ. reſol.* §. 18. *n.* 37. *& ſeqq. Guid. Pap. quæſt.* 571. *n.* 4. Nec audiendi qui diſtinguunt inter onera creditorum & legatorum: ut illis quidem in ſolidum obligetur eccleſia, non his. Diſſ. poſt alios *Covar. in c.* 1. *de teſtamen. n.* 17. *&* 18. *Tiraq. privil.* 88.

19. Ruſticos quoque & mulieres huic conſtitutioni ſubjicimus: neq; enim uſpiam proditum, ſuccurri adverſus eam aut imperitiæ, aut ſexui, *l. ult. C. de jur. & fact. ignor.* Adeòque etiam uxor à marito heres inſtituta, niſi inventarium confecerit, oneribus hereditariis in ſolidum obligabitur. *Sich. pr. h. leg. n.* 6. *Jaſ. ibid n.* 2. *Giph. pag.* 100. *Peck.* 1. *de teſtam. conj.* 34. Diſſ. *quantùm ad onera legatorum Vaſq. d.* §. 18. *n.* 47.

20. Pater adiit hereditatem filii non confecto inventario, an obligatur oneribus hereditariis in ſolidum? Utique ſi filius emancipatus fuerit: Sed etſi in poteſtate: quo tamen caſu ſeparabitur à reliquis bonis peculium profectitium, quod in inventario deſcri-

ſcribi non eſt neceſſe, cum id pater non ut heres, ſed jure poteſtatis occupet *l.* 3. *C. de bon. quæ lib. Giph. d. loc.* Separabatur & olim caſtrenſe peculium, ſi inteſtatus deceſſiſſet filiusf. non ſi teſtatus *l.* 2. *D. de caſt. pecul.* Verum id ſublatum credimus per *nov.* 118. *cap.* 2. *Forſter. lib.* 7. *de ſucceſ. ab inteſt. cap.* 4. *n.* 16. *&* 17.

21. Filius non confecto inventario adiit hereditatem patris, an amittit legitimam? Cum hæc conſt. loquatur de omnibus heredibus, qui olim deliberare poterant: cum tam de immiſcentibus, quam adeuntibus, conſequens eſt eum legitimam perdere, *h. leg. pr. verſ. ſed etiam ad omnes.* §. 1. *verſ. vel ſe immiſcuerit.* §. 2. *verb. adeat vel ſe immiſceat.* Diſſ. *Fach.* 4. *contr.* 34. *& Gail.* 2. *obſ.* 138. Nec eſt quod dicas, Falcidiam amittit, legitimam non amittit: cum enim non poſſit ſimul & Falcidiam & legitimam detrahere, ut in ipſius perſona effectus aliquis ſit conſtitutionis, omnino ſequitur legitimam eum amittere. *Cujac. in d. nov.* 1. *Vigl.* §. *extraneis Inſt. de hered. qual. & diff. n.* 6. *Sarm.* 2. *ſelect. interpr.* 7. *Giph. h. pag.* 101. *Duar. ad tit. D. de adq. hered. cap.* 6.

22. Uxor non confecto inventario adiit hereditatem mariti, an amittit etiam doërium? Hoc quoq; ſuperioribus conſequens eſt: nec rectè docent qui arguunt, ea quæ ad nos retentionis jure pertinent, non

confecto inventario non amitti. Quaſi verò Falcidia ſalva ſit, eo quod ad nos retentionis jure pertineat. *Peck.* 1. *de teſtam. conj.* 36.

23. Legata ſunt alicui alimenta vel dos: heres adiit non confecto inventario: an huic quoque præſtationi obligatur in ſolidum? Negat *Bald. in l. voluntatis n.* 4. *&* 5. *C. de fideic.* Rectè an ſecus, non immeritò dubitat *Jaſ. in h. leg.* §. *etſi præfatam n.* 2. Sanè cum certa quantitas in annos ſingulos alimentorum nomine relicta eſt, Baldi ſententia minimè procedit. *Surd. de alim. tit.* 8. *privil.* 13. *n.* 6.

24. Heres fidei commiſſo univerſali gravatus eſt, an non confecto inventario amittit Trebellianicam? Si verba ſpectemus, fateor neque *h. leg.* neque *d. nov.* 1. *cap.* 2. de Trebellianica loqui: Sed ſi mentem & ſententiam, videtur utraque ad Trebellianicam porrigenda *Coraſ. in l. filium quem C. fam. erciſc. n.* 49. *Vaſq. l.* 1. *de ſucceſ. creat.* §. 8. *n.* 14. *Giph. h pag.* 100. *Diff. com. Dd. eoſque ſecuti Vigl. d.* §. *extraneis. Hotom.* 4. *obſ.* 23. *& in diſp. de Quart. Pegaſ. cap.* 4. *n.* 20. *Sarm. d. cap.* 7. *n.* 8. *Gomeſ.* 1. *var. reſol.* 5. *n.* 12. *Fach.* 4. *contr.* 38. *Guid. Pap. quæſt.* 54. *Rol. à Valle de inv. p* 5. *q.* 4. *n.* 19. *& ſeqq.*

25. Fingamus ab herede, inventarium confectum eſſe, an id fideicommiſſario quo-

quoque prodeſt, cui ab herede reſtituta eſt hereditas? Prodeſt: cum enim publicam fidem atque auctoritatem habeat *l. 1. & paſſim C. de tabul. l. ult. C. arb. tut.* conſequens eſt non unius aut alterius, ſed omnium quorum intereſt cauſa factum præſumi *arg. l. 2. D. Teſtam. quemad. aper. Hotom. 6. obſ. 31. & d. diſput. cap. 4. n. 23. Ferrer. in not. ad quæſt. Pap. 571. memorans, ſecundum Hotom. ſæpius in Parlamento Tholoſano judicatum eſſe.*

26. Quid ſi heres non confecerit inventarium, an fidei commiſſarius id poteſt? Poteſt, quinimo debent & fideicommiſſarius, & bonorum poſſeſſor inventarium conficere, ni velint in ſolidum obligari: quia pro heredibus habentur *l. poſtulante 44. in fin. D. ad SC. Trebel. l. 5. §. 1. D Quod cum eo qui in al. pot. l. 1. & 2. D. de poſſ. hered. petit. l. 2. D. de bon. poſſ. cum ſimil. Hotom. d. obſ. 31. & d. diſp. cap. 4. n. 24. Giph. h. pag. 99. Vaſq. d. lib. 2. de ſucceſ. reſol. §. 18. n. 47.*

27. Quomodo intelligendum eſt illud, non confecto inventario amitti Falcidiam? an heres de ſuo ſupplere debet legata, quæ ſuperant puræ ſubſtantiæ teſtatoris modum? Ita videtur *d. nov 1. cap. 2. verſ. ſi verò non fecerit*, ubi, *καθαρὰν ὐσίαν*, id eſt, puram ſubſtantiam, non poſſumus aliter intelligere, niſi ſubſtantiam quæ ſupereſt

deducto ære alieno *arg. l. ult.* §. 1. *C. de repud. Cuj. d. nov.* 1. *Duar. ad tit. D de adq. hered. cap.* 6. *Rol. à Valle de invent. part.* 4. *quæſt.* 3. *n.* 3.

28. Heres non confecit inventarium; legatarii & creditores ultrò confitentur, non fuiſſe plus in hereditate: an nihilominus in ſolidum obligatur: Benignius eſſe videtur eo caſu ſolidum petentes per doli mali exceptionem ſubmoveri *Jaſ. Sich. h. leg.* §. *etſi præfatam n.* 2.

29. Confectio inventarii an à teſtatore remitti poteſt? Sunt qui ſimpliciter negant: Sunt contra qui affirmant. Nobis tertia diſtinguentium ſententia arridet: nempe in præjudicium creditorum remitti non poſſe: poſſe in præjudicium legatariorum & fideicommiſſariorum. *Sich. in h. leg.* §. *ſin autem dubius n.* 14. *& ſeqq. Clar. in* §. *teſtamentum quæſt.* 66. *n.* 2. *Covar. in c.* 1. *de teſtam. n.* 23.

30. Cum ratio legis Falcidiæ ponitur, ſpectatur quantitas patrimonii, quæ eſt tempore mortis teſtatoris *l. in quantitate* 73. *D. ad leg. Falc.* Quid ergo, ſi confecto inventario adierit heres, idem tempus ſpectabimus, quodque poſt mortem teſtatoris periit, id heredis damno erit? Non eſt id conſentaneum §. *& ſi præfatam h. leg. Bartol. & Jaſ. in eod.* §. Diſſ. *Caſtr. ibid.*

31. Qui confecit inventarium deducit ſumtus factos in neceſſarias hereditatis

cau-

caſas: *h. leg.* §. *in computatione.* An & ſumtus ad evincendam defendendamve ſibi hereditatem factos? Videtur id ſuperioribus Imperatoris verbis conſentaneum eſſe. *Angel. Alex. Jaſ. in d.* §. *in computatione Sich. ibid. n.* 5. *Fach.* 4. *contr.* 29. Diſſ. *Bald. ibid. n.* 4. *Vall. de reb. dub. tract.* 6. *in fin.*

32. Si debitori creditor heres extiterit, confecto inventario per confuſionem non extinguitur obligatio *d.* §. *in computatione.* Quid ſi contra creditori extiterit heres debitor, non liberatur per confuſionem? Non videtur: neque enim confectio inventarii debet eſſe fraudi creditoribus: foret autem fraudi, ſi tanta pecunia, quantam heres debet, bona minuerentur. *Giph. h. leg. pag.* 103.

33. Creditor à debitore heres inſtitutus, juſſusque hereditatem reſtituere Sempronio, adiit eam hereditatem non confecto inventario: an in reſtituenda hereditate deducere poteſt, quod ſibi à defuncto debebatur? Veriſimilius eſt non poſſe, *arg. d.* §. *in computatione*: utique ſi perſonale duntaxat debitum fuerit: nam ſi reale, non videtur id extingui per confuſionem *l. debitor* 59. *D. ad S C. Trebel. l. cum quis* 38. §. *ult. D. de Solut. & liber. Fach.* 6. *contr.* 33.

34. Filius ſucceſſit patri, qui pater fundum ejus adventitium vendiderat: an

an filius confecto inventario fundum vindicare poteſt? Siquidem lucrum ſenſit ex hereditate paterna, non poteſt: ſin minus, poteſt. *arg. d.* §. *in computat. junct. l. ex qua perſona* 149. *D. de R. J.* Lucri autem ſeu emolumenti quantitatem eo caſu ſpectare debemus, non quotam, ſeu partem, pro qua heres eſt filius. Itaque ſi fundus ſit aureorum C. ad filium ex hereditate pervenerint XXV. pro dodrante fundum vindicare poterit, ut recte defendit *Pinel. in l.* 1. *C. de bon. mat. part.* 3. *n.* 79.

35. Quid ſi legitimam duntaxat retineat filius? Gloſſographus *in d.* §. *in computatione* ſcripſit, non repelli filium pro legitima portione, ſed totum fundum vindicare poſſe. Quod gloſſema licet damnarit communis ſchola, *Sich. in eod.* §. *verſ. ſi verò & ipſe n.* 19 recte tamen obnititur communi opinioni *Pinel. d. part.* 3. *n.* 80.

36. Quid ſi extraneus ſit inſtitutus heres, an fundum ſuum à teſtatore venditum vindicare poteſt? Eadem videtur ejus habenda ratio, ut ſiquidem recta via adierit, repellatur pro ea parte, quâ heres extitit *arg. l. cum à matre* 14. *C. de rei vind. l.* 3. *C. de reb. alien. non alien. l.* 2. *&* 6 *C. de hered. act. l. ſi uxor.* 7. *C. de bon. aut. jud. poſſ. l. Seja* 73. *D. de evict. l.* 1. §. 1. *D. de exc. rei vend. & trad. l. licet* 14. *C. ad leg. Falcid. l. ſi ab eo* 7. *C. de lib. cauſ.* Sin confecerit inventarium, non

non repellatur, niſi pro quantitate emolumenti, *arg. d. §. in computatione.*

37. Emtor extitit heres venditori, qui evictionis nomine promiſerat duplam: an evicta re emtor idemque heres confecto inventario duplam ex hereditate deducere poteſt? Non male ſimplam duntaxat videtur ei conceſſiſſe *Bartolus in l. cum emtor* 48. *D. ad leg. Falcid adde l. ſi ei cui* 41. *D. de Evict.* Diſſ. *Bald. Angel. Caſtr. Jaſ. Sich. in d. §. in computatione, & d. l. cum emtor,* diſtinguentes, utrum ante, an poſt aditam hereditatem res fuerit evicta.

38. Heres intra tempus inventario conficiendo præſtitutum inquietari à creditoribus hereditariis nequit *h. leg. §. donec tamen* 11. Quid ergò, an nec in rem actione intra id tempus conveniri poteſt? Veriſimile eſt. *Cyn. & Alber. in d. §.* Diſſ. *Bald. Caſtr. Alex. Jaſ. & com. Dd. ib.*

39. Qui in conficiendo inventario res aliquas ſciens reticuit aut ſuppreſſit, in duplum tenetur: an eo amplius in ſolidum quoque obligatur oneribus hereditariis? Non eſt veriſimile: neque Falcidiam perdit, niſi in ea re, quam ſurripuit *h. l. §. licentia l. Falcidiæ* 24. *D. ad l. Falc. junct. l. præcip. in fin. C. de appel. Salic. & Caſtr. in d. §. licentia. Vigl. in d. §. extraneis n.* 8. *Cujac. in nov.* 1. *Giph. h. p.* 92. *Fab. de err. pragm. dec.* 2. *err.* 5. Diſſ. *Dd. Vall. de reb. dub.*

tract.

tract. 6. *n.* 16. *Peregr. de fideic. art.* 3. *n.* 83. *Alciat. lib.* 6. *reſp.* 65. *n.* 4. *vid. Grivel. deciſ. Dol.* 143. *n.* 7. *Chriſt. ad conſ. Mechl. tit.* 16. *art.* 41. *n.* 3.

40. Si heres rem ſuam eſſe dicat, non hereditariam, an tanquam ſubtraxerit, Falcidiæ in ea detrahendæ jus amittit? Non videtur: neque enim qui inficiatur, furtum facit *l. computationi* 68. *in fin. D. ad leg. Falcid. l. inficiando* 67. *D. de furt. Cujac. in d. nov.* 1.

41. Poſtremo quæritur, quid ex libris Pontificum ſit reſpondendum, an eo quoque jure heres non conficiens inventarium obligetur in ſolidum? Et cum nuſpiam contrarium expreſſum reperiatur, non male dixerimus etiam Pontificio jure heredem in ſolidum obligari *Giph. h. pag.* 104.

42. Quid in foro conſcientiæ? Cum obligent leges civiles conſcientiam, non video qui inficiari poſſimus, etiam in eo foro heredem in ſolidum obligari: recteque Viglius ſcripſit *d.* §. *extran. n.* 5. nunquam ſibi diſſentientium ſuperſtitioſam religionem placuiſſe, qui commentis ſuis & conſcientias illaqueant, & leges bene conſtitutas convellunt. Adde *Giph. h. pag.* 98. *Vaſq. lib.* 1. *de ſucceſ. creat.* §. 1. *n.* 16. Diſſ. *varie Dd. Cov. in c.* 1. *de teſtam. n.* 20. *& ſeq. Pap. d. deciſ.* 571. *in fin. Fach.* 6. *contr.* 24.

DISPU-

DISPUTATIO OCTAVA.

AD

Leg. ult. C. Quæ res pign. obl. poſſ.

Reſp. THEODORO JONGBLOET *Bom-Gelro*.

1. HAnc conſtitutionem ex L. Juſtiniani deciſionibus eſſe putat Sichardus, *ad. h. tit. n.* 7. Negat Merillius *in præf. ad deciſ. Juſtin.* qui non agnoſcit, niſi editas Lampadio & Oreſte Coſſ. vel poſt eorundem conſulatum anno Imp. Juſt. IV. V. & VI. Conſtitutionem ſanè & novam & nobilem eſſe, nemo inficias ire poterit.

2. Eſt autem ſumma conſtitutionis hæc, ut ſi quis dixerit: *Obligo bona mea*, vel, *Fide & periculo rerum ad me pertinentium &c.* Is non ſolum præſentia, ſed & futura bona oppignoraſſe videatur; cum olim verba, *fide rerum mearum*, ſpecialem potius, quam generalem hypothecam viderentur ſapere: & bonorum appellatione præſentia tantum non futura continerentur.

3. Hinc igitur diſcimus, ut pignus vel hypotheca valeat, non deſiderari ut exprimatur verbum oppignorandi vel

vel hypothecandi, ſufficiunt verba æquipollentia, veluti iſta: *Fide & periculo rerum mearum: Per exactionem rerum ad me pertinentium: vel Securum te reddo per illum fundum: vel Permitto tibi ingredi & diſtrahere*, & ſimilia. *h. l. ult. l. 3. §. ult. D. Qui pot. in pign. l. 3. C. de pign. & hypoth. Bartol. Cuj. & Mornac. in d. l. 3. §. ult. Bald. in l. 3. C. h. tit. Afflict. dec. n. 201. Rauchb. quæſt. 6. n. 57. Neoſtad. deciſ. cur. Holland. 36.*

4 Sed dubitatum de hujuſmodi ſpecie: Reditum annuum quis emerat, ex certo fundo præſtandum: an verba, *ex certo fundo*, contineant hypothecam? Et vix eſt, ut iis verbis fundus pignori ſuppoſitus videri poſſit. *arg. l. ult. §. 1. D. de contrah. empt. l. liberto 21. pr. D. de ann. legat. l. Paula Callinico 27. § ult. D. de leg. 3. l. Lucius 12. D. de alim. vel cibar. leg. Coſtal. ad. d. l. ult. Jac. Thoming. deciſ. 17. Afflict. deciſ. 162. n. 2. & ſeq. Ranchin. in not. ad deciſ. Pap. 41.* Diſſ. *Boer. deciſ. 66. Sand. 3. deciſ. Fris. tit. 12. def. 8.*

5. Sane ſi dictum ſit, *Super fundo: Super ædibus*: non eſt dubitandum, fundum pignori eſſe. *Afflict. d. loc. n. 6. Boer. d. loc. Mantic. l. 11. de tac. & ambig. convent. tit. 3. n. 9. & 10. Rauchb. d. quæſt. 6. n. 60. Molin. de cenſib. §. 74. gloſ. 2. n. 19. Everh. par. conſ. 107. n. 4.* Quid ſi veterator aliquis ſubſcripſerit *onder verbandt als nae rechten*,

ut in conſult. Batav. part. 1. *conſ.* 267. Rectius hic fecerimus, ſi contra veteratorem reſpondeamus.

6. Porro quantum ad definitionem hujus legis attinet, ſunt qui diſtinguunt inter has formulas: *Obligo res meas: & Obligo res ad me pertinentes*: quaſi priore contineantur præſentia tantum bona; poſteriore etiam futura. *Mornac. ad. l. ſolum* 49. §. 1. *D. rei vind.* Sed planè contra mentem Imperatoris; quod enim noſtrum eſt, id ad nos pertinet, & contra.

7. Fuerunt alii qui negarent ſententiam hujus legis ad tacitas hypothecas pertinere, eo: quod legiſlator de expreſſa loquatur; ut ex veteribus Joannes, quem ſequi videtur *Accurſ. in h. l. gloſſ. ult.* Verum horum ſententia frequentibus calculis rectè damnata eſt. *Salic. in h. l n.* 3. *Sichard n. ult. Bald. in. l.* 1. *n.* 15. *D. ſolut. matr. Neguſ. de pignor. part* 2. *membr.* 4. *n.* 165. *Covar. pract. quæſt.* 29 *n.* 4. *Mantic. lib.* 11. *de tacit. & ambig. convent. tit.* 11. *n.* 13.

8. Pignori forte conſtitutum adjectum eſt, ſeu debitor conſtituit, ſe bona velle dehinc poſſidere nomine creditoris, an conſtitutum quoque pertinet ad bona futurâ? Non male reſponſum, pertinere: ſequitur enim acceſſorium naturam ſui principali[s] *c. acceſſorium de reg. jur. in* 6. *l. pen. D. ut le[g.] nom cav. l. quamvis* 10. *D. de precar. C[ov.] leg. Taur.* 17. *n.* 11.

9. An ad alios quoque contractus & negotia præſens definitio extendenda? Non male Doctoribus placuit, ut ſi de magno præjudicio agatur, actus vel contractus non porrigatur ad bona futura: ſecus ſi de modico. *Azo in h. l. ult. Gloſſ. ibid. verb. pertinentium. Gomeſ. ad leg Taur.* 4.*n.*4. *in fin. Mantic. d. l.* 11.*tit.* 4.*n.* 6. Prior diſtinctionis pars evidenti conſtat æquitate. Itaque venditis bonis, non continentur futura bona: grave enim vertitur præjudicium venditoris. *Azo & Gloſſ. d. loc.*

10. Idem haud dubie dicendum de donatione bonorum: nam & ſtricti juris eſt donatio, & de gravi præjudicio donantis agitur. *Mantic. d. tract. lib.* 13.*tit.* 25. *n.* 9. & 10. *Moſſ. de donat. tit. de reb. quæ non. poſſ. n.* 6. Quid ſi mulier doti dederit omnia bona, an cenſetur etiam dediſſe futura? Minime. *Bald. in l.* 4. *de jur. dot. n.* 2. *Gomeſ. ad l. Taur.* 50.*n.* 17. *Hotom. in diſput. de dot. cap.* 4.*n.* 33. *Vaud.* 1.*quæſt.* 31.

11. Major eſt conflictus de legato bonorum, vel partis bonorum, an eo contineantur bona futura? Et licet regulariter in legatis tempus teſtamenti facti inſpiciamus *l. ſi ita* 7. & *l. ult. pr. de aur. & arg. leat. l. ſi ita ſcripſiſſet* 46. *l. ult.* §. 1. *D. de leg. l. uxorem* 41. §. *teſtamento. l. Julianus* §. *ult. l. his verbis* 102, *D. leg.* 3. *l. Aurelius*

relius 28. §. 1. *D. de lib. leg.* in hoc tamen legato tempus potius mortis teſtatoris inſpiciendum videtur. *arg. l. grege* 21. *& l. ſeq. D. de legat.* 1. *l. peculium* 65. *D de legat.* 2. *l. pen. D. de inſtr. vel inſtrum. legat. l. pecuniæ* 178. *D. de V. S. l. ult. D. de uſ. & uſufr. legat. l. ſiquis ſervum* 8. §. *ult. l.* 9. *l. cum filius* 76. §. 1. *D. de leg.* 2. *l.* 23. *l.* 26. §. *ult. l.* 27. *D. de leg.* 1. Vide *Pereg. de fideic. art.* 12. *n.* 78. *Mantic.* 3. *de conj. ult. volunt.* 11. *n.* 13. *Bart. in d. l. ſi ita. D. de leg.* 1. *Menoch.* 4. *præſumpt.* 127. *n.* 26. qui hoc ita admittunt, ſi teſtator nullum adjecerit verbum præteriti aut præſentis temporis. Diſſ. *Caſtil. de uſufr. quæſt.* 44. *n.* 6. *& ſeqq.*

12. Quare ſi teſtator uſum fructum bonorum ſuorum alicui legaverit, veriſimile eſt & illa bona contineri, quæ poſt factum teſtamentum adquiſivit: quemadmodum ex contrario, ſi bona ſuperſtes minuiſſet, minueretur etiam uſus fructus, *arg. l. uxori* 37. *D. de uſ. & uſufr. legat. Bartol. in d. l. ſi ita. n.* 4. *Menoch. d. præſumpt.* 127. *n.* 28. *Theſaur. deciſ.* 168. qui tamen fruſtra adducunt *l. quoties* 34. §. *ult. D. de uſuf.* Diſſ. *Caſtil. d. quæſt.* 44. *n.* 9. *Graſſ. in recept. ſent.* §. *legatum quæſt.* 29. *Cujac. in comm. ad d. l. uxori.*

13. Præter res futuras ſunt & aliæ quædam, de quibus dubitari ſolet, an generali bonorum obligatione comprehen-

dam-

dantur: veluti de mercibus, quas creditor habuit? Et verius eſt, merces quoque comprehendi eas, quæ in bonis debitoris reperiuntur, quo tempore hypothecaria agitur: *arg.l.cum tabernam* 34. *D.de pign. & hypoth. l. obligatione* 6. *& ſeqq. D. de pignor. & hypoth. Covar.* 2. *var.reſol.* 5.*n.*2. *Neguſ. part.* 2.*de pignor.membr.* 2.*n.*14. *Mantic. d. lib.* 11.*de tac. & amb.conv. tit.* 4.*n.* 35. Quod autem iidem ſententiam hanc reſtringunt ad hypothecam, quæ ad certum locum non eſt adſtricta, id parum accuratè ab eis factum eſt.

14. An pecunia quoque generali oppignoratione continetur. *Mantic. d. tit.* 4. *n.* 36. Nec ſolum ea quam debitor ab alio mutuam accepit, ſed & quam accepit ab eo ipſo creditore, cui bona ſua pignori obligavit. *d. l. cum tabernam.* §.*ult.l. idemque* 7. *in fin. D. qui potior. in pign. Donell. ad h. l. n.* 5. Diſſ. quantum ad poſterius *Mantic. d.tit.*4.*n.*9. *Sand.* 3.*tit.* 12. *deciſ.* 28.

15. Si igitur pecunia quoque generali obligatione continetur, num Primus habens generalem hypothecam, ſolutam ſecundo aut vindicare aut condicere poteſt? Extantem quidem vindicare poteſt *arg. l. traditio* 20. §. 1. *D. de adq.rer. dom. l.diſtractis* 14. *& l.ſeq. C. de pignor. & hypothec. junct. l.* 3. *D. quod cum eo qui in alien.poteſt. eſt. l.ex facto* 52. §.*ult. D.de pecul.* conſumptam

ptam verò non videtur condicere poſſe *arg. l. 5. C. de privil. fiſc. l. deferre 18. §. ult. D. de jur. fiſc. Fulgoſ. ad d. l. 5. Covar. pract. quæſt. 29. Peregr. 6. de jur. fiſc 6. n. 8. Gail. 2. obſ. 25. n.* 16. Diſſ. *Afflict. deciſ.* 190. *n.* 5. *Capyc. deciſ.* 78. *n* 5. Aliter *Moller.* 2. *ſemeſtr.* 4. *Strach. de decoct. part. ult. n.* 28.

16. An feuda continentur generali obligatione? Minimè; nam neque ſine domini conſenſu alienari poſſunt, & alioqui generalis diſpoſitio feuda continere non ſolet. *tit. de alien. feud. patern. tit. de alien. feud. tit. de prohib. feud. alien. per Freder.* §. *è contrario tit. de inveſt. de re alien. facta* §. *in generali tit. Si de feud. def. cont. ſit. inter domin. & agnat. vaſ. Gail. d. obſer.* 25. *n.* 6. *& obſ.* 154. *n.* 6. *Mantic. d. tit.* 4. *n.* 17. *&* 20.

17. An ſaltem hypothecæ tacitæ & generali obnoxia ſunt? Ne hoc quidem concedendum; bona enim alienari prohibita neque expreſſa neque tacita hypotheca continentur. *Mantic. d. lib.* 11. *tit.* 11. *n* 14. *Rauchbar.* 1. *quæſt.* 38. *n.* 44. *Berlich.* 1. *pract. concl.* 66. *n.* 60. *Schult. ad quæſt. Mod. Piſt.* 120. *n.* 10. *&* 11. *Sand de feud. Gelr. tract.* 2. *tit.* 2. *cap.* 4. §. 2. *n.* 17. Diſſ. *Mod. Piſt. d. quæſt.* 120.

18. Diverſa eſt emphyteuſis ratio: neque enim emphyteutæ perinde oppignoratione, atque alienatione interdictum eſt: itaque ſub generali hypotheca emphyteuſis quo-

quoque venit. *l.* 3. *C. de jur. emphyt. l. tutor.* 16. §. *ult. D. pignor. act. l. lex vectigali,* 31. *D. pignor. & hyp. Clar.* § *emphyteuſis quæſt.* 18. *Corbul. de emph. cap.* 14. *limit.* 33. *Neguſ. part.* 2. *membr.* 2. *n.* 29. *Alciat.* 6. *reſponſ.* 9. *n.* 12. *Mant. d. tit.* 4. *n.* 24.

19. Poſtremò obligatione generali non continentur ea, quæ nemo veriſimiliter obligaret; ut ſunt, veſtis, ſuppellex, mancipia neceſſaria, concubinæ, liberi naturales. *l. obligatione* 6. *& ſeqq. D. pign. & hypoth.* Libros non auſim his rebus annumerare, qui quidem in officinis proſtant. Munus autem publicum, poſtquam turpis illa nundinatio cum pernicie reipubl. invaluit, omnino his rebus annumerandum eſt.

DISPUTATIO NONA

AD

Leg. Si unquam, Cod. de Revocand. Donat.

Reſp. ABRAH. van WESEL *Bom-Gelro.*

1. QUandoquidem hæc conſtitutio cum à multis aliis, tum ingenti commentario ab Andrea Tiraquello nobilitata eſt, non erit abs re, controverſias ad eam motas publicæ cenſuræ ſubjicere. Prima, & præcipua eſt. Soline patrono, an cui-

vis

vis donatori ob liberos poſtea ſuſceptos liceat bona donata revocare? Verius eſt, quod & olim Azo ſenſit, hanc conſt. ſoli patrono conſulere voluiſſe, non cuivis donatori. *Coraſ.7 miſcell. 30.Connan.5.comm. 10. Vall. tract. 2. de reb. dub. n.18. Hottom. ad h. conſt. & 12. obſ. 11. & diſp. de legit. cap. 5. n. 30. Donell. & Giph. ad h.leg.Fab. 7. conject.14. & 15.* Diſſ. *poſt Gloſſ. Clar. §. donatio quæſt. 22. Tiraq. verb. libertis n. 84. Gomez. 2. var. reſol. 4. n. 11. Covar. 1. reſol. 19. Alciat. reg. 1. præſ.13. Cuj. 20. obſ. 5. Myn. ſ. 5. obſ. 63. Fab. 3. controv. 85. Mozz. de revoc. donat. n. 74. Carpzov. 2. conſt. elect. 12, def. 32.*

2. Neque tamen adeo ſtrictè hanc conſtitutionem interpretamur, quin mentem potius quam verba ſpectemus. Itaque ſi pater cum filium unicum haberet, huic donaverit bona ſua, deinde plures ſuſceperit, non dubitabimus & patri ex hac lege ſuccurrere, & liberis poſtea ſuſceptis *ex l.ſi totas 5.C.inoff.donat.* Ita recte contra communem diſputavit Ripa *ad h. leg. quæſt. 47.* Cujus ſententia probatur Molinæo *tract. de. inoff. donat.* nec iniqua viſa eſt Tiraquello *verb. libertis n. 77.* Diſſ. *Gomez. 2.reſol.4.n. 11. Cancer. 1.reſol. 8.n. 122. Fab. d. conject. 14. & C.de revoc.donat.diſ. 5. Caſtil. 2. controv. 13.n. 40. Covarr. 1.var. reſol.19.*

3. Ad fratres, & amicos, non auſim

hanc legem porrigere, tametſi ad fratres porrigat *Tiraq. d. verb. libertis n.* 92. Ad patronum vero, & vaſallum, facilius auſim: nam & ſummam reverentiam patrono vaſallus debet, & egentem eum alere tenetur *Afflict. deciſ.* 265. *n.* 104. *Chaſſan. ad conſ. Burg. tit.* 3. *de feud.* §. 4. *gloſſ. vaſallus tenetur n.* 20. *Sanxon ad Turon. tit.* 12. §. 1. *gloſſ.* 2. *concl.* 20. *Molin. ad Pariſ.* §. 3. *gloſſ.* 6. *n.* 7.

4. Eâdem ratione ad adſcriptitios quoſdam porrigi poſſet noſtra conſtitutio, ſi forte eis à domino bona donata ſint. Cum enim libertis hodie ſimiles ſint, quidni à liberto ad adſcriptitium argumentari liceat. *l. non poſſunt* 12. & *l. ſeq. D. de legib. l. illud quæſitum* 32. *D. ad leg. Aquil.*

5. Extra has perſonas vix reperientur alii, ad quos præſens lex produci queat. Sed quoniam contraria ſententia, legem ad quosvis donatores extendens, jam fere recepta eſt, nos quoque perinde ac ſi vera eſſet, iita de ea diſputabimus. Igitur quantum ad genera donationum attinet, quæritur, an hæc ſanctio pertineat ad mortis cauſa donationes? Et veriſſimum eſt propriè non pertinere: cum enim eæ ob ſolam pœnitentiam revocari poſſint, quid opus ad cauſam liberorum confugere? *l. mortis cauſa* 16. *l. qui mortis* 30. *D. de mort. cauſ. donat. Thad. Piſ.* 4. *var. reſol.* 5. *n.* 33. *Bocer. de donat.*

nat.cap. 5.*n.*63. Diſſ. *Tiraq. verb. donatione largitus n.*246. *& ſeqq. Cujac.d.* 20. *obſ.* 5. *Mozz. de donat. revoc. n.* 82. *Hotom. h. n. fin.*

6. Quid ſi donatio remuneratoria ſit, an propter liberos reſcindi poteſt? Affirmantium ſententia nobis placet cum *Cuj. d. obſ.* 5.*Vall.d.tract.*2.*Tuld.C.de revoc.donat. n.* 6. *Fach.* 3. *controv.* 89. Diſſ. *Bald. h. n.* 4. *Tiraq. verb. donatione fuerit largitus à pr. Sanxo: ad Turon. tit.* 14. §. 15. *Mozz. de revoc. donat. n.* 80. *Fab. C. de revoc. donat. def.* 3. *Carpzov. d.conſt.* 12. *def.*34. Idem dicemus ſi donatio jurata ſit. *Bartol. in l. Titia* 87. §. *Imperator D.de leg.* 2.*n.* 11. *Ripa h. quæſt.* 2. *Clar.* §. *donatio quæſt.* 23.*pr. Grammat. deciſ.* 103. *n.* 75. Sed etſi donatio propter nuptias facta ſit, æquum eſt huic legi locum dari. *Molin.tract.de donat. matrim. Papon.* 11. *tit.* 1. *arreſt.*20. *Tuld.d. n.*6. *Fab. C. Sabaud. tit. de revoc. donat. defin.* 2. Diſſ. *idem Fab.*7.*conject.* 15. Aliter *Coſta de quota & rata quæſt.* 152.*n* 13. Poſtremo, etſi in eccleſiam collata ſit donatio, nihil ea privi juris habere poteſt. *Coſtal. ad l.* 8. §. *ſi Imp. D. de inoff. teſtam. Clar.d. quæſt.* 23. *n.* 2 *Peregrin. de fideic. art.* 28.*n.* 89 *Covar. d.reſol.*19.*n.*5.*&* 11.*in fin.* Diſſ. *Gomez.* 2. *reſol.*4.*num.*11.

7. Quantum ad bona donata attinet, recte ſentiunt, qui bona omnia, vel majo-

rem bonorum partem, in hac conſt. intelligunt. *Papon. d. arreſt. 20. in addit.* Nec tamen præciſe ſemiſſe majorem requiremus, quandoquidem ad numerum liberorum quoque reſpiciendum, ideoque arbitrio judicis hoc definiendum. *Menoch. 2. arb. caſ.* 133. *Covar. d. cap.* 19. *in fin.* Diſſ. *Hotom. h. circa finem.* Sed etſi res ſingularis donata ſit, ita demum condictioni locus erit, ſi ea majorem bonorum partem efficiat. *Tiraq. h. verb. bona omnia vel partem. Bart. in d. §. imperator n. 9. Clar. §. donatio quæſt. 22. in fin. Menoch. d. loc. Donell. h. n. 8. Cancer. d. cap. 8. n. 126. Fab. C. de revoc. donat. defin. 9. Carpzov. d. defin. 32. in fin.*

8. Quantum ad liberos attinet, legitimos duntaxat in h. conſt. intelligimus, non naturales, non ſpurios. *arg. l. filium 6. D. de his qui ſunt ſui vel al. jur. l. 5. D. de in jus voc. §. ſi adverſus ea Inſt. de nupt. Mozz. de revoc. donat. num. 83. Palæoth. de noth. cap. 34. numer.* 8. Legitimatos intelligimus, ſive per reſcriptum, ſive per ſubſequentes nuptias legitimati ſint. Diſſ. *Mozz. n. 85. & ſeqq. Covar. part. 2. de ſponſal. cap. 8. §. 2. n. 29. Clar. d. quæſt. 23. n. 7. Tiraq. verb. ſuſceperit. n. 72. & ſeqq. Sanxo. tit. 28. §. un. in. fin. Peregrin. de fideic. art. 24. n. 7.*

9. Cæterum non exigimus ut plures naſcantur, etiam unicus liberorum appellatio-

latione continetur, *l. non eſt ſine liberis* 148. *D. de V. S. Tiraq. in gloſſ. ſuſceperit liberos n.* 241. *& ſeqq.* Nec exigimus ut liberi primi gradus ſint, nam etſi avus mortuo filio nurum prægnantem eſſe ignoret, itaque de nepote deſperans donationem fecerit, æquiſſimum eſt condictionem nepote nato ei dari. *arg. l. filii* 84. *l. juſta* 201. *l. liberorum* 220. *in fin. D. de V. S.*

10. Fingamus liberos habuiſſe donatorem tempore donationis, poſt factam donationem ſuſcepiſſe plures, an huic quoque condictio danda? Tametſi non pauci id negent, æquius tamen & huic ſuccurri, ſi forte de pluribus non cogitavit. Vide *Bald. h. n.* 3. *Rip. hic quæſt.* 6. *&* 47. *Socin. lib.* 3. *conſil.* 83. *n.* 28. *Fab. C. de revoc. donat. defin.* 8. *Carpzov. d. conſt.* 12. *def.* 41. Diſſ. *Clar. quæſt.* 22. *n.* 3. *Cujac. d. obſ.* 5. *Hotom. ad h. leg. Fach.* 3. *controv.* 87.

11. Quid ſi liberi nati, antequam donatio revocaretur, mortui fuerint, an nihilominus bona donata revocari poſſunt? Verius eſt non poſſe. *l. debitor* 82. *D. de leg.* 2. *l. exiſtimo* 98. *l. pluribus* 140. §. *ult. D. de V. O. Gomez.* 2. *reſol.* 4. *n.* 12. *Clar. d. quæſt.* 23. *n.* 9. *Mozz. de revoc. donat. n.* 90. Diſſ. *Bartol. in d.* §. *imperator n.* 20. *Donell. ad h. leg. n.* 9. *Tuld. ad h. tit. n.* 7. *Fach.* 3. *contr.* 90.

12. Quantum ad effectum conſtitutionis

attinet, tametſi plerique exiſtiment bona donata ipſo jure revocari, verius tamen videtur non fieri id niſi per ſententiam judicis: *arg. l. traditionibus* 20. *C. de pact. l.* 1. *& ſeqq. C. de inoff. donat. l. ult. C. de revoc. donat. l. id quod noſtrum* 11. *D. de R. J.* Diſſ. *Gloſſ. in verb. revertatur Barth. in d. §. Imperator n.* 2. *Bald. h. n.* 5. *Clar. d. quaſt.* 23. *n.* 8. *Gomez. d. reſol.* 4. *n.* 11. *Molin. ad Pariſ. §.* 33. *n.* 58. *Choppin.* 2. *de morib. Pariſ.* 3. *n. ult. Tiraq. in verb. revertatur. Donell. ad h. l. n.* 14. *&* 15. *Caſtil.* 2. *controv.* 13. *n.* 38.

13. Condictio autem quæ ex h. leg. datur, donanti datur, non liberis ejus. *Caſtr. in d. §. imperator Donell. hic n.* 12. *Tuld. n.* 10. *Cujac. d. obſ.* 5. *Theſſaur. deciſ.* 121. Diſſ. *Chopp. d. cap.* 3. *in fin. Carpzov. d. conſt.* 12. *def.* 40. *Maynard.* 6 *deciſ.* 59. Multo minus hæredibus *Clar. d. quaſt.* 23. *in fin. Tuld. n.* 8. *&* 10. Diſſ. *Cujac. d. loc. Guid. Pap. deciſ.* 214. *n.* 3. *&* 16. *Ranch. & Ferrer. in not. ibid. Coſtal. ad l.* 8. *§. ſi imperator D. de inoff. teſtam, Tiraq. hic verb. revertatur n.* 300.

14. Cui conſequens eſt, ut pater renunciare poſſit huic legi, ſeu expreſſim, ſeu tacite, *h. leg. verb. in ejuſdem arbitrio junct. l. pen. C. de pact. l. in re mandata* 21. *C. mand. Bartol. in d. §. imperator n.* 7. *Clar. d. quaſt.* 22. *n.* 4. *Gomez. d. c.* 4. *n.* 11. *in fin. Tiraq. hic in præfat. n.* 90. *& ſeqq. Cujac. & Donel. d. loc.*

d. loc. Moꝫꝫ. de revoc. donat. n. 75. *&* 76. *Fach.* 3. *contr.* 84. Diſſ. *Myns.* 5. *obſ.* 63. *Gail.* 1. *obſ.* 40. *n. ult. Coſta de quot. & rat. qu.* 152. Sed ea renunciatio non poteſt obeſſe liberis, quantum ad legitimã. *Carpz.* 2. *d. conſt.* 12. *def.* 33.

15. In hæredes donatarii condictionem dari, facilius defenderis, §. 1. *Inſt. de perp. & tempor. act. l. ex contractibus* 49. *D. de Obl. & Act. Tiraq. d. gloſſ. revertatur. n.* 296. *& ſeqq.* An etiam adverſus tertium poſſeſſorem qui à donatario cauſam habet? Minime, nec enim cum donante negotium habet, *& arg.* §. 1. *Inſt. de Act.* Diſſ. *Tiraq. d. gloſſ. revertatur n.* 327. *& omnes, qui donationem ipſo jure reſolvi, donantique vindicationem dari dicunt.*

16. Porro non ſolum res ipſas condicimus, ſed & fructus earum, ſcilicet ex die interpellationis, non ex eo die, quo liberi nati ſunt. *Tiraq. verb. revertatur n.* 273. *& ſeqq. Ripa ad h. leg. quæſt.* 40. *Molin. ad Pariſ.* §. 33. *n.* 58 *&* §. 43. *n.* 34. *Fab. C. de revoc. donat. def.* 4. Diſſ. *Lancel. Gal. ad l. centurio D. de vulg. & pupill. ſubſt. concl.* 13. *Pereꝫꝫ. ad tit. C. de revoc. donat. n.* 29. *Sans.* 3. *de diviſ. bonor.* 5. *n.* 3.

17. Quemadmodum autem donatarius fructus reſtituit, ita meliorationes ſi quas fecit reputare donanti poteſt, nec cogitur eas compenſare cum fructibus ante interpellationem perceptis. *arg. l. ſumtus* 48. *l.*

ſumptus 48. *l. emtor.* 65. *D. de R. V. l. plane* 38. *& l. ſeq. D. de hæred. petit. l. ult. §. ult. D. de fund. dot. Tiraq. d. loc. n.* 288. *& ſeqq. Afflict. deciſ.* 87. *n.* 6. *in fin. Barboſ. ad l. divortio §. fin. D. ſol. matrim. n.* 50. *&* 51.

18. Quantum ad res alienatas, & deperditas attinet, de his donatarius non tenetur, ſi modo bona fide, non in fraudem donantis conſumptæ ſint. *arg. l. his ſolis* 7. *C. revoc. donat. l ſi ex legati* 23. *D. de V. O. l. quid ergo* 16. *D. de Donat. int. vir. & uxor. l. pen. D. de ſolut.* Quid ſi interim donatarius res donatas oppignoraverit? Reſoluto jure pignorantis, neceſſe eſt, etiam reſolvi jus creditotis, ut quidem cenſet Tiraq. *d. gloſ. revertatur. n.* 330. Quod tamen civiliter videtur intelligendum.

19. Ex ſuperioribus apparet, quantum inter condictionem hujus conſtitutionis & querelam inofficioſæ donationis interſit, Condictio ex hac lege ipſi donatori datur: querela verò liberis donatoris, *l.* 1. *& tot. tit. C. de inoff. donat.* Illa donationem in totum reſcindit: hæc duntaxat uſque ad legitimam portionem liberorum. *l.* 1. 2. 5. *& ſeqq. C. eod.* Adjiciunt Doctores, quod illa competat tantum ex cauſa donationis: hæc etiamſi oneroſo titulo bona alienata ſint, *Clar. §. donatio. quæſt.* 24. *in fin. Molin. d. com. §.* 13. *gloſ.* 3. *n.* 20. *Peregr. de fideic. art.* 36. *n.* 37. *Rauchbar.* 1. *quæſt.* 43. *Cancer.*

d. cap.

d. cap. 8. *n.* 129. *Fachin.* 6. *contr.* 85. *Tuld. ad tit. C. de inoff. dot. n.* 2. Verum hoc diſcrimen agnoſcere nobis religio eſt: *Cujac. parat. C. de inoff. donat.* Adde *Sichard. ad. l.* 1. *in fin. C. eod.*

DISPUTATIO DECIMA.

DE

LEGE RHODIA.

Reſp. SEVERINO THEYLS, *Enchuſâ-Bat.*

1. DE rebus nauticis nihil in XII. Tab. fuit: eas enim Romani non attigerunt ante bellum Punicum primum. Polyb. lib. 1. Cum autem Rhodiorum illuſtris eſſet diſciplina navalis & gloria, teſte Cicerone *pro leg. Manil.* placuit Quiritibus Rhodia lege uti, quatenus nulla Romanarum adverſaretur. *l. pen. D. ad leg. Rhod. de jact.*

2. Hic in ipſo limine dubitatur, quo ſenſu Imp. Antoninus *in d. l. pen.* dixerit; *Ego quidem dominus mundi, lex autem maris*? Aliter enim Alciatus interpretatur 2. *diſpunct.* 5. Aliter Seldenus 1. *de mar. clauſ.* 25. Aliter S. Petitus 3. *miſcel.* 11. pro ὁ δὲ νόμος emendans, ὁ δὲ ἄνεμος. Aliter Pontan. 2. *diſcuſ. n. hiſt.* 15. ſecutus communem Doctorum interpretationem, exiſtimantium, Imperatorem

rem terrarum quidem dominium agnoſcere, non agnoſcere dominium maris. Quam ſententiam, ſi cum Alciato rejecerimus, non multum adjuvabimus cauſam quam Seldenus tuendam ſuſcepit. Planè, quod idem putat lege Rhodia naufragorum fortunas publicanis delatas fuiſſe, id omninò rejicimus.

3. Cæterum illa rectior Petiti emendatio eſt, quâ pro verbis: ἐν τῇ Ἰταλίᾳ: legit, ἐν τῇ πηλίᾳ, ſcilicet θαλάσσῃ. Cum enim Cyclades inſulæ in Ægæo mari ſint, qui potuit fieri, ut in Italia naufragium facientes, à publicanis inſularum Cycladum ſpoliarentur? Diſplicuit tamen & hæc emendatio Salmaſio *de mod. uſur. cap. 4.* qui legit παραλίᾳ, & Grotio, qui mavult, ἐν τῇ Ἰκαρίᾳ, *in ſparſ. flor.*

4. In eodem reſcripto quæritur, quâ ratione Imperator mundi dominum ſe dicat, cum adverſus Germanos Parthoſque adhuc bellum gererent Romani; multis præterea gentibus arma eorum audita magis quam viſa eſſent? Sed hoc quidem explicatu facile eſt. Illud ridiculum, quod ex eo reſcripto multi contendunt, Imperatorem Romanum hodièque dominum mundi eſſe, neque expertem hæreticæ pravitatis, qui id negare auſit, *Argentr. ad conſuet. Brit. art. 266. cap. 23. n. 7.* Diſſ. *Bartol. in l. hoſtes D. de captiv. & poſtlim. reverſ. Zoantraſi*.

tract. de Imp. Rom. n. 118. *& ſeqq. Reink.* 1. *de regim. ſecul. & eccleſ. claſ.* 3. *cap.* 13.

5. Sed ut ad legem Rhodiam progrediamur, ejus plura quidem capita fuiſſe veriſimile eſt; ſed hoc titulo non aliud nobilius proponitur, quam quod de jactu eſt: reliqua quæ circumferuntur, ſuſpecta ſunt Hottomanno, *in Epitom. hic.* Et quæ libro Baſil. 53. *tit.* 8. enarrantur, novas potius conſtitutiones, quam genuina Rhodiæ legis capita, autumat Cujac. *lib.* 34. *Pauli ad edict. ad l.* 2. *D. h. tit.*

6. De jactu autem cautum eſt, ut ſi navis levandæ gratia jactus mercium factus ſit, aut inſtrumentum aliquod navis fractum vel dejectum, id damnum contributione omnium, quorum interfuit, ſarciatur *l.* 1. 2. 3. *&* 5. *D. h. tit.* Æquiſſima ſanè lex, longequè præferenda Luſitanorum inſtituto, quod collationis uſum repudiavit in navigationibus Indicis, ſi modo vera narravit Linſchottus, *in itiner. cap.* 93. Neque vero adverſatur huic æquitati Ulpianus *in l. qui ſervandarum* 14. *pr. D. de præſcr. verb. Gloſſogr. in d. l.* 14. *verb. nulla tenetur. Donel. in com. ad tit. de præſcr. verb. cap. ult. Peck. & Vin. ad l.* 2. *D. h. tit.*

7. Quid ſi merces alicujus jactæ quidem non ſi t, aſpergine tamen deteriores factæ ſint? Siquidem jactus aſperginis cauſa fuerit, cadem æquitatis ratio dictat, huic ſuc-

currendum eſſe: ſin minus, non eſt quod contributionem fieri deſideret *l.* 4. §. *cum autem jactus D. de leg. Rhod.*

8. Quid ſi navis in piratas inciderit? Siquidem communis ſalutis gratia ab iis redemta ſit, æquitas dictat contributionem faciendam. Sin unius alicujus merces abſtulerint piratæ, dominuſque eas redemerit, ceſſat collationis neceſſitas. *l.* 2. §. *ſi navis à piratis & ib. Peck. D. h. tit.* Idem dicendum, ſi princeps manum in navem injecerit, dataque pecunia redemta fuerit.

19. Contributio facienda eſt ab omnibus quorum interfuit. Igitur in primis ab iis qui merces in nave habuerunt, etiamſi oneri navi non fuerint, veluti gemmas, margaritas. Deinde, qui veſtimenta, annulos, mancipia in navi habuerunt, aut res ejuſdem generis alias *d. l.* 2. §. *cum in eadem D. de leg. Rhod.* Nec intereſt venales eæ res fuerint, nec ne: corpora enim duntaxat libera immunia ſunt à collationis onere, & cibaria; non res liberorum hominum. *d.* §. *cum in eadem. Cujac. ibid. in com. Grot* 3. *manud.* 29. §. *gemunt gelt. Weitſ. tract. de avar.* §. *hier af beb ick.* Poſtremò dominus navis conferre debet, quoniam jactu facto navis ſalva eſt. *d.* §. *cum in eadem verſ. itaque dominum.*

10. Cibaria quod attinet, ea idcircò non conferuntur, quoniam duplici onere col-

collationis gravari non debent : ſunt autem in commune conferendæ, ſi quando defecerint in navigatione *d. l.* 2. §. *cum in eadem in fin.* Fruſtra hinc nonnulli colligunt, urgente fame cibaria communia eſſe, nec fieri ab eſuriente furtum. *Prov.* 6. 30. *l.* 1. §. *furtum D. de furt. c. fraternitas* 12. *quæſt.* 2. *c. ſi quis propter neceſſitatem de furt.* Diff. *Clar.* 5. *ſent.* §. *furtum n.* 24. *Covar. in cap. peccatum, part.* 2. §. 1. *n.* 3. *Grot. de jur. bel.* 2. *n.* 7. *& ſeqq.*

11. Quid autem de pecunia numerata ſtatuendum ? Non dubito etiam hanc collationi obnoxiam eſſe : & qui minus, quam merces, gemmæ, anuli ? *Baſil. lib.* 53. *de leg. Rhod.* §. 9. 30. *Bartol. in d.* §. *cum in eadem. Grot. d. cap.* 29. §. *gemunt gelt.* Idque Philippus II. approbavit in Edicto *de naufrag.* §. 7. Ut mirer quâ ratione contrarium placuerit patri ejus Carolo V. anno cIↄ. Iↄ. LIII. ut refert Weitſ. *d. tract. de Avar.* §. *Niet te min om te deduceren.*

12. Nautæ diximus contributionem faciendam eſſe, ſi quid communis ſalutis gratia fregerit, exarmaverit, dejecerit. *l* 2. §. *ſi conſervatis l.* 3. *l.* 5. *&* 6. *D. h. tit.* Quid ergò ſi communi conſilio præciſo fune ſcapha amiſſa ſit, non eſt collatio nautæ facienda? Tametſi ſcapha propriè neque pars, neque inſtrumentum navis eſt. *l. ſcapham* 44. *D. de Evict. l. ult. D. de inſtr. vel inſtr. legat.*

legat. l. 3. §. 1. *D. de rei vindic.* æquiſſimum tamen eſt, collationem eo nomine fieri. *Weitſ. d. tract.* §. *Nu is de queſtie.*

13. Fingamus, neq; res ullas in navem me immiſiſſe, neque dominum navis fuiſſe, ſed fœnore nautico contracto navem pignori mihi obligatam, quæ ſpecies contractus *Bodemerie* vulgò dicitur, an teneor jactu facto conferre? Minimè, tametſi interfuerit mea navem ſalvam eſſe: idque evincit & vulgata pærœmia; *Bodemerie en is geen avarie ſubject.* Multo minus igitur ad tributum vocari poſſum, ſi ſinè carinæ pignore navigaturo pecuniam mutuam dedi.

14. Idem dicendum de eo, qui certo accepto pretio ſecuros periculi jubet eſſe mercatores navem onerantes; qui vulgo *Aſſeureerder* vocatur. Intereſt quidem ejus merces ac navem ſalvas eſſe, iniquiſſimum tamen foret, ad contributionem eum vocari, ne duplici onere gravetur, qui non niſi ſimplex recepit, *arg. l.* 4. §. *cum autem jactus D. h. tit.*

15. Porrò contributio non poteſt commodè fieri, niſi æſtimatis ante mercibus ſalvis perditiſque. Æſtimantur autem jactæ eo pretio, quo emtæ ſunt: ſervatæ, quanti venire poſſunt *d. l.* 2. §. *portio autem D. h. tit.* Leges verò nauticæ Visbuenſes §. 38. nec non Edictum Caroli V. *de reb. naut. art.* 42. Ed. Phil. II. *tit. de naufr.* §. 6. utraſ-

utraſque merces æſtimari jubent, quanti venire potuiſſent. Diſtinctionem verò adhibent *Weitſ. d. tract.* §. *In taxatie. Jac. Coren deciſ.* 41. *n.* 4. *Vin. ad d.* §. *portio*, ut ſi jactus factus ſit majore navigationis parte jam confecta, tum merces jactæ æſtimentur quanti venire potuiſſent, ſin ante jactus factus fuerit, tum quanti emtæ ſunt. Hic non auſim aut jus Romanum præferre hodierno, aut contrà hodiernum Romano, cum utrumque ſuâ quâdam ac peculiari videatur niti ratione. Vide *Weitſ. d. tract.* §. *nu is de vrage of het geworpen.* Quod autem Weitſenius *d.* §. *In taxatie* eandem diſtinctionem ſubaudiri vult *in d.* §. *portio*, à mente JCti. alienum eſt.

16. Æſtimatione facta conſiderandum, ſoline illi, quorum merces ſervatæ ſunt ſarcire damnum teneantur, an ei quoque cujus merces jactæ ſunt, contributionis nomine aliquid decidendum? Poſterius interpretes communi calculo probant: prius quod ſciam, ſolus Cujacius, *in com. ad d.* §. *portio*; ſecutus Gemmam Phriſium 3. *Arithmet.* cui contra communem ſubſcribimus, *arg. l.* 2. *pr. verſ. æquiſſimum enim eſt*, & §. *cum in eadem*, *verſ quia id tributum l.* 4. *pr.* & §. 1. *D. h. tit. Paul.* 2. *ſent.* 7. §. *levandæ.*

17. Cæterum poſito communem ſententiam veriorem eſſe, tum proportio hæc obſer-

obſervanda erit, ut quo plures, & majoris pretii merces cujuſque fuerint, eo plus conferat. E, g. Merces Primi quæ jactæ ſunt, fuerunt aureorum XIV. Secundi XXVIII. Tertii LVI. Primus conferet,ſeu decidi ſibi patietur aureos II. Secundus IV. Tertius VIII. Ita expletur ſumma amiſſa. Ineptum verò eſt exemplum ab aliis adductum: Primus perdidit x. Secundo ſalvi ſunt xx. Tertio xl. Primus, inquiunt, conferet I. Secundus II. Tertius IV. Hæc enim computatio ſummam deperditam explere nequit. *Hotom. in epit. Dig. h. tit. n. 4. in fin.*

28. Actionem quod attinet, jus civile nullam concedit Primo adverſus Secundum & Tertium; ſed actionem locati dat adverſus nautam vel magiſtrum navis, ut cæterorum vectorum merces retineat, donec portiones damni præſtent &c. *l. 2. pr. D. h. tit.* Moribus verò noſtris is cujus merces jactæ ſunt, etiam in rem actionem adverſus reliquos habet; *Weitſ. in d. tract. §. Ende heeft ſulcken Coopman.* Hic non dubito mores præferre juri Romano; quid enim opus illo circuitu?

19. Quod ſi merces jactæ apparuerint poſtea, vel per urinatores extractæ ſint, exoneratur collatio *d. l. 2. §. pen. l. 4. §. 1. D. h. tit.* Unde confirmatur, id quod multis locis juris proditum eſt, jactum non fieri

fieri animo derelinquendi. *d. l.* 1. §. *ult. l. qui levandæ* 8. *D. eod. l. qua ratione* 9. §. *ult. D. de adq. rer. dom.* §. *ult. Inſt. de rer. diviſ. l. Pomponius* 13. *pr. l. interdum* 21. §. *idem juris D. de adq. vel amit. poſſ.* Nec adverſatur *l. falſus* 43. §. *ſi jactum D. de furt.* Vide *Baro. in d.* §. *ult. Con.* 3. *com.* 3. *in fin. Cuj. Hotom. Weſ. & alios in eod.* §. *ult.*

20. Eadem eſt ratio rerum quæ naufragio facto expulſæ ſunt in littus: in his neque privati, neque fiſcus quicquam juris habent. *l. un. C. de naufrag. l.* 1. 3. 4. 5. 7. *ult. D. de incend. ruin. naufr. l.* 4. §. *item cujus familiæ D. ad leg. Cornel. de ſicar. l. cum depreſſa D. de leg. Rhod. de jact.* Quod autem Seldenus *d. lib.* 1. *cap.* 24. fiſcum fortunas naufragorum vindicantem, jure gentium multarum defendere velle videtur, id minimè ferendum eſt; non magis certè, quam ſi fiſcus everſo curru merces ſibi vindicare velit. Quam rapacitatem meritò damnavit Carolus V. *conſtit. crim.* 218. & Concilium Lateranenſe, *cap. excommunicationi, tit. de raptor.*

21. Si quid perierit nautarum culpa, non habet locum contributio, ſed adverſus nautam vel magiſtrum navis agendum eſt. *l. ult.* §. 1. *D. h. tit.* Cum autem de modo culpæ quæritur, diſtinguit Straccha, *de naut. cap.* 2. *n.* 3. & 4. ut mercatoribus præſtet

ſtet nauta levem duntaxat culpam: domino navis etiam leviſſimam. Verum ea diſtinctio impingit *in l.* 3. §. 1. *D. naut. caup. ſtabul.* ex qua rectius alii ſine diſtinctione dixerunt, & navarchos, & eos qui claſſiariis præſunt, leviſſimam culpam præſtare debere. *Arg. ad conſuet. Brit. art.* 34. *gloſ.* 1. *n.* 25.

22. Servos etiam jactos fuiſſe, innuit Cicero 3. *offic.* Nec abnuit JC. *in d. l.* 2. §. *ſervorum D. h. tit.* Quod valde inhumanum eſt. Inhumanior tamen eorum dubitatio, qui ambigunt in levanda nave utrum equus pretioſus, an vile mancipium jaciendum; quaſi ulla inter hominem & equum proportio ſit. De liberis hominibus juſtior dubitatio: puta fractâ nave tot vectores in ſcapham inſilierunt, ut capere omnes non poſſit: an decimatio aliqua vel viceſimatio inſtituenda? Durum id quidem, ſed longè durius, ut ne pars vectorum pereat, omnibus pereundum eſſe. *Linſchot. d. itiner. cap.* 92.

23. Sententiam legis Rhodiæ ad incendium multi produxerunt: ut ſi metu incendii ædes alicujus diſſipatæ fuerint, vicini contributione facta damnum ſarciant. *Bald. in l.* 2. *n.* 1. *D. h. tit. Mornac. in l. ſi quis fumum* 49. *D. ad leg. Aquil. Farin. quæſt. crim.* 110. *n.* 151. & *ſeq. Gail.* 2. *obſ.* 21. *Peck. ad l.* 1. *D. h. tit.* Verum non eſſe id ſim-

ſimpliciter verum, patet *ex ead. l. ſi quis ſummum* §. 1 *l.* 3. §. *quod ait D. de incend. ruin. naufr. l. ſi alius* 7. §. *eſt & alia D. Quod vi aut clam.* Magiſtratus ſanè ſi arcendi incendii gratia hoc fecerit, damnum ſarcire non tenetur. *d.* §. *eſt & alia. l.* 3. §. *ult. D. de off. præf. vigil. Cujac. ad pr. h. l.* 2. *h. tit. in fin.*

24. Auctarii loco adjicimus, nihil nos certi ſolidive deprehendere in eorum conjecturis, qui vel vocem, *Avaria*, corruptam putant ex Græca βαίς, quâ Jones navem denotabant: vel derivant ab ἀβαρὴς, quaſi ſine onere; vel à Cimbrica voce *Haffuet* mare; vel ab *Have* & *Havre*, id eſt, portu. Vide *Mornac. ad l.* 4. §. *cum autem jactus D. de leg. Rhod. Weitſen. de Avar. à pr. Boxhorn. in epiſt. ad Vinn.*

DISPUTATIO UNDECIMA
DE
SUCCESSIONE FEUDI.

Reſp. WILHELMO THOMAEO, *Neom-Gelro.*

1. SUcceſſio jure Romano duplex eſt, teſtamentaria & legitima. Jure Longobardico ſucceſſio feudorum legitima duntaxat eſt, non etiam teſtamentaria: nulla enim ordinatio defuncti ſuper feudo valet,

valet. *pr. tit. de ſucceſ. feud. pr. tit. de alien. pat. feud.* Excipimus feudum merè hereditarium *Clar.* §. *feudum quæſt.* 40. *n.* 2. *Vultej.* 1. *feud.* 9. *n.* 79. non etiam francum *arg. tit. de feud. non hab. propr. nat. feud. Borch. de feud. cap.* 7. *de ſucceſ. n.* 6. Diſſ. *Schenck. ad pr. tit. de ſucceſ. feud. n.* 9. multo minus novum. *Hanneto.* 2 *feud.* 12. *Duar. cap.* 12. *n.* 17. *Sonsbec. part.* 13. *n.* 100.

2. An prælegare ſaltem feudum uni ex liberis pater poteſt? Non poteſt. *d. pr. tit. de ſucceſ. feud. Duar. d. n.* 17. *Cujac.* 4. *feud.* 54. *Vult. d. loc. Hart. Piſtor.* 2. *quæſt.* 4. Eoque caſu ne æſtimationem quidem legatario deberi, verius eſt. *Clar. d. quæſt.* 40. *n.* 4. *Afflict. ad d. tit. n.* 69. *Vult. d. cap.* 9. *n.* 72. *Gail.* 2. *obſ.* 154. *n.* 14. Diſſ. *Mantic.* 9. *conject.* 11. *n.* 8. *Sonsbec. part.* 12. *n.* 87.

3. Quid ſi patris diſpoſitionem liberi approbent, aut inter liberos factam princeps confirmet? Tametſi ſint, qui putant diſpoſitionem valere *Borch. de ſucceſſ. feud. n.* 4. & 7. verius tamen eſt, neque domino & liberis principem præjudicare poſſe. *l.* 2. 3. *pen. C. de prec. Imp. offer. l. ex imperfecto.* 23. *D. de leg.* 3. *l. ſi & l. omnium.* 19. *in fin. C. de teſtam.*

4. Quid ſi de fructibus feudi vaſallus diſpoſuerit? Siquidem de fructibus pendentibus, nihil egit, quoniam pars fundi cenſentur: Sin de ſeparatis, valet diſpoſitio.

arg.

arg. l. fructus pendentes 44. l. quæ de lita 76. D. de rei vindic. Sande de feud. Gelr. tract. 1. *tit.* 2. *cap.* 1. *n.* 6. Quid ſi de melioratione feudi? Diſtinctione res temperanda eſt, quandoquidem non omnis melioratio feudi feudalis eſt. §. *è contrario tit. de inveſt. de re alie. fact.* §. *præterea Inſt. de rer. diviſ. conſ.* §. *ult. tit. Si de inveſt. feud. controv. fue[illegible]* §. *ſi vaſallus tit. hic fin. lex.*

5. Cæterùm legitima ſucceſſio non ſolum in feudis inferioribus locum habet, ſed & in regalibus, veluti ducatu, marchia, comitatu: §. *præterea tit. de prohib. feud. alien. per Frid.* Nec adverſatur *pr. tit. de feud. march. ducat. vel comit.* de quo vide *Schenck. ibid. n.* 13. *Duar. de feud. cap.* 9. *n.* 13. *Hotom. in præfat. diſput. feudal.*

6. Defertur autem tantùm ratione ſanguinis: quo deficiente neque ſuperſtiti conjugi locus eſt; niſi eâ lege inveſtitura facta fuerit §. *un. tit. an. marit. ſucced. uxori* §. *un. tit. de inveſt. fact. mar. vel utriusque conj. Schenck. & alii ad d. tit. An mar. ſuc. uxor. Sand. d. tract.* 1. *tit.* 3. *cap.* 1. §. 1. *in fin.* neque ad fiſcum redit, ſed ad dominum. *Gail.* 2. *obſ.* 148. *Mynſ.* 5. *obſ.* 16. *&* 6. *obſ.* 79.

7. Sanguinis quoque jure non tres, ſed duos tantum ordines ad ſucceſſionem feudi vocamus: deſcendentes & collaterales. Aſcendentes in feudis non ſuccedunt, niſi eâ

lege

lege filius inveſtitus ſit §. *un. tit. patr. in feud. fil. non ſucced. pr. tit. de natur. ſucceſ. feud.* Adjiciunt Dd. niſi contemplatione meritorum paternorum filio feudum datum ſit. *arg. l. dotem* 6. *D. de collat. Alvar. ad d. pr. Duar. cap.* 11. *n.* 11. *Borch. de ſucceſ. feud. n.* 9. aut pater ipſe feudum filio teſtaverit *arg.* §. *un. tit. de vaſal. decrep. at. Zaſ. de feud. part.* 8. *n.* 2. *Mynſ.* obſ. 93. *Hart. ab Epp. tit. de feud. obſ.* 47. *Borch. d loc.* Verùm utraque exceptio tenui admodùm tibicine fulcitur.

8. Quantum ad deſcendentes, non omnes jus feudale admittit. Repellit enim à ſucceſſione adoptivos §. *adoptivus tit. Si de feud. def. cont. ſit int. dom. & agn. vaſal.* Repellit naturales, etiamſi poſtea legitimi facti ſint. §. *naturales, eod. tit.* Neque excipiendi ſunt legitimati per ſubſequens matrimonium. *Cujac. & Hotom. in d.* §. *naturales. Sonsbec. part.* 9. *de feud. n.* 72. *Vult.* 1. *feud.* 9. *n.* 94. Diſſ. *com. Dd. in d.* §. *naturales, & in c. tanta. Qui fil. ſint legit. Duar. d. cap.* 11. *n.* 7. *Schneid. de ſucceſ. fil. nat. & legit. n.* 10. *Forſter.* 6. *de ſucceſ. ab inteſt.* 29. *n.* 11. *Borch. de ſucc. feud. n.* 48. *& alii hic laudati.*

9. Neque ex legitimis nuptiis nati omnes in feudis ſuccedunt: non enim nati ex ea uxore, cum qua matrimonium ad morganaticam contractum eſt. §. *filii, tit.*

Si de

Si de feud. def. cont. ſit. & tit. de fil. nat. ex matrim. ad morg. contr. Item furioſos, mutos, ſurdos, vel alias imperfectos excludit §. *mutus tit. Epiſc. vel abbat. feud. dar. non poſ.* Contra eoſdem admittere videtur §. *un. tit. An. mut. ſurd. vel al. imperf.* Agnoſcit pugnam feudiſticam *Hotom. in com. ad d. tit. Epiſc. vel abb.* Rectius alii conciliationi ſtudent. *Duar. de feud. cap. 9. n. 15. Cujac. 1. feud. 2. in fin. Vult. d. cap. 9. n. 64. Affl. & Iſern. in d. §. mutus Sonsb. part. 12. n. 133. Weſ. cap. 6. n. 20 Zaſ. part. 8. n. 68. Fred. Schenck. in d. §. mutus.*

10. Clericos quoque à feudorum ſucceſſione excludi, verius eſt, §. *ex hoc illud deſcendit, tit. de feud. fœm.* §. *un. tit. de vaſ. mil. qui arm. bell. depoſ.* §. *un. tit. Cleric. feud. amit.* §. 27. *qui clericus, tit. Si de feud. def. cont. ſit int. dom. & agn. d.* §. *un. tit. An mut. ſurd. Clar. in* §. *feudum. quæſt. 78. Vult. d. cap. 9. n. 65. Cujac. in d.* §. *naturales. Myns. 5. obſ. 48.* Diſſ. *Eguin. Baro in d.* §. *qui clericus. Schenck d. tit. de vaſal. milit. qui arm.*

11. Hoc amplius fœminæ à ſucceſſione feudi excluduntur, *pr. tit. de ſucceſ. fratr. pr. tit. de ſucceſ. feud. pr. tit. de nat. ſucceſ. feud.* §. *hoc autem notandum. tit. de his qui feud. dar. poſ.* niſi feudum ſit fœmineum, aut hoc pacto datum ut fœminæ quoque ſuccedant, aut fœminæ pariter inveſtitæ §.

d. pr. tit. de nat. ſucceſ. feud. §. *filia verò tit. de ſucceſ. feud.* aut feudum à domino redemerint, *tit. Quemad. feud. ad fil. pertin.* aut feudum ſit francum, aut obnoxium quidem, ſed ejuſmodi ſervitiis, quæ à fœminis quoque præſtari poſſunt. *tit. Caſ. in quib. fœm. in feud. ſucced.*

12. De feudo hereditario, conceſſo pro heredibus quibuſcunque, dubitatur, an fœmina in eo ſuccedat? Nobis affirmantium ſententia benignior videtur, cum *Curt. Jun. part. 3. de feud. n. 62. Schrad. part. 7. cap. 7. n. 1. Hartm. Piſtor. 2. quæſt. 1. n. 39.* Nec movet §. *etſi clientulus, tit. de alien. feud.* Diſſ. *Bald. in* §. *donare, tit. Qual. ol. feud. alien. pot. n. 4. Schenck. ibid. Zaſ. d. part. 8. n. 62. Vult. 1. feud. 9. n. 29.*

13. Dubitatur etiam de feudo emto: Sed hic negantibus potius, quam affirmantibus adſtipulamur, *arg. tit. de feud. non hab. propr. nat. feud. Zaſ. part. 8. n. 37. Sonsbec. part. 9. n. 122. Hart. Piſt. 2. quæſt. 38. n. 45. Vult. d. cap. 9. n. 44. Fachin. 7. contr. 37.* Diſſ. *Clar. quæſt. 73. n. 6. & ſeq. Curt. Jun. part. 3. n. 6. & ſeq. Gail. 2. obſ. n. 159. n. 5.* Sanè ſi feudum emtum ſit, cum pacto de revendendo, facilius fœminam admiſeris. *Rauchb. part. 1. quæſt. 37. n. 15. & ſeqq.* Item ſi feudum pater tenuerit pignoris titulo, quod Germani *pantleben* vocant *Rauchb. d. quæſt. n. 4. & ſeqq.*

14. Qui-

14. Quibus autem caſibus fœmina in feudo ſuccedit, iis ferè non niſi deficientibus maribus admittitur. §. *quin etiam, tit. Epiſc. vel. abbat. feud. dar. non poſ.* §. *ult. tit. de ſucceſ. feud.* §. *un. tit. de eo qui ſib. vel. hered. ſui.* Unde quæſitum, fœmina per matrem ſemel excluſa, an in perpetuum excluſa cenſeatur? Et licet hoc non pauci affirmaverint, perquam tamen durum eſt, meritoque ab aliis repudiatum, *arg.* §. *ſi duo tit. de feud. march.* §. *un. tit de eo qui ſib. vel hered* §. *ult. tit. de ſucceſ. feud.* §. *un. de duob. fratr. à Capit. inveſt. Cujac.* 1. *feud.* 2. §. *quin etiam Weſ. cap.* 6. *n.* 23. *Hart. Piſtor.* 2. *quaſt.* 36. *n.* 11. *& ſeqq. Vultej. d. cap.* 9. *n.* 52. *Mynſ.* 2. *obſ.* 74. Diſſ. *Alvar.* §. *quin etiam tit. Epiſc. vel abb. Zaſ. d. part.* 8. *n.* 58. 59. *Duar. cap.* 10. *n.* 12. *Borch. de ſucceſ. feud. n.* 36. *Gail.* 2. *obſ.* 148. *Fach.* 7. *contr.* 45.

15. Porro ſuccedunt filii in feudo æquis partibus §. *& quia vidimus, tit. de his qui feud. dar. poſ. pr. tit. de ſucceſ. feud.* niſi feudum regalem dignitatem annexam habeat: hoc enim dividi Fridericus vetuit §. *preterea tit. de prohib. feud. alien. per Frider.* Quæ tamen prohibitio neque in Italia, neque in Germania obſervatur. *Gail,* 2. *obſ.* 153. *Hart. ab Epp. tit. de feud. obſ.* 20. *Alvar. in d.* §. *preterea. Menoch. conſ.* 2. *n.* 288. Quod ſi vaſallus deceſſerit relicto filio, & ex al-

tero filio nepote, nepos non minus in feudo, atque in allodio jure repræſentationis utitur *d. pr. tit. de ſucceſ. feud.*

16. Deficientibus filiis vocantur agnati ſoli, excluſis cognatis *tit. de nat. ſucceſ. fratr.* Nempè, ſi feudum antiquum ſit, & agnatus ſuccedere volens deſcendat ex primo acquirente §. *ſi Capitanei tit. de feud. march. duc. vel comit.* Cæterùm ſi feudum novum ſit, ne frater quidem fratri ſuccedit, niſi ex lege inveſtituræ, aut fratres inſimul habitaverint aut communi pecuniâ, vel in communi militia feudum quæ ſitum ſit. §. *cum verò Conradus, tit. de his qui feud. dar. poſ. & tit. de fratr. de nov. benef. inveſt. tit. de benef. fratr. & qual. frat.* §. *ult. tit. de feud. march.* Quæ tamen loca, quantum ad poſteriorem exceptionem, pugnare cenſet *Hotom. diſp. feud.* 17. Sed videndum, an non diſtinctione aliquâ res expediri poſſit. *Duar. de feud. cap.* 11. *n.* 12. *Vult. d. cap.* 9. *n.* 106.

17. Ex agnatis primi ſunt fratres eodem patre nati *d. tit. de ſucceſ. fratr.* & fratrum ante defunctorum filii jure repræſentationis *d. tit. verſ. his verò deficientibus.* Quod ſi ſoli ſint fratrum filii in capita ſuccedunt: recurrimus enim in hac quæſtione ad jus civile, cum contrarium non ſit definitum conſuetudine Longobardicâ §. *ſtrenuus, tit. de feud. cognit. Duar. d. cap.* 11. *n.* 14.

n. 14. *Zaſ. part.* 8. *n* 18. *Mynſ.* 4. *obſ.* 94. *Borch. de ſucceſ. feud. n.* 82. *Hart. Piſtor.* 2. *quæſt.* 23. Diſſ. prolixè *Sonsbec. part.* 9. *n.* 100. & *ſeqq.*

18. Poſt fratres, fratrumque filios vocantur reliqui agnati, ſecundum gradus prærogativam. §. *ult. tit. de nat. ſucc. feud.* Vocantur autem in infinitum. *d tit. de nat. ſucceſ. feud. verb. ex latere omnes*, & *tit. Si vaſal feud. priv. cui def.* Nec adverſatur §. *hoc quoque ſciendum, tit. de his qui feud. dar. poſ. Duar. d. cap*: 11. *n.* 15. *Cujac. Baro, Hotom. in d.* §. *hoc quoque ſciendum. Sonsb. part.* 9. *n.* 84. *Clar. quæſt.* 79. *Hart. Piſt.* 2. *quæſt.* 19. *n.* 26. *Fab.* 7. *contr.* 27. Diſſ. *Ferrar.* 3. *feud.* 2. *Gail.* 2. *obſ.* 150. *Mynſ.* 2. *obſ.* 95. *n.* 4. *Borch. de ſucceſ. n.* 92.

19. In ſucceſſione feudali, non minus atque allodiali, habet locum jus adcreſcendi *arg. d.* §. *ſtrenuus, tit. de feud. cognit.* tametſi alii ne in antiquo quidem feudo dicant locum eſſe *Vult. d. cap.* 9. *n.* 119. Nec adverſatur §. *un. tit. de inveſt. fact. mar. vel utr. conj.* Illud in hac ſucceſſione ſingulare, quod filius non poteſt retinere feudum repudiata hereditate: agnatus poteſt. *tit. an agn. vel fil. poſ retin. feud.* §. *filius tit. de capit. qui cur. vend. Duar d. cap.* 11. *n.* 9. *Hotom. diſp. feud.* 19. *Vult. d. cap.* 9. *n.* 114. *Hart. Piſtor.* 2. *quæſt.* 2. Quo caſu agnatus ille ſtricto jure non videtur ob-

obnoxius eſſe æri alieno defuncti, quia i
rem magis quam in jus ſucceſſit. *Vari*
Dd. Vult. d. cap. 9. n. 115. Borch. de ſucceſ
n. 94. Gail. 2. obſ. 154. Mynſ. 3. obſ. 67
Zaſ. part. 8. n. 15. Sand. de feud. Gelr. tract
2. tit. 2. cap. 4. §. 1. n. 4.

FINIS.

Biblioteca Nazionale NAPOLI

605307

Digitized by Google